PERILLUSTRI,

GENEROSISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO CHRISTOPHORO DE KATTE,

POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS SANCTIORIBUS, CAMERÆ RERUM BELLICARUM ATQUE DOMANIALIUM, QUÆ EST IN DUCATU MAGDEBURGICO,

PRÆSIDI EMINENTISSIMO, SUMMO CIVITATIS BURGI DIRECTORI, PRÆFECTURÆ KALBENSIS ET GOTTESGNADEN PRÆFECTO,

HÆREDITARIO DOMINO IN SCHARLIPPE, ET CAMERN,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

PERENNANTEM FELICITATEM.



Georgius Dani. Del Coschwitz
Med. D. et in ... Frider. Halens.
Prof. Ord. ... Denat. d. 2 Maj.
Anno 1720 ... ætatis 50

Weibach fc. Lips.

GEORGII DANIEL COSCHWITZ,

MED. DOCT. ET PROF. ORDINARII
HALENSIS ETC.

ORGANISMUS
ET
MECHANISMUS
IN HOMINE VIVO OBVIUS, DESTRUCTUS ET LABEFACTATUS.

SEU HOMINIS VIVI

CONSIDERATIO PATHOLOGICA,

EX VERIS NATURÆ PRINCIPIIS ERUTA,
AD MECHANISMI ET ORGANISMI LEGES ORDINE
CONCINNO DEDUCTA,
METHODO PLANA AC DEMONSTRATIVA
EXPOSITA,
PRÆCIPUE IN USUM AUDITORII
SUI EDITA,
ET
PRAXI CLINICÆ FUNDAMENTI
LOCO PRÆMISSA.

LIPSIÆ,
Sumptibus HÆRED. FRIDERICI LANCKISII,
MDCCXLV.

VIR PERILLUSTRIS,

GENEROSISSIME, EXCELLENTISSIME,

MÆCENAS GRATIOSISSIME!

Q*Uamprimum felicissima illa mihi inluxit hora*, *ut* TIBI, VIR PERILLUSTRIS! *primum Devotionis meæ testimonium offerre possem, ex vultu Tuo gratioso tanta eluxit Clementia, non modo in meam tenuitatem, sed in Rem*

litterariam propensa, ut animum meum, antea jam Tibi devinctissimum, mirifice caperet, simulque in Tui obsequium raperet totum. Neque decrevit tempore hæc Tua gratiosa propensio: increbuit potius de die in diem; de qua publice testatur ardentissimum Tuum desiderium, quo de Studio Medico, ejusque haud infima parte, Anatomico, optime merendi, flagrasti, in eo Honoris, Tuique Nominis Perillustris haud minimam partem reponens, quod sub Tuo tutamine & moderamine, ad Mandatum Invictissimi REGIS, Domini Nostri longe Clementissimi ac Indulgentissimi, Facultati Medicæ, pro amplificando Studio anatomico, quod Regia Clementia curæ meæ, meoque labori concredidit, locus

publi-

publicus pro exſtruendo Theatro Anatomico publice concederetur, primaque fundamenta illuſtrioris hujus ſtudii, in Alma Fridericiana ad invidiam usque celebri, Tua gratioſa, nec unquam ſatis exoſculanda manu, ponerentur.

Publicum hoc eſt Beneficium, in publicum bonum manifeſtisſime redundans, quod publicas etiam optimo jure expoſcit grates. Nunc enim DEO adſiſtente, REGE Indulgentisſimo favente, TE ulterius, (uti conſtanter confido) patrocinante, nunquam occaſio deerit in Academia noſtra, Juvenes boni nominis, optimæ ſpei, ad ſtudium Artis ſalutaris alliciendi, in illo funditus inſtruendi ac erudiendi, ut veris principiis ac fundamentis imbuti

 ultra

ultra Vulgum Medicorum, (qui Anatomen utplurimum contemtui habere ſuevit) ſapere, longeque uberiore fructu Patriæ, ubicunque demum illa fuerit, olim inſervire valeant.

Nec credere deſinas, Mæcenas Excellentiſſime! tot Medicos, quotquot abhinc futuris temporibus ſunt diſceſſuri, poſt DEUM, & REGEM, *Tibi perpetuum atque æternum Gratitudinis monumentum, in mentibus ſuis exſtructuros, totque Perilluſtris Tui Nominis præcones futuros eſſe, qui Tua in Rempublicam medicam noſtram præclara Merita æternis laudibus per orbem extollere ſummo ardore ſtudebunt.*

Mearum vero partium eſt, ut Facul-

tatis

tatis Medicæ, & proprio nomine, devinctissimas Tibi publice persolvam grates, & devotionem, qua Tibi obstrictus vivo, publice contester.

Non defuit Mihi unquam Mens grata, nec defuit Voluntas, sed defecit Occasio prompta, qua debitum solvere potuissem, quam nunc fronte capillata arripio.

Accipe, Mæcenas Gratiosissime! gratitudinis & obstrictissimæ mentis Tesseram, munusculo papyraceo inclusam, sub præsente Tractatulo Medico - Pathologico, quem in Auditorii privati usum ac commodum concinnatum atque conscriptum, Nomini Tuo Perillustri sacrum esse volui.

Ne irascaris Vir Generosissime, Excellentissime, ob muneris oblati levita-

tem, sed mentem sinceram, frontemque serenam, qua Tibi offertur, intuearis devotissime precor: nec illi Favorem Tuum ullo modo ac tempore subtrahi permittas, qui summo ardore, quousque pectus calidum hunc spiritum trahet, indesinenter manebit,

VIR PERILLVSTRIS,
GENEROSISSIME, EXCELLENTISSIME!

TVÆ PERSONÆ, TVIQVE NOMINIS

Dabam in Fridericiana,
D. XXIV. Septembris,
M DCCXXVII.

Obsequiosissimus Cultor,

GEORGIUS DANIEL COSCHWITZ,
M. D. P. P. O.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Hominem Morbum esse, immo mortem secum gerere, tritum vulgatissimumque est proverbium, quod ex ore Divi Hippocratis quasi ortum duxit ac promanavit. Nec restat dubium, quin ipsi sano sensu explicato plenissime tribuenda sit fides: Quamvis enim haud inficiemur, non omnem hominem toto die ægrotare, nec singulos homines omnis generis afflictionibus morbosis subjici, sed potius multos hominum integerrima sanitate frui; nihilosecius tamen toto die observare licet, homines in genere præ omnibus brutis, ægritudinibus subjectos esse; neque a morbis in genere eximi ullam ætatem, ullum Temperamentum, alterutrum sexum, sed sine discrimine omnes diversimode ægrotare, adeo, ut neque deficiant certi morbi, certis hominum conditionibus familiares. Unde in Medicina occurrunt morbi certarum ætatum; siquidem, ut morbi infantiles & pueriles innotuerunt, ex chronicis, Achores, Crusta lactea, Tinea capitis, Atrophia: ex acutorum classe, Variolæ, Morbilli, Catarrhus suffocativus, affectus convulsivi, aliique: cum ætati senili affectus lethargici,

apoplectici, comatosi familiares observentur. Simili modo res sese habet ratione temperamentorum, morborumque ipsis solennium: de quibus notissimum est, cholerica temperamenta, propter sanguineam massam sulphureis atque agilibus particulis maxime scatentem, affectibus magis subjecta esse biliosis, quam aliis, febresque ac Diarrhœas biliosas, cum motuum exacerbationibus, & morbis hinc dependentibus, ipsis familiares esse atque solennes: phlegmatica vero ex seri copiosa præsentia, afflictionibus a Lymphæ & Seri vitio dependentibus laborare, ideoque Tusses, & Asthmata, Cachexiam, Oedemata, Hydropes, & similis farinæ morbos præ reliquis facilius experiri: Sicut Melancholicis ex spissescentia sanguinis quasi naturali, varii generis infarctus, & oppilationes circa viscera nobiliora, præcipue abdominis, obtingere solent, quam ob rationem etiam potissimum cum pathematibus hypochondriacis conflictantur. Sexum quod attinet, non minus nobilior, æque ac sequior sexus propriis quasi expositús est morbis, dum varii atque diversi illorum occurrunt, qui, si non solitarie & absolute, tamen ad minimum notorie, & utplurimum Viris præ fœminis frequentiores esse solent: utpote ex opposito sequior sexus variis ægritudinibus expositus manet, ex negotio mensium, graviditatis, puerperii, lactationis, a quibus omnibus universus sexus virilis in totum semperque immunis manet.

Ante omnia autem assertum superius prolatum, Hominem totum morbum esse, mortemque secum portare, ut verum haberi meretur, si respiciamus ad dispositionem naturalem & propriam humani corporis, quam ad morbos mortemque possidet pronissimam, ex mixtionis

tionis animalis fundamentis petendam: Mixtionem enim nostri corporis, tam respectu fluidarum, quam intuitu solidarum partium, haud firmam atque perennem durabilem, sed potius maxime corruptibilem, laxam, minime intime cohærentem existere, tam experientia a posteriori, quam ratio a priori firmissimis & irrefragabilibus argumentis suadet.

Experientiam si consulamus, quid quæso magis notorium existit, quam quod omni die, omnique hora videamus, quod corpus nostrum, quamprimum exanimatum existit, sibique relinquitur, quoad omnes sui partes, tam solidarum, quam fluidarum titulum nomenque gerentes, in corruptionem ruat putridam, eamque præsentem, tam fœtore summo, gravissimo, cadaveroso, putrido, quam cæteris paribus, dissolutione ac diffluxione putrilaginosa in omnium sensus cadente, satis manifeste commonstret.

Nec minus ab eadem experientia, optima rerum humanarum magistra, constat, ne vivum quidem corpus semper ab actuali corruptione liberum atque immune esse: tot enim tantaque in vita communi prostant exempla, viva quasi voce docentia, quod corruptio putrida, etiamsi non totum corpus, tamen certas ejusdem partes invadat atque corripiat; suique testimonium per sphacelationes internas & externas sæpissime edat.

Quodsi rationem a priori inquiramus, nostrique corporis mixtionem intueamur, ex physiologica percontatione constat, partes principales corporis elementares non nisi Terreas, aqueas, & oleosas esse, prout hoc in Organismo & Mechanismo Hominis vivi, Cap. tertio, abundan-

undanter demonstratum est; de quibus sufficienter notum est, quod nunquam intimam mixtionem inter se invicem ineant, sed intercedente quidem motu satis laxe cohæreant; deficiente autem motu locali, nullo plane negotio ab invicem secedant; & sub quiete, accedente motu caloris intestino, in putrilaginosam corruptionem fatiscant, fœtoremque concipiant.

Quibus præterea accedit, quod corpus nostrum tot inter objecta externa versetur, quæ toto die dissolutionem mixtionis, physico suo concursu facilitare, promovere, eique opitulari possunt: cujus census sunt partim ingesta alimentosa, quæ omnia ac singula sibi relicta corruptibilia sunt, & ante oculos nostros varie corrumpuntur, simulque rationalem conclusionem suppeditant, quod corpus illis nutritum, in hoc genere, haud melioris conditionis evadere possit, quam illæ materiæ fuere, quibus quotidie nutritum fuit: partim externa fermentatorii motus adminicula, calor nempe atque humiditas, quæ variis alternationibus sub aëre, corpus perpetuo ambiente, illud afficiunt, & varie alterando, varii generis læsiones producere possunt. Ut mentionem non injiciam variorum externorum objectorum, quæ structuram corporis mechanicam ab extra lædere possunt; hac ipsa autem læsione solidas partes affligente per indirectum diversis modis fluidis quoque partibus læsionem inducunt. Nec latet solertiores artis salutaris indagatores, indolem humorum nostri corporis talem esse, ut, licet optimi essent quales in œconomia animali concipi possunt, solo motu intestino, & motu per partes solidas attritorio, in pessimos degenerare valeant, variarumque impuritatum salinarum,

narum, sulphurearum, acrium, heterogenearum generationi inserviant. Talis sane est corporis nostri conditio, ut magis admirationem humanam mereatur, quod sub tali conditione per multum tempus durabile existat, nec longe citius corrumpatur, quam quod post aliquod tempus morbis, & morti tradatur, totumque destruatur.

Cum itaque notorium sit, quod homo non solum moriatur, sed quod morbi mortem antecedant, suique præsentia ordinarie mortis metum incutiant, Hominis vivi autem intersit, ut mortem pro viribus avertat; nec minus per gratiam Divinam humano generi benignissime concessum sit, ut per auxilia atque remedia naturalia huc facientia, scopo suo ex aliqua parte potiatur; factum est, ut Ars medica a tot retro seculis eum in finem inventa sit, eoque intendatur, ut, quantum in hominum potestate positum est, vita & sanitas illibata conservetur, simulque spes in eo posita remaneat, quod quasi obstetricante arte ruina fragilis nostræ domus avertatur.

Hinc Medici prudentiores eo incubuerunt, ut certa remedia invenirent, quibus ad morbos profligandos secure non modo, sed certo quoque uti possent, unde vetustissimi Medicorum per multifariam observationem & experientiam talia auxiliorum genera studiosissime collegerunt, quibus singulis afflictionibus morbosis mederi valerent: cum vero tristissima experientia, eaque quotidiana, eos docuerit, Vitam, secundum Hippocratis effatum, brevem, Artem longam, Experimentum fallax esse, numerumque morborum indies augeri, quo magis mortales a victus simplicitate, & laborum pluralitate recedunt,

dunt, & Medici, qui artis industria nomen suum famamque æternitati quasi consecraverant, non minus tandem se quoque mortales, ipsisque moriendum esse, proprio exemplo comprobaverint, optime edocti, unius, imo plurium Medicorum vitam haud sufficere, pro experimentis colligendis, quibus in omni morbo sine exceptione fidere liceat; Medicinæ antistites operam in eo navarunt, ut posteritati rationales leges & regulas relinquerent, quo secundum rationis ductum in similibus morbis incedere possint: quapropter artem salutarem systematico ordine comprehendere studuerunt, variasque partes Doctrinæ medicæ exstruxerunt, fundamenti loco inservientes, quo Praxis medica felicior nitatur.

Hunc in finem, cum optime perspectum haberent, Lineam rectam regulam quoque esse curvi, nec unquam declinationem in devias agnosci posse, nisi recta & regia via antea cognita fuerit, semper in Theoria medica status naturalis, vitæ ac sanitatis considerationem præmiserunt, nec minus ea, quæ naturali ordine & usu sanitatem & vitam conservare possunt ac solent, subjunxerunt: quo facto statum præternaturalem atque morbosum, tanquam prioris oppositum, ad examen vocarunt, morbum a sanitate distinxerunt, ejusque cognitionem generalem suppeditarunt, & cum sana ratio dictitaret, morbos nec præcaveri, nec fundamentaliter removeri posse, nisi causæ morborum veræ agnoscantur, evitentur, aut removeantur, fundamentis Physiologiæ & Hygieines jactis, alteram Theoriæ medicæ partem concinnarunt, cui Pathologiæ medicæ titulum imposuerunt, in qua de illis

agitur,

agitur, quæ homo morbidus patitur, & ut molesta sentit; atque in illorum indolem generalem æque ac specialem, causas, & consectaria, quæ Symptomata dici suëverunt, inquisiverunt; ut hac via semitam invenirent, qua sine hallucinatione ad remediorum legitimorum inventionem procedere possent, eaque adæquate & proportionate, pro intentione formata, in emolumentum sanitatis, vel conservandæ, vel recuperandæ, adplicare valerent.

Huic viæ, a veteribus æque ac recentioribus semper magni æstimatæ, ego quoque impræsentiarum insistam, dum ex officii ratione Auditoribus, qui hactenus meæ qualicunque curæ, in efformandis illorum ad Artem machaoniam ingeniis, sese concrediderunt, viam facilem atque securam pandere, mihi competit, qua olim in Praxi medica suscipienda & exercenda, secure incedere possint.

Hanc ob rationem ante biennium tractationem physiologicam, seu Considerationem Hominis vivi & sani, sub titulo **Organismi & Mechanismi in Homine vivo obvii**, præmisi, & luci publicæ exposui: ubi non modo Hominem ut vivum & sanum naturaliter constitutum, tam quoad partium structuram & mechanismum, quam quoad earundem mixtionem ob oculos posui, ejusque fragilitatem & corruptibilitatem respectu corporis materialis exposui, sed rationes simul evolvi & enucleavi, unde eveniat, hominem, etiamsi corpus tam fragile atque infirmum constanter secum ge-

rat, nihilominus per satis longum tempus in sanitate conservari, atque persistere posse; studiose inculcando, fundamentum conservationis, ex benignissimi Creatoris clementia, in ipso Homine vivo hærere, totumque conservationis actum a motibus variis organico-mechanicis, in corpore vivo perpetue obtingentibus, atque continua serie celebratis, dependere: quibus perficitur, ut Partes fluidæ in perpetua ac debita depuratione a variis heterogeneis mixtionem & consistentiam humorum lædentibus particulis, quæ ipsis sub alimentorum ingestione ac aliunde communicantur, conserventur, solidæ autem partes simul, sub eodem actu puri ab impuro separatorio, per appositionem & assimilationem partium lymphaticarum laudabilium, in perpetua nutritione stabiliantur, & ita fluidæ solidis, solidæque fluidis mutuum atque reciprocum officium conservatorium præstare possint.

Exposito ita statu hominis naturali, statim adjunxi regulas, de legitimo rerum non-naturalium usu: cum enim Res ab Antiquitate veneranda non-naturales dictæ, & numero senario, sub nomine Ciborum ac Potuum, Animi pathematum, Motus ac Quietis, Excretorum & Retentorum, Somni & Vigiliarum, & denique Aëris, inclusæ, ita nos ambiant, ut nemo mortalium illarum usu penitus carere possit, sed omni die earundem usum per vices admittere debeat, simul autem constet, quod pro diversitate applicationis, ab illis diversimode afficiamur, dum vel sanitatem obfirmant, vel lædunt, ratio sane postulat, ut harum rerum, tanquam in effectu ambiguarum, cum naturalia sanitatis præsidia existant, legitimus

usus

usus, excluso illarum abusu, quippe qui lædere solet, inculcetur; ne iisdem præsidiis, quibus vitam sanam conservare possumus, eandem morbosam reddamus.

Enixo ita primo in hoc genere ingenii fœtu, alterum nunc in lucem prodire sino, spe fretus, quod Tu, Benevole Lector, qui priorem benigne excepisti, alterum quoque tuo favore sis fomentaturus, quem si obtinuerit, mihi certe perinde erit, si uni aut alteri etiam displicuerit, cum omnibus placere ne Jovis quidem sit. Sisto autem Tibi Pathologiam medicam, quam Tibi exhibeo sub titulo prioris opellæ paululum mutato: siquidem enim illa sub Organismo & Mechanismo in Homine vivo obvio & stabilito tuis exhibita fuit manibus, ita præsentem inscribere placuit, Organismum & Mechanismum in Homine vivo labefactatum atque destructum.

Nullus dubito, quin Titulus ipsi Tractationi respondeat, & argumentum negotii pertractati comprehendat; sicut enim in priori scripto demonstravi, Sanitatem in conspiratione Organismi & Mechanismi, & debita, ordinata, proportionata motuum vitalium secretoriorum & excretoriorum hinc dependentium continuatione persistere; Vitamque essentialiter in præoccupatione corruptionis putridæ, & conservatione mixtionis animalis consistere; ita oppositum Sanitatis & Vitæ haud melius explicatum fore autumo, quam si Morbos & Pathemata molesta, Organismi & Mechanismi in motibus vitalibus

 secre-

ſecretoriis & excretoriis, labefactationem & læſionem quoad ordinem atque proportionem vel temporis, vel modi ac gradus vocemus, Mortem vero ipſam, totalem Organiſmi & Mechaniſmi deſtructionem, ipſiusque Putredinis inductionem ſub omnium motuum vitalium omnimoda ceſſatione, nominemus.

Agam itaque in altera hac Medicinæ theoreticæ parte de Paſſionibus morboſis, p. n. corpus humanum affligentibus, habito reſpectu principaliore ad Cauſas: cum enim mihi ſatis ſuperque conſtet, Medici officium in præſervatione & curatione morborum conſiſtere, neutram vero ſine cauſarum morbificarum evitatione aut remotione conſtanter, ſecure & tuto obtineri poſſe, hæc cauſa mihi movens fuit, ut in morborum cauſas tam generaliores, quam ſpecialiores inquirerem, easque præcipue eruerem, quæ non ficto quodam in mente, ſed vero naturali fundamento nituntur, & ita comparatæ ſunt, ut non modo in mente Medici compareant atque concipiantur, ſed actu in corpore humano vel generatæ adſint, vel ab extra corpus noſtrum lædant, & in quas Medicus, ſi non ſemper directe & immediate, tamen per indirectum agere poteſt, earumque effectus morbidos ac noxios vel tollere vel infringere valet.

Haud enim mihi omnes indagare cauſas remotiores aut remotiſſimas, easque percontari animus fuit, quarum conſideratio, (licet in ſe juſta) nihil, aut parum utilitatis ad ſcopum medicum afferunt, bene conſcio, multas illarum eſſe, quæ phyſico quidem nexu quidquam ad morborum productionem faciunt, ſed multas quoque

extra

extra Medici & artis potestatem positas esse, ut nullo modo illas corrigere aut removere valeat. Et ut verum dicam, licet harum causarum considerationem non rejiciam, neque in ipso tractatu ubique rejecerim aut omiserim, sed pro necessitate hinc inde notaverim, hoc saltim moneo, quod tales causæ sub scopo medico-pathologico-practico probe discerni debeant a reliquis proximioribus & principalibus, quæ proxime vim corpori inferunt, suiq; alterationem correctoriam, aut remotionem concedunt.

Idem quoque monendum duco circa modum operandi physicum causarum in corpus humanum, quod nempe Medico qua Medico (de Medico enim Physico non loquor) non semper necesse, nedum sæpissime utile sit, ex eo fundamento, ut causam ejusque productum, & utriusque nexum physicum inquirat, cum nulla hinc in ægrotum ejusque sublevationem redundet utilitas. Exemplo sit aëris effectus in corpus nostrum, de quo notissimum est, quod præcipue frigidus & siccus peripheriam æque ac humores sub illa hærentes, respective constringendo, aut inspissando alteret, excretionem periphericam turbet, ac diversimode sanitatem lædat.

Si in hoc casu nimis late Medicus exspatiari voluerit in considerationem physici nexus & modi operandi, per inquisitionem in figuram particularum aëris, aut earundem conditionis; an v.g. hunc suum effectum edant, propter figuram aculeatam, hamatam, rigidam, oblongam, quadratam, aut rotundam, vel ex principio acido, aut salso, aliove, physico quidem scopo, satisfaciet, ut curiosis etiam aliis conceptum de modo aëris agendi phy-

sico

sico formare possit, cum utique verum sit, certum corporum in corpora agendi modum, certam particularum figuram, formam, situm, motum, & conditionem requirere; verum si hæc ad medicum scopum adplicare voluerit, nullam sane utilitatem inde percipiet, cum nullo modo in ipsius potestate sit, hanc aëris conditionem corrigere, aut alterare & immutare, & per talem immutationem ipsius effectum in corpus ejusque humores impedire; sed simpliciter sufficiat, si evitationem aëris frigidi ut frigidi commendaverit, aut corpus ab illius injuriis debite præmuniverit.

Ut autem Lectori Benevolo sub frontispicio mox pateat, qualem in universa tractatione ordinem ac seriem servaverim, necesse est, ut sciat, præsens Opusculum in duas partes esse divisum, quarum prior Pathologiam generalem, altera Pathologiam specialem comprehendit.

Et cum intentio fuerit, in priore parte ea fundamenta suppeditare, quæ ad distinctum conceptum Doctrinæ pathologicæ, ab aliis Medicinæ partibus distinctæ, faciunt, nec non generalem Causarum morbificarum considerationem supponunt; hanc partem in novem capita dispescere libuit: ita ut in Cap. I. Pathologiæ necessaria præcognita tradam, simulque verum & proximum ejus Objectum declarem, quod Homo vivus secundum varios respectus constituit.

Cap. II. quid sit Morbus, & quid vero sensu medico per Morbum intelligendum sit, paucis declaravi.

Cap.

Cap. III. De Subjecto morborum considerationem necessariam subjunxi, idque triplex esse, demonstravi, quatenus nempe vel Genus humanum generice consideratum, vel Individua certa speciatim, vel specialissimo sensu Partes in singulis afflictionibus affectæ, pro tali declarari possunt ac debent.

Cap. IV. adjeci Morborum Differentias, quatenus vel Periodo, vel Typo, vel Indole, vel Causis, inter se discrepant, & ex his fundamentis in Scholis Medicorum variis distinctis nominibus insigniri solent; ita ut vel chronici, vel acuti, vel legitimi, vel anomali, vel benigni, vel maligni & contagiosi, epidemici, aut sporadici, congrui, aut incongrui, exanthematici, salutares, aut lethiferi, curabiles, aut incurabiles, audiant.

Cap. V. tractationem de Morborum Causis institui, easque generaliter secundum suas classes perlustrandas suscepi, quatenus vel proximiores, vel remotiores, materiales, aut immateriales, antecedentes, continentes, occasionales, aliæve existunt, horumque terminorum adplicationem ad morbos in genere ob oculos ponendam curavi.

Cap. VI. Doctrinam de Morborum Temporibus diversis pertractavi, respectu habito tam ad tempora morborum generaliora, quam specialiora, imo specialissima; explicando, quidnam in scholis medicis per singula intelligatur.

Cap. VII. perpendens, quod varia sub morbis singulis occurrant pathemata molesta, de quibus ægrotantes conqueruntur, quæ tamen neque Læsionem morbosam ipsam, neque causam morbificam constituunt, quam-

quam citra utriusque præsentiam non adsint; sed consectarium illarum constituant; tractationem de Symptomatibus suscepi morborum, eaque in essentialia, & minus essentialia seu accidentalia distinxi, & utrorumque fundamenta diagnostica demonstravi.

His ita prælibatis, considerans, quod sub afflictionibus morbosis, quibus corpus humanum subjicitur, vel fluidæ, vel solidæ ipsius partes in specie patiantur, læsæque existant;

Cap. VIII. Læsiones Humorum in genere, aut partium fluidarum, indicavi: quod nempe vel quantitate, & quidem excessiva aut defectiva, laborent: vel qualitate læsi existant; & sub qualitatis læsione tam consistentiæ & mobilitatis, quam mixtionis & puritatis læsiones in considerationem trahantur.

Cap. IX. considerando, quod Partes solidæ motuum instrumenta existant, & per illas motus in statu naturali & sanitatis ordinate & legitime administrentur, celebrentur; Motuum Læsiones ad examen revocavi, innuendo, duplici præprimis modo has læsiones in conspectum venire, dum vel excessu peccant, & exacerbati dicuntur, vel defectum in comparatione ad statum naturalem arguunt, & Defectivi nominantur.

His ita pertractatis, cum fundamenti loco sufficere mihi visa sint, & ad singulos morbos respective, cum emolumento adplicari possint, hanc partem priorem obsignavi, transitum faciendo ad alteram, nimirum

Pathologiam Specialem.

Hanc Partem ita pertractandam suscepi, ut ad tres generales classes Morbos, a causis internis provenientes, dispe-

dispescerem, respectum habendo partim ad Humores, partim ad partes solidas. Unde tres adornavi Sectiones: quarum prima Morbos ex Vitio Sanguinis; secunda Morbos ex Vitio Humorum Particularium, tertia vero Motuum læsiones & anomalias comprehendit.

Series tractationis ita adornata est, ut Sectionem primam in IX. Capita divisam Tibi offeram, & Cap. I. De Plethora ejusque existentia agam, eamque ut causam generaliorem plurium morborum proponam, simul ac ipsius ortum & causas inquiram.

Cap. II. proximum & naturale Plethoræ consectarium, Hæmorrhagias in genere considerat, earum Differentias & Causas generales ac universaliores perpendit. Quam considerationem

Cap. III. sequitur præmissorum proximior adplicatio, ad Hæmorrhagias singulas in specie, quæ singulatim, secundum corporis regiones diversas, perpenduntur, earumque causæ speciaIiores, imo specificæ, suppositis nempe generalioribus, explicantur, quo innotescat, quo modo singula species hæmorrhagiarum per causarum peculiarium accessum, & proximiorem dispositionem excitentur.

Cap. IV. proximum Hæmorrhagiarum, si nimiæ forsan fuerint, consequens pertractat, & Defectum Sanguinis, cum ipsius consectariis, in sanitatem & nutritionem redundantibus, perlustrat.

Cap. V. oppositum Hæmorrhagiarum pertractat, Suppressiones puta Evacuationum sanguinearum naturalium, & causas suppressionis Hæmorrhagiæ narium, Fluxus menstrui, Lochiorum, ac Hæmorrhoidum, perlustrat.

Cap. VI. in considerationem venit, quod Hæmorrhagiæ non sine apparatu motuum, & Naturæ directione contingant, sed ad loca excretionum sanguis compellatur, unde de Congestionibus, & Moliminibus congestoriis sanguineis, generalis consideratio instituitur.

Hanc Cap. VII. excipit consideratio Effectuum molestorum, quæ motus congestorios tunc potissimum sequuntur, quando excretiones hæmorrhagicæ ad finem non perducuntur, sed sanguineæ congestiones in locis vicinis subsistunt, & sanguis partes solidas in loco congestionis & restagnationis extendendo, vel opprimendo & opplendo, varias pro diversitate congestionis, molestias; ex parte dolorosas parit. Quo intuitu hic loci Capitis affectus dolorosi, vertiginosi, Pectoris infarctus & Tusses, cum Phthisi, Affectus renales, Nephritico-calculosi, nephritici spurii, & apostematico-ulcerosi; Hæmorrhoides cœcæ, Pathemata Hypochondriaco-Hysterica, cum Scirrhositatibus Hepatis atque Lienis pertractantur.

Cap. VIII. Materiam Inflammationum suscepi, easque ex genuinis fontibus deduxi: unde ex classe Externarum inflammationum, Erysipelas, Angina, Synanche, & Tonsillarum inflammatio, ex internis vero Phrenitis, cum Paraphrenitide, Peripneumonia, Pleuritis vera, Empyema, Pulmonum Vomica, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Vesicæ, Uteri inflammationes, cum ultimo & funesto Inflammationum internarum consectario, Sphacelo interno, in conspectum veniunt.

Cap. IX. Tractationem de Febribus aggreditur; & postquam ea, quæ generaliore nexu huc spectant, prolata sunt, ad singulas species progreditur; primo pertra-

ctando Febres acutas simplices atque benignas, tam a causa sanguinea puriore, quam admixta lymphali, & biliosa oriundas, atque sub hoc titulo, Ephemeram, Synochum, Catarrhalem benignam, Cholericam, Biliosam ardentem, cum Scarlatina, & Papulari, exponit. Deinde contagiosas & malignas, & hoc nomine Pestem cum Febribus pestilentialibus, Febrem petechialem & petechizantem, Variolas, tam veras, quam spurias, Morbillos, Purpuram malignam, percontatur. Quo facto Febres compositas, & duplicatas perlustrat; tandemque ad Chronicas pergit; & pertractatione tam Lentæ & Hecticæ, quam Intermittentium, Quotidianæ, Tertianæ & Quartanæ, subjungendo Anomalas, Corruptas, & Symptomaticas, universæ Sectioni Pathologiæ specialis primæ finem imponit.

Sectio secunda Morbos ex Vitio humorum particularium pertractans, quinque absolvitur Capitibus.

Quorum Imum morbosa Bile particulares, Icterum, cum Diarrhœa biliosa pervolvit.

Cap. II. Morbos ex vitio Lymphæ & Seri pertractans; tam horum humorum stases & extravasationes, quam eorundem congestiones & restagnationes particulares perquirendo, Cachexiam & Chlorosin, Affectus hydropicos & œdematosos, Tympanitem veram ac spuriam, Coryzam cum adnexis, ôphtalmiam serosam, Cephalalgiam hujus nominis, Tusses & Asthmata, Catarrhum Suffocativum, Vomitum, Diarrhœam, & Ventris profluvia, Scirrhos, Atrophiam, cum externæ cutis Defœdationibus variis atque diversis ad perlustrandum proponit.

Cap. III. Adfectus Venerei pertractantur: cum sequens Cap. IV. Pollutionem, & Fluorem Mulierum album benignum, ob oculos ponat.

Cap. V. Vitia excretionis Urinæ pervolvuntur, sub Titulis Diabetæ, Ischuriæ, Dysuriæ, Stranguriæ: & ita hæc altera Sectio absolvitur.

Sectio denique tertia Morbos ex Motuum vitio oriundos perpendens, præmissis generalioribus, in duo Capita divisa existit; ita ut

Cap. I. Motuum exacerbatorum vitia recenseantur, atque in illo, Cordis palpitatio, Spasmi & Affectus arthritici, Asthma convulsivum, Dolores colici, Cardialgia, cum Pathematibus convulsivis & epilepticis, nec non affectibus Maniacis pertractentur.

Cap. II. Defectus Motuum, tam particulares, quam universales perpendit, ideoque Affectus apoplecticos, Comatosos ac somnolentos, Memoriæ debilitatem, Incubum, Lipothymiam cum Syncope; & ultimato ipsam Mortem exponit.

Tractationem Morborum singularium pathologicam ita institui, ut post singuli affectus Definitionem aut Descriptionem realem, Subjectum, tam generale, quam speciale exponam, subjunctis veris ac genuinis Causis, tam proximis & immediatis, quam remotioribus antecedentibus, & occasionalibus, eo ordine, quo in morborum generatione se invicem excipere solent.

Non diffiteor, hunc tractationis ordinem forsan aliis nimis diffusum, & minus concinnum videri posse, cum sufficere fortassis ex illorum mente posset, si Causæ simpliciter allegatæ, & posthabito illo ordine, recensitæ

essent:

essent: verum Ratio movens, cur rem ita disposuerim, fundata est in Utilitate majore, quam Auditorio meo, in cujus gratiam Scriptum hoc potissimum prodit, inde polliceor. Cum enim longa & multiplici experientia edoctus maxime compertum habeam, quantum difficultatis Juniores Practicos premat circa methodicam Casuum resolutionem, & inventionem veri ordinis in methodo medendi, & formandis Indicationibus practicis, secundum ordinem & nexum causarum, & quænam felicitas & facilitas Curationis posita sit in legitima, facili ac cita Causarum se invicem excipientium enucleatione, ne ex confusa causarum cognitione confusa & sæpe perversa Medicatio oriatur, hoc felicitatis practicæ genus suavissimis meis Auditoribus præripere nolui, sed potius ipsis occasionem publicam præbere volui, ut una fidelia duas parietes dealbare, i. e. Causarum morbificarum cognitionem, simulque habitum in Resolutione casuum practicorum sibi comparare possint; præprimis, cum totum negotium Praxeos clinicæ circa lectos ægrorum, in perpetua ac prompta Casuum resolutione extemporanea consistat, & hac methodo aptiores reddantur, ut sub Visitationibus ægrorum in omnis generis causas inquirere, easque per quæstiones apud ægrum instituendas cognitas sibi facere queant. Nec dubito, quin hæc utilitas pluribus etiam in Praxi jam constitutis Medicis ad palatum grata fuerit; quamvis enim me non lateat, exercitio practico solerti, atque attento, hunc habitum comparari posse, nemo tamen unquam inficiari poterit, plures requiri annos, antequam proprio studio eousque deveniamus, ut difficultates ejusmodi medicas vincamus, ne dicam,

non cuivis contingere, adire Corinthum: mei officii esse reputaui, ad minimum respectu Auditorii mei eo allaborare, ut Studium medico-practicum pro viribus facilitetur.

Quem finem, si pro spe concepta obtinuero, sane mihi gratulor, certe persuasus, laborem meum non esse frustraneum. De reliquo monendum esse duxi, paucos quosdam morbos forsan occurrere, quorum mentio in tractatu nostro haud facta est, qui tamen vel in Manuductione mea ad Chirurgiam rationalem, ut externi jam pertractati sunt, vel B. c. DEO, peculiari labore, quem De affectibus Puerperarum & Infantum Pathologico-practice exarandum meditor, pertractari debent: vel tales demum sunt, de quibus, tanquam in nostris oris plane alienis, nil nisi aliorum verba, transcribere potuissem, cui labori autem supersedere placuit.

Ceterum idem scribendi genus, eandemque methodum retinui, quam in parte physiologica adhibui, cum expertus sim, hanc methodum si non apud omnes, tamen apud plurimos applausum invenisse, eamque Auditorio utilissimam esse.

Accipe igitur, Benevole Lector, meum laborem eo quo tibi offertur animo sincero, utere illo cum fructu & emolumento, & Sphalmata quæ vel ex culpa amanuensis, vel Typothetæ irrepserunt, benevole emendes, nec desinas credere, Me semper labores meditari, qui tuo usui inservire valent. Dabam in Alma Fridericiana: D. XXIV. Septembris,

MDCCXXVII.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

PATHOLOGIA GENERALIS.

PATHOLOGIA SPECIALIS.

Sectio Prima.

De Morbis ex Vitio Sanguinis.

CAP.

De

CAP. VIII.

CAP. IX.

Sectio Secunda.

De Morbis ex Vitio Humorum Particularium.

CAP. I.

CAP. II.

Sectio

Sectio Tertia.

De Morbis ex Vitio Motuum orientibus.

CAP. I.

CAP. II.

PATHO-

Pathologiæ Medicæ
PARS PRIMA,
SISTENS
PATHOLOGIAM GENERALEM.

Caput I.
DE PATHOLOGIA IN GENERE.

I.

P*athologia medica tanquam altera pars Theoriæ medicæ, Hominem considerat in statu præternaturali atque morboso.*

Schol.

Quemadmodum Physiologia medica notitiam suppeditat de statu hominis vivi naturali, modumque declarat, quo corpus nostrum, ex materia heterogenea, & valde fragili compositum, inter tot tantasque externas injurias naturalem suum statum habeat atque retineat, & sanum dicendum sit, simulque criteria certa præsentis sanitatis subministrat, in variis diversisque actionibus & functionibus nostri corporis,

quæ partim animales, partim vitales aut naturales audiunt, sese manifestantia: ita, cum quotidie videamus, homines ægrotare, nostrumque corpus variis diversisque morbis subjici, doctrina pathologica ex opposito considerat statum corporis humani vivi præternaturalem atque morbosum.

II.

Pathologia est doctrina de MORBIS, *eorum* SYMPTOMATIBUS, *& utrorumque* CAUSIS.

SCHOL.

Suppeditat enim hæc doctrinæ medicæ pars ea, quæ morbum stricte concernunt, ejusque fiendi modum declarant, ex veris & genuinis causis. Unde tam læsionem ipsam ejusque formalitatem, cum subjecto generali & speciali, quam ejus consequentias aut symptomata, præcipue essentialia, & causas, quæ vel læsionem simpliciter, vel symptomata produxerunt, contemplatur, modumque, quo partim causa & læsio, partim symptoma cum læsione cohæreat, & unum ex altero vel manifeste, vel maxima probabilitate producatur.

III.

Objectum pathologiæ generale est corpus humanum vivum, vel homo vivus: quatenus dispositioni morbosæ subjicitur.

SCHOL.

Quoniam pathologia eam ob causam corpus humanum considerat, ut læsiones ipsi illatæ post cognitionem causarum, quantum possibile, removeantur, & sanitas restituatur, necesse est, ut corpus in tali existat statu, sub quo hæc intentio impetrari potest: Cum autem hoc in corpore demortuo fieri nequeat, necessario superioris asserti veritas elucescit.

IV.

Objectum pathologiæ speciale constituunt morbi & pathemata, quibus corpus humanum affligitur, una cum causis, a quibus producuntur.

SCHOL.

Primaria enim cura medici nunc in eo consistit, ut in causas veras inquirat, quæ morbum aut symptomata vel produxerunt, vel produce-

ducere valent, five illæ fint in ipſo corpore prognatæ atque hærentes, ſive ab extra ad corpus delatæ, illudque varie alterantes.

V.

Hoc ipſo Pathologia ſeſe diſtinguit ab aliis medicinæ theoretica & practicæ partibus, quæ, licet etiam circa morbos verſentur, tamen non eodem reſpectu circa illos occupatæ eſſe ſolent.

Schol.

Ita enim Pathognomia & Semiologia medica circa morbos, ſtatumque hominis morboſum hærent, ſed neque ipſam formalitatem paſſionis, neque ſymptomata accedentia & morbum ſequentia, nec multo minus morborum atque ſymptomatum cauſas evolvunt; verum tam circa ſigna morborum communiſſima, vel morbum generatim adeſſe indicantia, & ſigna prognoſtica: quam circa ſingulorum morborum, ſpecie ab invicem diſtinctorum, ſigna eſſentialia & diſcretiva occupatæ manent.

Nec minus Therapia ipſa rem habet cum morbis eorumque cauſis, ſed longe alio reſpectu quam Pathologia, dum unice morborum atque cauſarum morbificarum remotioni ſtudet per remedia appropriata, aut per certas & adæquatas regulas, morbos, cauſasque illas producentes, præoccupare & antevertere conatur.

Pathologia autem primo morbum ipſum, in quo conſiſtat, & quinam ſit, conſiderat; deinde conſequentias moleſtas, morbum ipſum vel ſequentes, vel comitantes perpendit, & denique cauſas evolvit, unde tam morbus, quam ſymptoma originem duxit, ſimulque rationalem inquiſitionem inſtituit, qualis connexio morbum & cauſam, vel ipſas cauſas diverſas intercedat, & quo ordine ac modo fiendi hæc ita inter ſe invicem conſpirent.

VI.

Pathologia merito dividitur in Pathologiam phyſicam & medicam.

Schol.

Illa ſolis ſpeculationibus phyſicis inhæret, omneſque percontatur ſine diſcrimine cauſas, a quibus phyſico nexu modoque fiendi, læſiones produci poſſunt. Hæc vero, medica nempe Pathologia,

eas potissimum rimatur causas, quas per artem & artis instrumenta vel corrigere, vel removere potest, vel quorum effectus proximos ad minimum ita infringere valet, ut æger ad pristinam reducatur valetudinem.

VII.

Physica pathologia in se spectata ad medicum, qua talem, nihil pertinet, nec ullam ipsi praestat utilitatem, quippe qui per causarum, ad physicum forum solum pertinentium, licet accuratissimam considerationem ac inquisitionem, plane nihil ad morborum sanationem contribuere possit.

SCHOL.

Ut rem aliquo modo clariorem reddamus, exempli loco adducere libet, quod sciamus, aërem tam frigidum nimis, quam excessive calidum, varios in corpore humano producere affectus morbosos, tam humores quam partes solidas, earumque fibras motrices afficiendo, & alterando, quo ipso secretiones & excretiones varie turbantur, & ita per consequens sanitas læditur. In hoc casu pathologia physica jure meritoque occupata est circa indagationem accuratam physici nexus, causam & effectum intercedentis; unde inquirit, quænam particulæ aëris hunc vel illum in corpore effectum producere possint, an particulæ hamatæ, rotundæ, obtusæ, acuminatæ, salinæ, sulphureæ, aut quæcunque aliæ, & quonam agendi modo physico & materiali id efficiant: an v. g. aër frigidus principio quodam acido specifice humores coaguler, atque inspisset, aut fibrosas partes constringat, ut inde excretiones periphericæ impediantur.

Quod si itaque medicus secundum hanc physicam causarum contemplationem, rem aggredi, atque secundum ordinem ad therapiam progredi vellet, necessarium maxime esset, ut primario de particularum aëris noxiarum correctione & alteratione sollicitus esset, cum utique non negari possit, eas simul humorum mixtionem aliquando penetrare, ideoque talia eligenda esse remediorum genera, quæ exacte figuris illis particularum aërearum opposita

ſita eſſent, & ita plane phyſico atque pure mechanico operandi modo dictas particulas in corpore corrigere, alterare, invertere atque expellere poſſent, ut ita per remotionem cauſæ effectus etiam removeatur.

Quis autem non videt, has intentiones & indicationes licet phyſico reſpectu legitimas, extra medici poteſtatem poſitas eſſe, nec non ipſum ſuppoſitum nexum cauſalitatis, quoad poſſe quidem probabilem, quoad eſſe autem nondum penitus evictum eſſe, multo minus autem inventionem remediorum plane appropriatorum, & ſpecifice quadrantium facilem eſſe.

VIII.

Sola autem pathologia medica vera utilitatem habet in foro medico.

Schol.

Hæc in modo citato caſu contenta eſſe poteſt ac debet, ſi notorium ſit, quod aër frigidus, qua frigidus, non modo fibras cutaneas ſenſibiliter afficiat, & ad conſtrictionem diſponat, ſed ſimul humores ſub ambitu corporis hærentes, revera ſpiſſiores reddat, eoque ipſo partim humores, partim fibras, in motu ſuo alterando, tranſpirationem impediat, impuritatum coacervationi faveat, & ita ſanitatem lædat.

Ex hac conſideratione, partim ipſius facti revera obvii, partim etiam modi, quo noxæ inde pullulantes ſeſe invicem excipiunt atque producunt, (quæ conſideratio vere medica eſt) emergit illud conſilium practicum, pro ſanitatis reſtitutione neceſſarium; quod humores coagulati aut inſpiſſati iterum ſint attenuandi, & reſolvendi, pori autem cutis referandi, eumque in finem fibrarum ſpaſmus inductus relaxandus, quo impuritates hactenus collecti liberum denuo inveniant exitum atque egreſſum: nec non impoſterum corpus per ſufficientia integumenta, aut per plenariam aëris frigidi ſimplicem evitationem, ab ejusdem injuriis præcaveri debeat & poſſit, ne de novo easdem moleſtias incurrat: Quo ipſo ſane omne id impetrabit medicus, quod pro reſtituenda & conſervanda ſanitate neceſſarium exiſtit.

Unde patet, longe aliam esse considerationem Pathologiæ medicæ, quam physicæ, prout alio exemplo, de vulneris differenti consideratione, idem illustris Stahlius ob oculos posuit.

IX.

Pathologia medica vera requirit vera principia & fundamenta, e quibus rerum in hoc foro contingentium, rationes vel manifestissimæ ac firmæ, vel per legitimam consequentiam ad minimum maxime probabiles, erui possunt.

SCHOL.

Siquidem in superioribus jam indigitavimus, pathologiam physicam nudam & solam, ad medicinam inde faciendam neque pertinere, neque sufficere; ita maxime monendus est medicus, ne in ejusmodi principiis & fundamentis solus quasi & unicus hæreat, quæ hisce caussarum enodationibus nimium immorantur. Nullatenus quidem rejicimus hic studium physicum, sed utique in ea sumus sententia, quod Physica in planioribus reddendis morborum caussis, si rite adplicetur, magnum adferre possit lumen, unde hoc sensu illam quoque commendamus. Præter hanc autem, tanquam necessaria veræ Pathologiæ fundamenta, commendamus structuræ corporis, & officii singularum partium debitam notitiam: ex hac enim ea potissimum explicare poterit medicus, quæ ad corporis mechanismum pertinent, nec sine ejus fundamento explicari possunt. Deinde huc quoque pertinet vera status naturalis contemplatio, & consideratio justa vitæ, & ordinis vitæ ac sanitatis, cum ponderatione rerum illarum, quæ in statu naturali sanitatem juvant; ita enim facili negotio ad illorum cognitionem quoque perveniet, quæ ordinem naturalem turbare possunt. Quibus ultimo adjungimus observationes veras, circa morborum historiam collectas, a quibus comparationem instituere poterit ad casus similes, cui negotio haud minimum luminis adferunt repetitæ hominum variis ægritudinibus defunctorum sectiones, quæ, si sæpius sibi respondeant, & idem declarent, tanto certiorem in enucleandis similibus casibus, & inveniendis caussis, reddere possunt medicum.

CA-

CAPUT II.
DE MORBIS.

I.

***M**orbus ſenſu medico, & quidem ſtrictiore ſumtus, eſt læſio quædam, ſive in partibus ſolidis, quoad ſtructuram, & continuitatem, aut illarum officium; ſive in partibus fluidis, quoad quantitatem, aut qualitatem, contingens: quæ vel phyſico, vel morali nexu, actionum vitalium, naturalium, aut animalium perturbationem, aut extraordinariam intenſionem poſt ſe trabit.*

SCHOL.

Dicitur equidem communiter, & ex vulgari ſententia morbus omne id, quod principaliter patitur æger, & tanquam moleſtum aut periculoſum ſentit: de quo dici poteſt, quod præter, aut contra naturalem ſanitatis ſtatum, in corpore contingat. Verum enim vero, ſi hanc morbi definitionem rite ponderemus, ſatis manifeſte eluceſcit, eandem haud adæquatam, nec ſufficientem eſſe, cum hac ipſa definitione morbus a ſymptomate non debite ac legitime diſtinguatur, certiſſimumque ſit, ſymptoma æque moleſtum, & pro re nata ſæpiſſime æque periculoſum eſſe, ac ipſum morbum.

II.

Hoc ſenſu atque intuitu læſio talis, quam ſtricte morbum vocamus, aliquando jam actu præſens, aliquando vero imminens, aut ad minimum incipiens ſaltem eſſe poteſt.

SCHOL.

Læſionem actu jam præſentem vocamus talem partium vel fluidarum, vel ſolidarum, a ſtatu naturali declinationem, quæ manifeſto, aut ſatis probabiliter in ſenſus incurrit, ſuamque præſentiam per ſigna ſatis certa declarat: imminentem vero, aut quaſi incipientem læſionem

nem dicimus, quando v. g. dispositio quidem proxima ad notabilem vel solidarum vel fluidarum partium, quoad structuram, aut mixturam, a causa præsente præsto est, ita ut natura aliqualem ad minimum æstimationem moralem de illa instituere possit, motusque læsioni tali proximæ metuendæ opponere valeat, atque necesse habeat. Sic priori intuitu vel actualis sanguinis spissitudo, vel ipsius abundantia excessiva, vel solidæ alicujus partis obstructio & infarctus, læsionem præsentem, respectu humorum partim quantitatem, partim qualitatem afficientem, respectu solidæ autem partis, officium ipsius lædentem constituit, contra quam natura necessario pro viribus insurgere debet, ut tempestive removeatur.

Posteriori sensu, sub morbis, quos malignos vocamus, causa morbifica adesse potest, & quidem peregrina, intimiore insinuatione & diutiore innidulatione mixtionis dissolutionem certo productura; quæ tamen tunc temporis, ubi natura motus salutares pro ejus excretione suscipit, ipsam mixtionis animalis dissolutionem nondum produxit, sed præsentia sua proxime illam minatur, aut forsan levissimo saltem gradu nocere cœpit, interea tamen ansam præbet, ut natura illius excretionem tempestivam, debitis hunc in finem susceptis motibus, curet.

III.

Non semper id, quod communi loquendi modo morbum vocamus, revera morbum aut læsionem constituit.

Schol.

Primo intuitu hoc assertum paradoxon videri potest, si quis diceret, febrem non esse morbum: interea verissimum manet assertum, sui legitimam considerationem apud medicos practicos maximopere urgens. Notissimum quidem est, in communi non solum vita, sed a medicis etiam, molestiis illis, de quibus ægri plurimum conqueruntur, sæpissime morborum nomen imponi; cum tamen minime hoc nomen mereantur, illamque læsionem sive factam, sive metuendam, non constituant, cui Medicus necesse haberet, ut obviam iret, aut directe consilia sua opponeret, aut quam studiose oppugnare deberet; etiamsi ipsius

ipsius officii sit, ut hasce quoque molestias, per læsionis, aut causarum lædentium remotionem, removere studeat.

IV.

Sunt potius illæ, de quibus ægri conqueruntur, sensationes molestæ, etsi non omnes, tamen plurimæ, & frequentissime, nil nisi motus naturæ autocratici, quibus ceu remediis naturalibus atque domesticis, pro corrigenda, aut foras eliminanda causa morbifica, & læsione præsente removenda, aut imminente præoccupanda, optimo & salutari consilio utitur.

SCHOL.

Hoc assertum ut clarius illustremus, necesse erit, ut brevissime ex physiologicis in memoriam revocemus, corporis nostri admodum fragilis, summeque corruptibilis conservationem ac præservationem ab actuali putredine, post ingestionem illorum, quæ illud nutrire possunt, primario, imo unice impetrari per motus secretorios & excretorios, quotidie in corpore vivo & sano fientes, ac debito ordine continuatos; qui motus, cum in statu naturali & quotidiano non nisi materias consuetas, ordinarias, & quotidianas pro objecto habeant, nulla extraordinaria exacerbatione aut excitatione indigent, sed placide, ac sine molestia a natura peraguntur; ita ut sub illorum ordinaria continuatione, debito vigore, omnes quoque actiones corporis vivi, sive vitales, sive animales, aut denique naturales, vigere dicantur.

V.

Omne id, quod ita placide & ordinarie in statu naturali & sano quotidie contingit, id essentialiter quoque accidit in plurimis morbis, nec nisi gradu aut ordine differt ab eo, quod naturale audit.

SCHOL.

Cum enim res præternaturales, i. e. causæ morbificæ, sive in corpore progenitæ, sive ab extra in corpus delatæ, vel veram læsionem humo-

rum aut partium solidarum produxerint, vel proxime illius inductionem minitentur, natura autem in sua proxima potestate nil nisi humores, ac motus habeat; sane non contrariatur rationi, quod per eosdem, quibus adsueta quotidie est, motus secretorios & excretorios has causas morbificas, tanquam præternaturales & heterogeneas, removere studeat, & cum materia excernenda sit vel quantitate vel qualitate extraordinaria, motus quoque extra ordinem dirigat, atque intendat, iisque invigilet, & pro re nata, atque periculi diversitate, vitalibus actibus magis invigilando, reliquis, tanquam in comparatione cum illis, tunc minus necessariis, in tantum supersedeat.

Unde fit, ut varia pathemata in corpore sentiantur minus consueta & extraordinaria, qualia v. g. sunt frigus aut æstus p. n. sub ita dicta febre, & hinc dependens præcordiorum anxietas, capitis dolor, sitis, lassitudo, sudor, appetitus dejectio, vigiliæ, rubor faciei, aliaque, quæ secundum morem receptum tam ad morbum, quam ad symptomata referuntur, cum tamen, si verum dicere fas est, ipsa febris non pro morbo aut læsione ipsa, sed potius pro salutari naturæ actu, contra læsionem suscepto, sit habenda.

Id quod in pluribus adhuc morbis, sub pathologia speciali clarius evadet, & summam in medicina practica utilitatem habet, quo medicus ansam ubique capiat motus illos naturæ salutares quocunque modo sublevandi, aut si quoad ordinem vel gradum a recta reclinent via, in justum ordinem redigendi: quippe quod verum existit medici officium, in eo consistens, ut verus sit naturæ minister.

VI.

Morbi superius data definitio tollit quoque alias morborum divisiones, minus utiles, aut plane fictitias.

SCHOL.

Cum enim in antecedentibus dictum sit, morbum esse læsionem aliquam, sive in partibus solidis, sive fluidis, secundum divers[illegible]s citatosque respectus occurentem, non opus erit tritæ alias atque consuetæ divisionis morborum, qua dispescuntur in morbos conformationis, compositionis, læsæ unitatis, & intemperiei: morbi enim conformationis, compositionis, & læsæ unitatis respiciunt partes solidas, earumque structuram & officium: morbi autem intemperiei respiciunt humores, eorumque crasin vel qualitatem, de quibus imposterum plura erunt dicenda.

Longe

Longe minoris autem neceſſitatis ac utilitatis eſt repetitio ſubdiviſionis veteribus uſitatæ, qua morbos diviſerunt in morbos intemperiei, quatenus cum vel ſine materia exiſtunt, cum ſane intemperies ſine materia ſit non-ens, ſive ens phantaſiæ, & intemperies ſit qualitas materiæ ſubſtratæ, de qua loquimur, ita ut abſonum ſit, materiam a qualitate ſeparare velle. Quapropter hæc tanquam ſupervacanea relinquimus, & ſuo loco ea, quæ de morborum differentia dicenda ſunt, reſervamus.

Caput III.

De Subiecto Morborum.

I.

Subiectum morbi generaliſſimo ſenſu dicitur id, quod morbum patitur.

II.

Cum hoc intuitu ſecundum diverſos reſpectus diverſa morborum ſubjecta in conſpectum venire poſſint, ſatius eſſe putamus, ſi triplex morborum ſubjectum conſtituamus: unum nempe generale, alterum ſpeciale, & tertium ſpecialiſſimum.

III.

Generale morborum ſubjectum aliud haud conſtituendum erit, quam homo vivus.

Schol.

Hic unice eſt, de quo in tota pathologia medica ſermo eſt: quamvis enim notiſſimum ſit, bruta quoque ægrotare, morbisque ſubjici; nunquam tamen medico res eſt cum illis, ſed huic ſolum corpus humanum vivum concreditur, ut ejus ægritudinibus medeatur, atque ſuccurrat, quoniam illud ex naturali ſua conditione mixtionis ad morbos & læſiones admodum pronum exiſtit, & per hujus læſionem actiones animæ quoque diverſimode læduntur.

IV.

Alterum, nempe speciale magis morborum subjectum constituunt individua singula, quæ diversis respectibus morbis subjiciuntur.

SCHOL.

Quamvis enim homines in genere præ brutis, ægritudinibus afficiantur, nihilominus tamen non unus æque ac alter hominum, pari facilitate, gravitate, duratione, continuatione, recursu atque frequentia, morbis subjicitur, sed unus præ altero firma magis sanitate gaudet, aut majorem ad morbos dispositionem possidet, iisque sæpius, frequentius, facilius subjicitur.

V.

Ratio hujus differentiæ individualis dispositionis ad morbos desumi debet a variis circumstantiis, vitam humanam comitantibus, & excipientibus, partim naturalibus, partim non naturalibus.

SCHOL.

Sic enim ætas, sexus, diæta, genus & regimen vitæ, hæreditaria dispositio, & consuetudo, variis respectibus symbolum suum huc conferunt, quod ut patescat, singulas has circumstantias breviter percurremus.

VI.

Ætatem si consideremus, ordinarie facilius in genere morbis subjiciuntur pueri & senes.

SCHOL.

In utraque hac ætate enim utplurimum comparative quasi deficit partium solidarum robur tonicum, quod pro vegeta motuum secretoriorum & excretoriorum prosecutione requiritur; unde impuritates, præcipue serosæ mucidæ, in sanguine & reliqua humorum massa augentur, digestionem ciborum, æque ac circulationem humorum deinde impedientes, viresque reliquas successive supprimentes: cum e contrario ætas virilis vegeta, vegetas quoque secretiones & excretiones conjunctas habeat, quibus sanitas quoque magis illibata conservari potest.

VII.

VII.

Sexus disparitatem si inquiramus, & perpendamus, quinam præ altero, ex causis illi inhærentibus, morbis subjiciatur, sane sequior sexus pronior non modo ad morbos, sed revera magis, frequentiusque subjectus deprehenditur morbis, quam virilis, & hoc varias ob causas, in sexu virili non occurrentes.

Schol.

Sic enim viri excretioni illi sanguineæ ordinariæ, & inevitabili, per fluxum menstruum subjecti non existunt, ideoque nec illis affectibus solennioribus, qui hujus fluxus turbationes sequuntur, obnoxii evadunt: & quamquam quodammodo in contrarium allegari posset evacuatio hæmorrhoidalis, quæ in viris similia incommoda, si turbata fuerit, inducere possit; notorium tamen est, hanc excretionem, licet multos corripiat, quoad numerum, viros, tamen nequaquam omnibus, multo minus, quamprimum puberes fiunt, familiarem esse, id quod ratione fluxus menstrui omnibus fœmellis, postquam pubertatis terminum attigerunt, obtingit, aut ad minimum secundum naturæ leges obtingere debet.

Unde patet, incommoda & sanitatis pericula, turbatam hæmorrhoidalem excretionem excipientia, in sexu virili longe rariora quoad numerum esse & comparationem, quam in fœminis noxæ sanitatis, a mensium vitio pullulantes. Ne dicam speciatim de occasionibus labefactatæ sanitatis, a graviditate, puerperio, fluxu lochiali, lactatione infantum, aliisque, a quibus omnibus ac singulis immunes manent viri, corripiuntur fœminæ.

VIII.

Sic quoque hæreditaria dispositio ad certos quosdam morbos proniora reddit individua, ad eos nempe, quibus parentes, aut agnatorum antecedentium aliqui subjecti fuerunt.

Schol.

Sicut enim totum negotium hæreditariæ dispositionis fundatum est in consuetudine motuum & similitudine temperamentorum, qua gaudent

dent subjecta; ita haud difficile est intellectu, quomodo morbidæ passiones ex hoc fundamento ortum ducere possint: si enim infantes sub formatione sua easdem obtineant, quoad numerum, densitatem aut laxitatem, robur aut mollitiem, fibras partium solidarum, eosque quoad conditionem fluxilitatis aut spissitudinis, humores, quibus gaudent parentes; necesse est, quod similis quoque ordo ac consuetudo motuum vitalium secretoriorum inde emergat. Unde etiam sane est, quod multi infantes parentibus quoad formam & animum ita similes sint, & ii, qui maximam cum illis similitudinem habent, omnium facillime quoque morbis parentum corripiantur: quorsum tamen non minus facit consuetudo morum, a parentibus ascititiorum.

IX.

Etsi hæreditaria dispositio magnum quidem jus in liberos habeat, nullatenus tamen absolutus effectus, in propagatione morborum, illi est tribuendus & adscribendus, ita ut deficientibus licet omnibus aliis concurrentibus causis, tamen necessario iidem morbi apud liberos progigni deberent.

Schol.

Notandum enim est, hæreditariam illam dispositionem tantum saltem jus in corpora exercere, ut illa præ aliis facilius illis subjici possint morbis, quos passi sunt parentes, si iisdem causis materialibus indulgeant, respectu diætæ, generis vitæ, aliisque moralibus causis, ab animi pathematibus oriundis, pariter subjecta existant.

Quodsi autem liberi ratione reliqui vitæ generis, aut diætæ, aliter se gerant quam parentes, temperantiores sint præ illis, loco vitæ otiosæ laboriosa gaudeant, a multis sane sese præcavere poterunt morbis, quibus alias ex hæreditaria dispositione subjecti fuissent: sicut ex opposito etiam haud rarum est, quod infantes diætæ vitiis indulgentes, tanto citius sibi accersant parentum morbos, ad quos antea jam proni existunt. Hæc dispositio a parentibus in liberos translata non solum sese extendit ad certos quoad speciem morbos, sed generalis quoque sæpissime existit causa concurrens, imo antecedens, ut infantes a parentibus infirmis pro-

prognati similiter quoque infirma semper gaudeant valetudine, atque per totam vitam variis multisque morbis concutiantur.

X.

Nec minus ex consuetudine ægrotandi, multi homines subjecta morborum præ aliis fiunt, quando vel eodem quoad speciem morbo sæpius affliguntur, vel ab eodem diutius detinentur, ut data leviore quoque causa & occasione, de novo eundem experiantur.

Schol.

Hoc tota die nos docent febres intermittentes, quarum recursum multa individua non modo satis facile in genere, sed certis, iisdemque præcise temporibus anni experiuntur, si forsan eodem tempore eundem in diæta committant errorem, quem alio tamen tempore sine præjudicio sanitatis committere possunt ac solent. Vel idem experiuntur sat multa individua, respectu morborum variorum in genere, quando uno aut aliquot morbis diutius detenta ita ægrotationibus adsuefiunt, ut viribus in genere debilitata, leviores quoque errores ferre nequeant, sed ex qualibet levi occasione varia pathemata incidant, ideoque valetudinariorum titulum reportent.

XI.

Similiter ex diætæ vitio multæ personæ individualiter præ aliis morborum subjectum in specie constituunt.

Schol.

Notissimum enim in genere est, illos ordinaire firmiore sanitate frui, qui diæta utuntur ordinata, temperata, & cibis vescuntur, ad minimum pro consuetudine, evpeptis, potusque admittunt, quantitate & qualitate temperatos, sufficientes tamen & dilutos, præ illis, qui intemperanter quoad quantitatem, aut qualitate maxime diversos ingurgitant cibos, iisque primas obruunt vias, variasque cruditatibus colligendis & augendis præbent occasiones. Quamvis enim nec ita rara in contrarium allegentur exempla, de illis, qui sub inordinata diæta satis firma tamen gaudent sanitate, nequaquam tamen horum numerus priores superabit, regulam-

gulamque ordinariam formabit, neque in tantum valebit, ut non fere semper incommoda, inordinatam diætam sequentia, tandem sese prodant, licet ad tempus satis longum aliquando sileant.

XII.

Sicut diæta plane inordinata causas suppeditat, ut quædam personæ facilius corripiantur morbis; ita ex opposito culpa quoque aliquando rejicienda est in diætam nimis ordinatam & scrupulosam.

SCHOL.

Quamvis enim hæc in se spectata, & quatenus ordinata existit, causas & occasiones ad ægrotandum positivas non suppeditet, tamen in tantum occasionem præbet, in quantum teneriora reddit subjecta, eaque teneriori diætæ adsuescit, ut commisso deinde leviore quoque errore diætetico, tanto facilius promptiusque afficiantur, atque ægrotent.

XIII.

Genus & regimen vitæ si spectamus, simulque diætæ intemperantiam supponimus, illi sane maxime omnium morbis subjiciuntur, qui vitam otiosam & sedentariam agunt.

SCHOL.

In his enim abundantia sanguinis & humorum, fœcundissima morborum mater, augetur, humores sub motibus corporis segnioribus & ignavia spissescunt, mucescunt, variasque discrasias patiuntur.

XIV.

Tanto magis morbis subjiciuntur, qui cum vita sedentaria, simul speculabundam & meditabundam agunt.

SCHOL.

Hinc varia sanitatis damna patiuntur literati, qui non modo corporis motus necessarios negligunt, sed animo quoque rationalibus actionibus plus justo intenti, actiones vitales, motusque secretorios maxime turbant, unde non modo humorum spissitudinem, sed respirationis impedimenta, circuli sanguinis redartationem, appetitus prostrationem, vigiliasque

liisque incurrunt, ac tandem cæteris paribus, illis maxime obnoxii fiunt morbis, qui a genere nervoso debilitato vulgo derivari solent.

XV.

Nec minus animi pathematibus gravioribus addicti, iisque valde indulgentes, longe proniores sunt ad morbos, præ illis, qui animo quieto, tranquillo, placido gaudent, ita tamen, ut pro diversitate animi pathematum, diversis quoque, non vero omnibus subiiciantur morbis.

SCHOL.

Sic enim iracundiæ dediti, omnium facillime corripiuntur morbis biliosis, spasticis gravioribus, convulsivis, arthriticis atque acutis: mœstitiæ autem nimiæ indulgentes, viscerum infarctibus, morbis chronicis, quartanæ, aliisque id generis, præ aliis obnoxii fiunt: quemadmodum meticulosi, animi deliquia, & lipothymias facilius experiuntur.

XVI.

Simili modo ex generis vitæ fundamento certi aliqui morbi, certis saltem personis, ratione opificii, quod tractant, familiares, originem ducunt.

SCHOL.

Ita v. g. notum est, illos, qui deaurationibus metallorum vacant, facilius artuum tremoribus subjici; metallifossores, aut potius fusores, arthriticis ac paralyticis passionibus vexari. Lapidicidas, ex pulveris saxorum attractione, variis pectoris obstructionibus, infarctibus, asthmaticis passionibus, spadone, imo phthisico malo laborare: prout hac de re instar omnium doctissimi Ramazini scriptum de morbis artificum, fusius loquitur.

XVII.

Tertium, sive specialissimum morborum subjectum idem est cum parte corporis, quam affectam dicere solemus: in qua nempe vel morbus ipse, i. e. læsio, vel causa morbifica, fixam magis sedem habet.

SCHOL.

Ex hoc fundamento potissimum suam deductionem reperiunt af-

fectus idiopathici, quando pars aliqua non propter aliam, sive per consensum, sed ex propria sui læsione, aut causæ morbificæ in ipsa hærente ac præsente, molestias patitur. Quamvis etiam alio respectu pars aliqua, ejus pathematis, quod patitur, sive idiopathicum, sive symptomaticum illud fuerit, subjectum specialissimum vocari possit.

Ita enim v. g. hoc ultimo respectu ventriculus subjectum specialissimum omnis vomitus dici potest, quoniam ipse potissimum & primario sub hoc pathemate movetur, & ad excernendum excitatur: quemadmodum in sensu priore tunc saltem morbi subjectum audire potest, quando ipsa stimuli vomitorii causa materialis, v. g. a vomitorio, veneno, aliave materia ingrata atque nauseosa, in ventriculo hæret, ibique sensationes molestas physico contactu post se trahit: cum ex opposito per consensum saltem idem motus vomitorius contingere possit, si in alia parte vicina, aut connexa, primaria læsio hæreat, quæ saltem sub occasione data externa, talem in ventriculo motum causatur, quale quid in inflammationibus partium internarum, ventriculo proximarum, a potu frigido contingere solet.

CAPUT IV.

DE MORBORUM DIFFERENTIIS.

I.

Differentiæ morborum sunt vel essentiales, vel accidentales.

SCHOL.

Essentiales ab ipso morbo, ejusque causa proxima, aut principali desumuntur. Accidentales autem, licet ad essentiam morborum stricte non pertineant, ita tamen comparatæ existunt, ut ad gravitatem aut levitatem, magis vel minus periculosum morbi statum, aliquid vel multum contribuere possint: & a circumstantiis externis, accessoriis, & individualibus originem ducunt.

II.

Differentiæ morborum essentiales partim respiciunt corpus, ex partibus solidis & fluidis compositum: partim principium mo-

vens,

vens, vel naturam, & hinc dependentes varias motuum alterationes.

III.

Ex hoc fundamento generaliter morbos dispescimus in morbos partium solidarum: in morbos humorum, sive partium fluidarum: & in morbos motuum.

IV.

Morbi solidarum partium communiter in scholis medicis dispescuntur in morbos conformationis; respectu 1. magnitudinis: 2. figuræ: 3. situs: & 4. numeri: in morbos læsæ unitatis, & in morbos læsæ contiguitatis.

SCHOL.

Ad morbos conformationis pertinent illæ partium solidarum aberrationes a statu naturali, quando v. g. vel a nativitate, vel per violentiam externam, aliqua nostri corporis pars, quoad mensuram aut molem, vel nimis magna, vel nimis parva existit; aut aliam, quam decet, figuram externam habet: aut indecentem & extraordinarium situm occupat: aut denique numero vel deficit, vel excedit.

Morbi læsæ unitatis respiciunt tam partes solidas molles, quam duras: quatenus illæ vulnerationibus, ulcerationibus, ambustionibus, aut rupturis: hæ vero fracturis, fissuris, & cariei subjiciuntur.

Morbi læsæ contiguitatis concernunt partes numero plures, inter se cohærentes, earumque cohæsionem mutuam: quo intuitu luxationes & distorsiones articulationum in considerationem veniunt.

Cum vero plurimæ dictarum læsionum, non tam ad pathologiam medicam, quam potius ad chirurgicam pertineant, earum in præsentiarum quoque mentionem saltim fecisse sufficiat.

V.

Læsiones partium fluidarum partim consistunt in læsione quantitatis, & quidem vel excessivæ, vel deficientis: partim

qualitatis aut craseos: unde morbi intemperiei humorum apud veteres, aut, secundum recentiorem loquendi formulam, discrasia humorum, titulum nomenque acceperunt.

VI.

Motuum lesiones & morbi vel eorum excessum, vel eorundem defectum, vel denique ordinem alteratum & immutatum respiciunt.

VII.

E morborum accidentalibus differentiis generalissima est illa, qua dispescuntur in chronicos *&* accutos.

SCHOL.

Desumta est hæc differentia a tempore durationis totius morbi: & intelligimus per chronicos, ejusmodi morbos, qui vel pedetentim incipiunt, vel, licet acuto quodam initio ægros invadant, tamen ordinarie, neque cito transeunt, sed per septimanas, imo menses, ne dicam annos, durant, antequam vel curentur, vel ægrum jugulent: neque ita valde acutis, periculosisque symptomatibus stipati existunt; ad quorum classem pertinent omnes febres intermittentes, rheumatismi, malum hypochondriacum, arthritis &c.

VIII.

Acuti morbi audiunt, qui non solum acute incipiunt, sed acute quoque, i. e. cito & vehementer decursum suum absolvunt, certisque dierum terminis adstringuntur.

SCHOL.

Huc referuntur omnes febres acutæ atque continuæ, apoplexia vera & perfecta, inflammationes internæ, aliique affectus.

IX.

Gradu tamen aliqui acutorum morborum ab invicem differunt.

SCHOL.

Schol.

Hinc a quibusdam specialiter in acutos, peracutos, & acutissimos dispescuntur: ita ut primam classem constituant, qui ad modum febrium continuarum simpliciorum, & exanthematicarum communiorum, termino duorum aut trium septenariorum includuntur: ad alteram vero pertineant, qui, ut inflammationes internarum nobiliorum partium, unico saltem septenario absolvuntur: & tandem sub tertia comprehendantur, qui ne hunc quidem terminum attingunt, sed intra triduum aut quatriduum, vel breviore adhuc termino, decurrunt: cujus indolis sunt pestis, febres pestilentiales, nec non apoplexia repentina atque lethalis.

X.

Differunt porro morbi, quatenus sunt vel salutares, *curabiles & parvi: vel* lethales, *incurables, & magni.*

Schol.

Priorem classem constituunt, qui vel nullum aut parvum periculum portendunt, vel revera ab aliis gravioribus morbis præservant, vel partes quoad situm, structuram & officium nobiliores non afficiunt atque lædunt: ideoque vel sui remotionem non exigunt, vel sponte cedunt, vel arte facilius præ aliis profligantur: quo nomine horum classem subeunt, leviores cutis læsiones atque affectus, hæmorrhagiæ moderatæ narium, hæmorrhoidalis fluxus, coryza atque gravedo, febres intermittentes, continuæ, & inflammatoriæ, sudores autocratiei, diarrhœæ spontaneæ.

Ad alteram classem referuntur ejusmodi læsiones, quæ partes nobiliores, meninges cerebri, pulmones, ventriculum, diaphragma, hepar, in sua structura aut officio lædunt, vel causam inexpugnabilem agnoscunt, vel propter brevissimum decursum, medico tempus medendi non concedunt; quales sunt apoplexiæ fortissimæ, catarrhus suffocativus, inflammatio meningum cerebri, ventriculi, pestis, & morbi pestilentiales, paralysis consummata, epilepsia, aliæque.

IX.

Usum suum habet hac morborum distinctio in praxi, & quidem respectu prognoseos.

SCHOL.

Si enim medicus mox in principio, tam ex ratione, quam ex obſervatione circa morbos ſæpius facta & collecta, certus ſit de hac morborum indole & conditione; ſtatim quoque vel ſibi ipſi, vel ægro aut adſtantibus, de quolibet morbo prognoſin declarare poterit, atque de ejus eventu, & ita propriæ famæ conſulere, quando in anteceſſum vel levem, vel gravem atque funeſtum morbi exitum prædicere poteſt; cum ſane fundata in ratione experientia prognoſis, medico æque facile æſtimationem contrahere poteſt, ac ipſum felix medicinæ practicæ exercitium.

XII.

Tertia differentiarum accidentalium, ab invaſione plurium pauciorumve individuorum deſumta, morbos dividit in EPIDEMICOS *&* SPORADICOS.

SCHOL.

Epidemicos nominamus morbos illos, qui ex communi aliqua cauſa, præcipue aëris peregrina conſtitutione, aut diætæ communi errore, non unum aut alterum aliquod individuum, ſed vel multa in eodem loco, vel plures regiones locorum invadunt, ita, ut ubique locorum certi cujusdam tractus idem morbus graſſetur, aliis præcipue uſitatioribus morbis tunc temporis ſilentibus: ita, ut v. g. ſub certa aliqua aëris conſtitutione nullus præter febrem quartanam, tertianamve, dyſenteriam, febrem catarrhalem, petechialem, obſervetur morbus, ſed vel omnes, vel plurimi ægrotantium uno eodemque morbo corripiantur.

Sporadici autem ex oppoſito illi dicuntur morbi, qui neque ex communi tali cauſa, eodem tempore oriuntur, neque ita multos corripiunt homines, ſed hinc inde unum aut alterum invadunt, qui forſan per unam eandemque, vel etiam diverſam cauſam præſenti anſam dederunt morbo: quemadmodum frequenter contingit, ut febre tertiana, aut catarrhali, diverſæ perſonæ, licet quoad numerum non adeo paucæ, laborent, quæ vel eundem errorem diæteticum commiſerunt, vel regimine corporis exæſtuatorio & refrigeratorio peccarunt, & ob paritatem cauſarum, ætatis, temperamenti, eundem morbum patiantur; cum ſub Epidemicis morbis neque æqualitas ætatis,

tis, temperamentorum, aliorumque commissorum errorum, semper accusari queat.

XIII.

Epidemicis & sporadicis proxime opponuntur, aut contradistinguuntur MORBI ENDEMII.

SCHOL.

Hi itidem communem aliquam agnoscunt causam, sed non plures populorum ditiones eo, quo epidemici solent, invadunt modo; singularibus saltem, vel urbibus, vel tractibus, vel regionibus & nationibus familiares manentes. Sic enim maris Baltici accolis ex communi aëris, aquæ, & victus ratione, scorbutus familiaris existit, æque ac polonis plica, aliis regionibus strumæ, phthisis, aliæque ægritudines, quæ, quamvis alibi locorum etiam occurrant, tamen non ita frequentes & ordinariæ existunt quam dictis in locis.

XIV.

Ab indole morborum propria desumitur differentia MORBORUM BENIGNORUM, *&* MALIGNORUM.

SCHOL.

Benigni dicuntur, qui in comparatione cum aliis, & eventum non æquæ periculosum, & symptomata non admodum gravia aut lethalia agnoscunt, sed placide atque tranquille decurrunt; maligni autem contrario se habent modo: dum partim pluribus & gravioribus symptomatibus stipantur, partim hanc ipsam ob rationem eventum pluries funestum experiuntur. Notandum tamen, eundem sæpe morbum in uno subjecto, & uno tempore benignum, in alio individuo, aliove tempore autem malignum esse posse. Id quod videmus aliquando in febribus petechialibus, quæ non semper eandem conjunctam habent malignitatem, dum uno anni tempore, aut in uno individuo, satis placide ad modum simplicium continuarum & acutarum decurrunt, ideoque haud magnum periculum portendunt: alio vero anno, vel eodem etiam anni tempore in alio subjecto, valde plethorico, multisve impuritatibus referto, magnam malignitatem præ se ferunt, ut ægroti maxima virium prostratione, deliriis summis, pulsus inæqualitate & debilitate, lipothymiis,

miis, convulſionibus, diarrhœis, vomitibus, aliisque periculoſiſſimis ſymptomatibus luctam inire neceſſe habeant.

Unde malignitas aut benignitas illa maxime dependet, vel ab individuali diſpoſitione, puritate aut impuritate humorum ipſius ægrotantis, vel ſi in plurimis ægris eadem obſervetur, à communi aliqua aëris mala diſpoſitione aut ſpecialiſſima miaſmatis morbôſi conditione, prout illud vel quantitate vel qualitate diverſimode peccat atque excedit.

XV.

Ab eodem fundamento dependet denominatio MORBORUM CONTAGIOSORUM.

SCHOL.

Hunc titulum gerunt illi affectus morboſi, qui per contagium ab uno individuo ad aliud, vel ab uno in alium locum transferuntur, & communicantur, quamvis ſingula individua, eodem morbo laborantia, non easdem cauſas antecedentes agnoſcant, ſed potius per effluviorum morboſorum & exhalationum communicationem, aut per corporalem etiam contactum externum cum ſimilibus ægris, cauſam morbi accipiunt, recipiuntque. Quemadmodum tale quid obſervatur in peſte, febribus peſtilentialibus, exanthematicis, dyſenteria, ſcabie, luce venerea, nec non aliquando phthiſi.

XVI.

Ex eodem propriæ indolis fonte profluunt quoque MORBI EXANTHEMATICI.

SCHOL.

Qui nempe vel ſemper abſolutum & ſine exceptione, vel ad minimum aliquando & ſatis frequenter certas efflorescentias in cute ſecum ferunt, ita ut ſine præſentia harum efflorescentiarum, vel ita dictorum exanthematum, aut abſolute lethaliter cedant, aut ad minimum longe majoribus difficultatibus, gravioreque periculo ſtipati exiſtant. Quorſum pertinent variolæ, morbilli, petechiæ, purpura rubra & alba, febris papularis, ſcarlatina, peſtis cum febribus peſtilentialibus, & ipſa ſcabies.

XVII.

XVII.

Alio intuitu, nempe respectu ad certa tempora, morbi quoque dividuntur in vernales, æstivos, auctumnales, atque hybernos.

Schol.

Cum enim medici tam veteres, quam moderni obſervaverint, non omnibus anni temporibus eosdem ſemper occurerre morbos, ſed alios aliosve certis anni temporibus ac tempeſtatibus magis adſtringi, iisque vel quaſi epidemice inter homines obverſari; hinc differentia hæc ortum cepit, quemadmodum jamdudum Hippocrates idem inculcavit, morbosque varios ſecundum has claſſes aphoriſmorum Sectione III. Aph. 21.22.23. denominavit. Nec deeſt huic obſervationi veritas, cum utique tempus vernale & autumnale, æque ac reliqua, variis ſanguinis & humorum commotionibus, tranſpirationis viciſſitudinibus, nec non ciborum varietate ac potuum, variis diverſisque morbis occaſionem præbere poſſint.

XVIII.

Alia adhuc occurrit differentia, MORBORUM HÆREDITARIORUM & ASCITITIORUM, *quæ ad prognoſin formandam de faciliore aut difficiliore curatione, multum confert.*

Schol.

Dicuntur igitur morbi hæreditarii, qui per hæreditatem quaſi à parentibus in liberos transferuntur, & propagantur, ita ut liberi iisdem morbis laborent, quibus ſubjecti fuerunt parentes, aliive agnati; de quibus notandum, quod vel generaliter in diſpoſitione valetudinaria & faciliore habitudine ad ægrotandum, vel in ſpecialibus morbis conſiſtant: & quod infantes ordinarie citius quoad ætatem iisdem corripiantur morbis, quam ipſi parentes illis decubuerunt, nec raro citius illis ſuccumbere ſoleant, ſi nempe ſontici fuerint affectus: ita v. g. Calculus renalis, & veſicæ, phthiſis, podagra, arthritis, frequentiſſime hæreditarie transferuntur.

Adſcititii autem morbi circa talem hæreditariam diſpoſitionem, in ſimilitudine temperamentorum, motuumque conſuetudine impreſſa, fundamentum habentem ab aliis cauſis externis vel intrinſecis profici-

fcuntur, & funt tam chronici, quam acuti, qui a plethora, fanguinis fpiffitudine, aliave humorum difcrafia, aëris, aut tempeftatum conditione, originem ducunt; quorfum pertinent variæ febres, hydrops, aliique morbi particulares.

XIX.

Ratione ætatis aut temperamenti, morbi porro difpefcuntur in MORBOS CONGRUOS *aut* INCONGRUOS.

SCHOL.

Plures enim morbi ætati uni vel alteri, aut certo temperamento, magis familiares obfervantur, nec non eidem obtingentes facilius tranfeunt, & fine notabili periculo fuperantur: ex oppofito autem aliis ætatibus ac temperamentis non modo minus familiares, fed fi illis eveniant, magis funefti, molefti, periculofi & deleterii, quam illis obfervantur.

XX.

Ex eadem obfervatione quotidiana conftat, quod variolæ atque morbilli infantiles vocentur morbi.

SCHOL.

Eam nempe ob rationem, quod longæ frequentius in hac ætate occurrant, & facilius fuperentur, ætatibus autem provectioribus longe periculofiores exiftant, quoniam fibræ longe molliores, porique laxiores exiftunt in pueris, quam in fenioribus, qui poros anguftiores, fibrasque ftrictiores habent, unde materia illa peccans facilius in illis, ægrius vero in his foras eliminari poteft.

Quamobrem difficiliori prognofi viam fternit præfentia horum morborum in ætate provectiore, præfertim cum in hac animi pathemata ordinarie fimul plus vigeant, quam in illa, majusque periculum accelerare poffint.

Sic etiam ratione temperamentorum febres biliofæ & ardentes magis eveniunt cholericis, quam aliis: Hæmorrhoides, podagra, calculus renalis, maxime provectiori ætati competit, minus autem infantili, puerili, aut adolefcentili.

XXI.

Neque hæc morborum divifio utilitate fua caret in praxi, refpectu prognofeos.

SCHOL.

Schol.

Quo magis enim dicti, aut alii morbi, secundum has circumstantias congrui, i. e. ætati aut temperamento convenientes existunt, eo majorem utplurimum spem suppeditant aut concedunt de feciliore successu atque eventu: quo magis vero ad incongruorum classem inclinant, eo graviores, & periculosiores esse solent.

Id quod etiam certo respectu de morbis certorum anni temporum dici debet; quippe qui haud raro dictam convenientiam aut inconvenientiam quoque agnoscunt, ita, ut iis temporibus, quibus ordinarie competunt, facilius atque felicius cedant, aliis autem gravius ægros afficiant, atque detineant: id quod tanto magis observatur, si forsan incongrua talis morborum conditio ex duplici capite concurrat.

XXII.

Ratione ordinis, quem servant morbi, dispescuntur in Periodicos & Vagos.

Schol.

Illi dicuntur, qui sæpius aut rarius recurrunt, sed certa recursus tempora servant & observant, ita ut ægri de illorum recursu certiores esse, sibique aliquatenus cura præservatoria prospicere possint. Hi autem, quantumvis etiam recurrant, & mox raro, mox frequentius ægros invadant, nulli tamen certo tempori sese adstringunt, sed vage & sine respectu certi talis ordinis, subjecta corripiunt.

XXIII.

Fundamentum hujus differentiæ utplurimum hæret aliquando in consuetudine motuum, sub certis circumstantiis semel susceptorum.

Schol.

Ita comparatum est cum epilepsia, quam multa quidem subjecta vagis insultibus, sine omni ordine patiuntur, alia vero menstruis, æquinoctialibus, aut solstitialibus temporibus in genere, aut circa certas lunæ phases experiuntur, prout nempe vel menstruus fluxus deficiens causam aliquam antecedentem in fœmellis suppeditat, vel in aliis subjectis prima occasio huic molestissimo affectui per terrorem, iracundiam, me-

tum, eodem plane tempore suppeditata fuit; quæ tempora deinde natura, citra notabilem novarum causarum concursum atque accessum, in resuscitatione talium motuum servat.

XXIV.

Aliquando vero fundamentum hujus differentiæ dependet a causa aliqua materiali, quæ certis temporibus novam recursui ansam præbere potest, quamdiu in corpore hæret.

SCHOL.

Videmus hoc in hæmoptysi periodica, quæ sine data nova occasione externa, sponte & tacite quasi, certis quibusdam intervallis, sive menstruis, sive annuis, aut semestribus, præcise recurrit: quale quid aliquando contingit in viris, venæsectionibus semestribus adsuetis, plethoricis, & V.S. negligentibus, quibus haud raro recurrit, quotiescunque unam aut alteram septimanam temporis, V. sectioni alias dicati, transgrediuntur. Præcipue autem accuratissima species hæmoptyseos periodicæ occurrit in fœminis, ex defectu aut pertinaciore obstructione mensium hoc affectu laborantibus; ubi singulis mensibus iisdem præcise diebus non modo recurrit, sed totidem præcise quoque dies durare solet, quibus menstruus fluxus alias absolvi suevit.

E contrario vaga hæmoptysis est, quando a læsione pulmonum, aut vasorum pulmonalium, a casu violenta nude dependet, sive id fiat a motibus violentis, sive a corrosivis exhalationibus in pulmones attractis, quæ vasorum erosio nunquam firmiter consolidatur, sed data nova occasione, vel per motus, vel per potus exagitatorios, vel earundem exhalationum repetitam admissionem, quovis tempore januam apertam, viamque patulam novæ sanguinis perruptioni, præbet.

XXV.

Nec negligenda est in praxi hujus differentiæ legitima consideratio.

SCHOL.

Hac enim probe considerata ac pensitata, sæpissime in morbis periodicis, promptam occasionem invenire potest Medicus, per remotionem, causarum

ſarum antecedentium, aut per tempeſtivam motuum anomalorum præoccupationem, ipſum affectum præſcindendi, & aliquando ſucceſſive tollendi.

XXVI.

A ſymptomatum magis aut minus eſſentialum & conſuetorum concurſu aut abſentia, nec non ordine invaſionis atque decurſus, diſtinguuntur morbi in LEGITIMOS, *&* SPURIOS, *ſive* NOTHOS.

SCHOL.

Legitimi hoc intuitu vocantur, qui tam ratione ordinis, invaſionis decurſus, quam ratione omnium ſymptomatum eſſentialium ab ordine conſueto nihil diſcedunt, ſed illum conſtanter ſervant.

Ita v. g. Pleuritis vera & legitima dicitur, quæ inflamationem pleuræ, cum febre inflamatoria vere acuta, atque doloribus punctoriis alterutrius lateris, fixam ſedem occupantibus, reſpiratione difficillima & ſuffocatoria, declarat, primoque ſeptenario vel tranſit, vel ægrum jugulat, vel in Empyema degenerat.

XVII.

Spurii, vel nothi vocantur, qui ex aliqua parte, ratione ordinis atque ſymptomatum, ordinarium quidem typum ſervare videntur; reſpectu tamen aliorum ſymptomatum, aut ordinis conſtantis ab illis diſcedunt.

SCHOL.

Ita pleuritis ſpuria vocatur, quando ſub febris catarrhalis concurſu leviore, dolores magis lancinatorii, quam punctorii, totum latus quaſi occupant, reſpirationem difficilem reddunt, & ſub quacunque reſpiratione dolorem incutiunt, febris autem neque ita acuta & gravis evadit, neque præciſe ad ſeptimum diem durat, ſed citius tranſit, & intra triduum aut quatriduum ſæpe terminatur. Sic quoque febres aliquando occurrunt, quæ v. g. in genere tertianæ typum ſervant, ut alternis diebus paroxyſmo ſuo recurrant, interim tamen neque præciſe ordinarium tem-

pus invadendi, neque reliqua ordinaria ſymptomata cum illis communia habent.

XXVIII.

Morbis legitimis porro contra diſtinguntur CORRUPTI: *titulum ſuum inde reportantes, quod ex aliis legitimis, tractu temporis in tales degeneraverint, aliamque indolem, & quidem pejorem, aſſumſerint; non quidem ex ſe & ſua natura, ſed potius ex accidenti, perverſa nempe, medicatione, aut alieno regimine, erroribusque diæteticis commiſſis.*

SCHOL.

Ita enim febres quæcunque, ſi vel intempeſtivis evacuationibus tractentur, vel excretio omnibus febribus maxime ſolennis, diapnoica puta, intempeſtive ſupprimatur, & cohibeatur, unde non modo facile totum ſchema mutant, ſed in aliam febrem, maxime anomalam tranſeunt, ex acutis chronicæ, & ex his lentæ aut hecticæ evadunt, nullum deinde typum ſervantes, atque inſolitis ſæpiſſime ſymptomatibus ſtipatæ.

Idem facillimo negotio contingit in affectibus arthriticis, rheumaticis, ſi vel topicis refrigerantibus externis, vel opiatis atque anodynis internis, citra cauſæ remotionem, intempeſtive tractentur: ſiquidem haud raræ inde exiſtunt variæ metaſtaſes & translationes humorum ac motuum ad alias regiones corporis, graviſſimaque ſymptomata poſt ſe trahentes: aut membrorum ſtupores, paralyſes, & debilitationes ſuccedentes.

XXIX.

Ratione ſedis, quam vel cauſa morbifica, vel ipſa læſio occupat, morbi dividuntur in IDIOPATHICOS, & SYMPTOMATICOS.

SCHOL.

Idiopathicus itaque morbus dicitur, quando vel cauſa morbum proxime producens, in ipſa parte ſpecialiter affecta hæret; vel quando ſymptoma aliquod maxime urgens, ipſam partis affectæ læſionem pro cauſa proxima agnoſcit.

Quod

Quod ut exemplo clarius fiat, vomitus poteſt eſſe idiopathicus, quando natura motum Ventriculi periſtalticum non modo invertit, ſed etiam exacerbat, ad extruſionem materiæ noxiæ aut moleſtæ, in ipſo ventriculo hærentis, ſive illa fuerit bilis, ſive venenum aſſumtum, ſive materia quæcunquæ alia, ſub nauſea ingeſta, aut diſpepta, mucida, viſcida, tenax, ventriculum prægravans, concoctionem impediens, aut officium ventriculi alio modo lædens: aut quando ipſa actualis læſio ſubſtantiæ ventriculi, a cauſa præſente inducta, doloroſa ſenſatione fibras ventriculi nerveas afficit, quo facto, tam phyſico, quam morali nexu natura ad idem agendum irritatur; id quod fieri ſolet in ventriculi eroſione a venenis & cauſticis, ejusdem læſione vulneratoria, inflammatione a cauſa bilioſa: in quibus caſibus omnibus ac ſingulis, cauſa & ratio vomitus materialis proxima in ipſo ventriculo reperitur. Quamvis enim in ultimis caſibus non negari poſſit, vomitum præſentem non ipſum morbum aut læſionem, ſed potius ſymptoma urgens conſtituere, imo ſano ſenſu, ipſum remedium naturæ pro remotione cauſæ præſentis ac lædentis intentum eſſe, nihilominus tamen eo reſpectu, quatenus cauſa ipſius proxima in ventriculo hæret, pro vomitu idiopathico eſt declarandus, licet alio reſpectu ſymptoma dici queat, læſionem primariam ſequens.

XXX.

Symptomaticus affectus dicitur, quando una aut altera pars, ſine læſione propria, propter aliam partem principaliter affectam, & ſine præſentia cauſæ principalis in ea parte, quæ ſimul afficitur, compatitur, atque in conſenſum paſſionis trahitur.

SCHOL.

Hoc modo idem vomitus ſymptomaticus dicendus eſt, quando cauſa materialis vomitum producens, in ventriculo non hæret, ſed ventriculus propter aliam partem in conſenſum paſſionis & motuum trahitur, vel ex vicinia connexionis cum parte principaliter affecta, vel ex conſpiratione nervorum licet longinquiore, duas partes intercedente.

Tale

COMPLICATIS: *ita tamen, ut ſymptomata cum ipſis morbis non confundantur.*

SCHOL.

Poteſt hæc confuſio obtingere in febre quacunque, vel alio quodam morbo primario & cardinali, ubi varia occurrunt ſymptomata, utpote capitis dolor, vomitus, vigiliæ, flatulentia, appetitus proſtratio; ſi quis hinc concludere vellet, quod ſingulis totidem morbis, cephalalgia, agrypnia, anorexia, & febre, ideoque morbo complicato decumbat æger, cum tamen hoc dici non poſſit, ſed hæc omnia ſymptomata ſint, quæ ordinarie pluribus morbis junguntur, & in ſpecie febribus familiaria exiſtunt, cum iisdem vero ceſſantibus ſimul quoque cedunt.

XXXII.

Nominamus hinc potius MORBOS COMPLICATOS, *qui vel ſibi invicem, in uno ſubjecto, uno eodemque tempore ſuperveniunt, vel qui ita ſimul ſibi junguntur, ut ab invicem etiam ſeparati eſſe poſſint, nec unus alterum abſoluta neceſſitate poſt ſe trahat.*

SCHOL.

Horum morborum unus aliquando alteri ita contrariatur, ut Medicus cogatur unius curationi tunc temporis ſuperſedere, aut certa remedia, eorumque applicatio, uni morbo appropriata, ab alterius præſentia contra indicentur atque prohibeantur. Sic v. g. Febris tertiana, & phthiſis, in uno ſubjecto concurrens, conſtituunt morbum complicatum, quorum alter alteri in tantum contrariatur, ut febris in ſe ſpectata vel vomitorium vel purgationem validiorem concedat non modo, ſed requirat, phthiſis autem utrumque remediorum genus non modo prohibeat, ſed facillimo quoque negotio anſam ſuppeditet, quo febris lentæ aut hecticæ indolem aſſumat.

XXXIII.

Simplicium morborum vero titulum gerunt, vi ipſius vocis, illi, qui ſoli quoad numerum ſimpliciter adſunt: ita ut v. g.

 æger

haud removeri poteſt: vel quod motuum diuturnam ac pertinacem conſuetudinem pro fundamento habeant; quod tanto facilius contingit, ſi a cauſis maxime immaterialibus, animi nempe pathematibus, primordialiter ortum ceperint, & præcipue talia præ aliis invadant individua, quæ ex temperamenti conditione ad motuum pertinaciam prona exiſtunt, cujus cenſus præ reliquis cholerica & melancholica deprehenduntur.

XXXVI.

Neque minus neceſſaria eſt Medico notitia morborum recidivantium, *qui multum laboris ſæpe faceſſunt Medico, præ illis, qui prima vice ægros invadunt. Notandum tamen eſt, per morbos recidivos non illas intelligi infirmitates, quibus, licet iisdem, eadem ſubjecta ſæpius & repetito per totum vitæ decurſum ſubjiciuntur, uno alterove tamen anno interveniente; ſed eas ſub hoc titulo deprehendi, quæ brevi poſt perpetratam primam curam, tempore dierum, ſeptimanarum aut menſium recurrunt, iterumque eadem ſubjecta afficiunt.*

Schol.

Utplurimum hæc conditio familiaris eſt febribus, quippe quæ ſæpiſſime repetitis vicibus ægros eosdem brevi tempore corripiunt, eoque ipſo teſtantur, vel cauſam antecedentem, aut continentem prioris affectus non ſublatam, morbumque non e fundamento curatum fuiſſe: vel novam occaſionalem cauſam ſuppeditatam eſſe, qua motus priſtini denuo excitati fuerunt: id quod tanto certius eſt, quo ſæpius citiusque ejusmodi affectus ſeſe excipiunt, atque ſimul teſtimonium præbet de naturæ imbecillitate, ac facili læſione, unde porro prognoſis emergit, ejusmodi affectus nequaquam, niſi funditus ſublata cauſa, tolli, & quo ſæpius ejusmodi recidivæ recurrunt, tanto magis easdem vires proſternere, & tanto difficiliorem reddere curam. Sicut autem hic morborum recurſus febribus primario ſolennis eſt; ita non minus in aliis quoque, & chronicis & acutis morbis occurrit, ſiquidem

 idem

idem in ictero, hydrope, apoplexia, hemiplegia aliisque affectibus observatur.

XXXVII.

Ultima adhuc superest morborum differentia, vi cujus aliquando appellantur retrogradi, *aut retrocedentes.*

SCHOL.

Denominationem accipiunt hi morbi exinde, quod materia peccans sub motibus secretoriis & excretoriis ad certam aliquam partem, præcipue ignobiliorem, delata atque detrusa, ad aliam, maxime oppositam depellitur, aut ad minimum motus naturæ propter materiam quandam molestam aut noxiam suscepti, ab uno ad alium locum transeant, præcipue ab externis ignobilioribus ad internas nobiliores.

XXXVIII.

Probe hoc nosse debet Medicus; ne per repellentia externa, aut revellentia interna, aliquando ipse occasionem ejusmodi retrocessioni prabeat, aut errores circa diætam, & regimen ægrorum concedat, a quibus tale quid metuere licet.

SCHOL.

Haud enim insolitum est, quod aliquando, vel ab erroribus ægrorum commissis, vel a præpostera cura, morbi exanthematici ab extremis & peripheria, ad interiora retrocedant, ibique gravissimas noxas producant; aut podagra retrocedat, & motus convulsivos & spasticos in intestinis aliisque nobilioribus partibus excitet.

CAPUT V.

DE MORBORUM CAUSIS.

I.

Morbi non sponte aut tacite proveniunt, sed semper agnoscunt causas antecedentes.

SCHOL.

Schol.

Cum itaque in antecedentibus ea præmisimus, quæ de morbis, eorumque differentiis agunt, necessitas & tractationis ordo requirit, ut nunc etiam generalem causarum morbificarum conspectum sistamus, & quid, atque quotuplices existant, explicemus, quo Medici considerationem subeant ac mereantur.

II.

Causæ morbificæ respiciunt tam morbum, quam ipsius symptoma.

Schol.

Cum enim morbus & symptoma inseparabiliter inter se cohæreant, & alterum ab altero nexu physico & necessario, ordinarie dependeat, semper quoque, quando de causis morbificis loquimur, sermo nobis est, non solum de illis causis, quæ læsionem ipsam, vel morbum cardinalem produxerunt, sed etiam de illis, quæ symptomatum causæ existunt; quamquam enim non negandum sit, non omnia symptomata, in morbis occurrentia, semper essentialiter ab ipso morbo cardinali dependere, tamen symptomata similes ad minimum agnoscunt causas, a quibus diversis modis diversi morbi oriuntur; neo ullus unquam morbus sine symptomate reperitur, quemadmodum etiam symptomatis præsentia vi vocis, morbi cardinalis præsentiam supponit.

III.

Intelligimus autem per causas morbificas in genere tales res, quæ statum corporis vivi naturalem & sanum varie lædunt, & in pejus mutant; vel œconomiam animalem diversimode turbant.

Schol.

Id quod fieri potest tam ratione partium fluidarum, quam solidarum: ita ut illæ vel quantitate vel qualitate alteratæ, debito motui circulatorio & depuratorio minus obtemperent: aut hæ in motu & tono alteratæ, motibus per illas suscipiendis non respondeant, aut obstructæ fluidis transitum non concedant.

IV.

Causæ morborum sunt tam quoad sui essentiam, quam quoad ordinem agendi & nocendi satis multæ atque diversæ.

 Schol.

SCHOL.

Aliæ enim materiali, physico, immediato contactu, magis directe, & proxima potentia, aliæ vero per indirectum, & remotiore magis ordine, læsiones noxiosque effectus edunt atque producunt; quod ut ad necessariam cognitionem deducamus, necessitas requirit.

V.

Causæ morborum, si quoad sui essentiam considerentur, sunt vel materiales, *vel* immateriales.

VI.

Ad immaterialium causarum ordinem referimus Animi pathemata, iram, terrorem, metum, tristitiam, & hinc formatam imaginationem.

SCHOL.

Hæ enim causæ sunt revera immateriales, nec physico materiali nexu aut contactu læsionem aliquam in partibus fluidis aut solidis producunt, sed morali quasi nexu causam morbificam constituunt, & potissimum etiam immaterialem effectum in partibus nostri corporis, i. e. motus exacerbatos, aut deficientes producunt.

Quod ut exemplo clarius reddamus, notissimum est, quod ab ira motus inordinati procedant, & quidem ordinarie in toto corpore tales, qui ad aversionem alicujus mali pro idea formata inservire debent: sicut enim in moralibus iracunda excandescentia in se spectata, tales motus corporis post se trahit, qui non fugam indicant, sed qui potius resistentiam, & inimici aut adversarii aversionem indigitant, ictibus ac nisibus exequendam; ita in vitalibus quoque tales motuum alterationes observantur, in pulsu & sanguinis circulo, ut inde motus sanguinis a centro ad peripheriam manifestetur & agnoscatur, unde pulsus fit celerior ac vehementior, vasa sanguifera turgent, facies cum reliquo corporis habitu rubet ac calet, & si ad excessum hæc omnia deveniant, demum febres biliosæ vehementiores inde evadunt: id quod nunquam a terrore aut metu evenit, ubi potius omnia tam moraliter quam vitaliter modo contrario contingunt, & motus moraliter in fuga, & vitaliter in animi deliquiis ac lipothymiis terminantur, quæ fundamentum in motibus, a peripheria ad centrum tendentibus, positum habent.

VII.

VII.

Immaterialibus causis ex opposito locamus materiales, quæ materiali suo accessu, & physico mechanico nexu, partes tam solidas, quam fluidas, e statu suo naturali deturbare, easque varie alterare possunt.

VIII.

De reliquo ratione fontium, unde proveniunt, causæ morborum dispescuntur in naturales, non-naturales & præternaturales.

IX.

Naturales morborum causæ dicuntur, ætas, temperamentum, sexus, imo ipsi humores, secundum naturam in corpore reperiundi.

SCHOL.

Hæ enim res semper in quocunque homine hærent sano, ita ut nunquam homo sine illis reperiatur, quam ob rem dicuntur, quod ad hominis naturam pertineant.

X.

Rerum non-naturalium sex numerantur, & sub hoc titulo innotuerunt: Cibi & potus, aër, excreta & retenta, animi pathemata, somnus & vigiliæ, motus & quies.

SCHOL.

Hæ dictæ res nomen non-naturalium propterea gerunt, quod neque ad naturam hominis pertineant, sed quivis homo vel sine illis ad tempus quoddam persistere possit, vel eas non tanquam connatas, verum saltem adventitias secum gerat: neque præternaturales existant, cum non semper noceant, sed rite atque legitime usurpatæ, sanitatem ac vitam adjuvent, illegitime autem adhibitæ, noxas saltem producant.

XI.

Res præternaturales dicuntur partim vermes, calculi &

& flatus, de quibus constat, quod præter naturam in corpore generentur: partim res absurde & contra naturam deglutita, tanquam ab extra ad corpus delatæ; arena, lapilli, globuli metallici, calx, lutum, venena & miasmata venenosa, ex aëre infecto, cum saliva, aut per poros ad corpus pervenientia.

SCHOL.

Præternaturales dicuntur, quia toto genere præter naturam humanam existunt, & ad conservationem œconomiæ animalis vel plane nihil conferunt, vel eandem positive invertunt atque destruunt.

XII.

Causæ, quas naturales vocamus, non æque proxima potentia læsiones morbosas producunt, verum tamen occasionem suppeditant variis modis, ut noxæ diversæ originem inde trahant.

SCHOL.

Sic enim notanda est in pueris notabilis materiæ lymphalis abundantia, pro incremento corporis necessaria, quæ tamen sua præsentia variis alterationibus & corruptionibus subjecta est, e quibus variæ læsiones morbosæ, huic ætati specialiter familiares, propullulare possunt.

Nec minus temperamentum unum præ altero occasionem præbet variis affectibus morbidis, quemadmodum cholericis affectus biliosi, phlegmaticis serosi, & melancholicis chronici, obstructorii, infarctorii, aliique familiares existunt.

Similiter a sexus differentia, ejusque solemnioribus excretionibus varii affectus molesti dependent, unicuique sexui proprii, quorum manifestissimi occurrunt in sexu sequiore, respectu mensium, lochiorum, puerperii, quibus viri nunquam obnoxii esse possunt.

XIII.

E rebus non naturalibus, ut causæ morborum omnium, primo in considerationem veniunt cibi & potus, vel, alimenta atque

atque ingesta, a quorum qualitate heterogenea variis modis morbi producuntur.

SCHOL.

Notissimum enim existit ex physiologicis, a cibis potibusque quotidianum proventum humorum nostri corporis dependere, atque ab illorum conditione horum quoque indolem esse deducendam: unde, quemadmodum status sanitatis juvatur & conservatur, si cibi ac potus laudabiles, bene nutrientes, concoctu faciles, nec quantitate, nec qualitate noxia excedentes offerantur, ita e contrario materiæ heterogeneæ in nostris humoribus augentur, si cibi malis succis scatentes, valde acidi, saliti, in copia assumantur, aut succis plane non nutritiis, sed aqueis, mucidis, inertibus referti ingerantur, unde vel impuritates & discrasiæ humorum salsæ, acidæ, vel muciditates ac viscidítates, partim in humoribus, partim in primis viis coacervantur, a quibus deinceps varii morbosi affectus ortum ducere possunt, præsertim si debitæ secretiones & excretiones sufflaminentur.

XIV.

Siquidem a qualitate alimentorum heterogenea & noxia, varii oriuntur affectus morbosi, ita non minus quantitas ciborum sola aliquando noxia deprehenditur.

SCHOL.

Non enim solummodo cibi ac potus nocent, quando particulis heterogeneis referti existunt, sed optimi etiam cibi, potusque nutrientes ac consistentes, causam variorum morborum constituunt, si modo quantitate excedant, corpusque nimium nutriant, unde humorum quantitas in genere augetur, ut proportionem motuum superent, spissiores fiant, & ita stagnationibus, stasibus, infarctibus, ansam præbeant, quibus deinceps sæpissime motus transpressorii, molesti, dolorosi, spastici, rheumatici succedunt.

Ne dicam, quod quantitas ciborum defectiva quoque in considerationem veniat, quippe quæ nutrimenti corporis defectum, maciem, corporisque tabescentiam, aliaque damna producit.

XV.

Alterum e rebus non-naturalibus, in classe causarum morbificarum, locum obtinet AER.

SCHOL.

Hic sane pluribus nominibus morborum causa dici meretur: quamvis enim legitime constitutus, statum naturalem sanumque conservet, nihilominus tamen, si ex una aut altera qualitate excedat, aut plane peregrinis particulis ac miasmatibus refertus existat, causam morborum constituit multifariam.

XVI.

Aër calidus nimis & siccus nocumento potest esse sanitati.

SCHOL.

Quemadmodum enim de copiosa particularum sulphurearum admixtione testatur; ita hoc intuitu humoribus nostri corporis admixtus, ibi etiam non modo ejusmodi particularum augmentum causatur, sed externo etiam calore sanguinem, & in illo particulas sulphureo pingues exagitat, expandit, ideoque orgasticam humorum commotionem producit, materiam febrium acutarum suppeditat, & ita, præcipue in dispositis, febres acutas, ephemeras, biliosas, sanguineas, capitis dolores, congestiones sanguinis ad caput, aliosque affectus morbosos fovet, iisque producendis faves.

Unde communis quoque observatio testatur, morbos modo citatos, tempore æstivo, eoque calidiore, frequentius, quam alio occurrere.

XVII.

Sicut aër nimium calidus & siccus, ita sane non minus FRIGIDUS SICCUSQUE AER *pluribus modis morborum causam constituit.*

SCHOL.

Partes enim fibrosas nostri corporis, ejusque peripheriam maxime afficit, porosque constringendo, cutim contractam efficit, transpirationem insensibilem, & excretionem sudoriferam impedit, aut plane sufflaminat, in pulmones attractus idem efficiendo raucedines, tusses siccas, humo-

humorumque seroso-mucidorum stagnationes non modo, sed eorum præcipue, qui magis sub cutis peripheria hærent, faciliorem coagulationem, aut ad minimum inspissationem, & excrementitiarum particularum, per cutim ejiciendarum, retrocessiones post se trahit; hinc est, quod dicti affectus hyberno potissimum tempore grassentur.

XVIII.

Neque minora, respectu sanitatis, corpori nostro immixent incommoda ab AERE FRIGIDO & SIMUL HUMIDO.

Schol.

Hic enim ratione humiditatis, particulas humidas & aqueas in corpore nostro auget, eorumque accessu & insinuatione, fibras ad majorem, quam par est, relaxationem & atoniam disponit, unde secretiones partium heterogenearum non ita prompte succedunt, sed mucidi-tates, salsedines, aliæque impuritates in corpore coacervantur, variæque morborum causæ materiales suppeditantur: ratione frigoris autem conjuncti, humorum incrassationi & coagulatoriæ spissitudini inservit, eosque ad motum progressivum & transpressorium ineptiores reddit, porosque cutis constringendo, partium heterogenearum exclusionem impedit, & ita ex duplici capite, materiam nempe heterogeneam atque peccantem secum afferendo, viasque, earum excretioni dicatas, occludendo, peccat.

XIX.

Longe autem graviores, majoresque noxas corpus nostrum patitur, iisque exponitur, sub AERE HUMIDO & CALIDO.

Schol.

Sicut enim hujus conditionis aër per diuturnum tempus corpus nostrum penetrans, atque offendens, particularum sulphurearum atque agilium fœcundus, materiam ad motum intestinum aptissimam largitur, ita humiditate accedente, verum proximum vehiculum ac instrumentum motus intestini resolutorii ac dissolutorii, i. e. fermentativo-putredinosi, affert; unde sub tali conditione aëris omnium facillime morbi putridi

veteribus dicti, febres malignæ, exanthematicæ, petechiales, pestilentiales, non modo generantur, sed præsentes magis foventur, gravioraqua symptomata assumunt.

Huc præcipue facit, quod simul ab humiditate aëris, partium fibrosarum tonus relaxetur ac debilitetur, quo tamen deficiente, secretiones & excretiones, in his morbis maxime necessariæ, non debite procedunt, eoque ipso deficiente tempestiva illarum exclusione & eliminatione effectus noxius, in dissolutione mixtionis animalis consistens, ac sese manifestans, caput erigit, mortemque plurimorum ægrorum post se trahit.

XX.

Maxime omninm tamen hoc ita procedit, si aër humidus & calidus particulis peregrinis, exhalationibus putridis, venenosis, contagiosis, quas miasmata morbosa vocare solemus, refertus existat.

SCHOL.

Hæc enim miasmata, sicut effectum suum noxium semper in dissolutione mixtionis animalis putredinosa manifestant atque declarant; ita in tali aëris conditione commodissimum vehiculum reperiunt, quo corpora nostra ingredi valent, &, quo mediante, tanto promtius humoribus nostris insinuari, iisque permisceri possint; quo facto, dictus aër, si ita perennet, sub decursu talium morborum, eos tanto magis suffulcit, fovet, atque quoad symptomata & pericula graviores reddit.

XXI.

Post aërem accedimus ad MOTUM & QUIETEM, *inquisitionem instituendo, quomodo causam morborum constituere possint.*

SCHOL.

Ubi de motibus paucis in genere monemus, quod, quamvis de omnibus in corpore vivo occurrentibus negari nequeat, quod vel excedentes, vel deficientes diverso respectu morbis velificari possint, tamen hic loci maxime sermo sit de motibus voluntariis atque laboriosis.

XXII.

XXII.

Motus voluntarii ſanitatem noſtram offendunt, cauſamque morborum conſtituunt, quando gradu excedunt.

SCHOL.

Quod ſi itaque contingat, ut motus voluntarii plus juſto intendantur, omnium primo debilitationem & enervationem roboris tonici fibroſarum partium poſt ſe trahunt, unde laſſitudines artuum ſuſceptos vehementiores labores ſequuntur. Non ſolum tamen partes ſolidæ reſpectu roboris tonici ita debiliantur atque læduntur, ſed humoribus noſtri corporis facile quoque labes affricatur; dum nimia talismodi commotione & transpreſſione per partes ſpongioſas ſolidas, vel inteſtino motu agitantur, expanduntur, & orgaſtice commoventur, ut majus requirant ſpatium, unde ſolidæ partes turgent, & vel quaſi tumeſcunt: vel ſub eadem commotione ſimul reſolvuntur in ſerum tenue excrementitium, ideoque quantitate imminuuntur, quod ſi laudabilibus humoribus eveniat, nutrimenti ac virium defectum poſt ſe facili negotio trahit.

XXIII.

Ex oppoſito quies vel vita ſedentaria, vapeſcentia & mucida diſcraſia humorum viam pandit, præprimis, ſi ſub lautiore plenaque diæta humores nutritii augeantur, & ipſa plethora, tanquam plurimorum morborum fœcundiſſima mater, increſcat, cauſamque materialem ſuppeditet.

SCHOL.

Sicut enim ſub motibus laborioſis, vegetior humorum transpreſſio & attenuatio, fluxilitas & mobilitas adjuvatur, ita deficientibus motibus laborioſis, humores quaſi ad ſtagnationem, vel ad minimum plus juſto tardiore in progreſſum deducuntur; unde, quoniam ſemper ad ſpiſſeſcentiam inclinant, tanto facilius ad illam deveniunt, & tanto promtius interſtitiis pororum adhæreſcunt, obſtructiones atque infarctus formant, quo facto negotium ſecretionis partium heterogenearum impeditur, atque ex hoc fundamento per variarum impuritatum coacervationem ſanitas læditur.

XXIV.

Quemadmodum recensita hactenus res, vario modo, morborum generationi favent, ita ex illarum numero EXCRETA *quoque &* RETENTA *nostri corporis, diversimode morbis progignendis causam largiuntur.*

SCHOL.

Comprehendimus sub hac classe, materias in corpore sano excerni solitas, solemnesque excretiones, quarum excessus, aut defectus, legitimas morborum suppeditat causas; quorsum refertur sanguis, tam generaliter per hæmorrhagias, quam specialiter per hæmorrhoides, menses, aut lochia profluens; Sudor & transpiratio insensibilis halituosa, mucus narium, & oris, sperma virile, lac muliebre, urina, & excrementa alvina, quibus accensere licet ipsa exanthemata subcutanea, tam acutis, quam chronicis morbis familiaria.

XXV.

Sanguinis profluvia, vel quantitate, vel impetu, vel tempore durationis excedentia, sanitatem nostram varie lædunt.

SCHOL.

Cum enim sub sanguine tam partes gelatinosæ, nutritiæ, lymphaticæ, quam sulphureæ subtrahantur, quarum utrarumque tamen præsentia respective ad corporis nutritionem & conservationem, æque ac partium solidarum mollium robur tonicum necessario requiritur; quid quæso mirum est, excessiva sanguinis profluvia vires maxime prosternere, lipothymias, animique deliquia, vertigines, corporis maciem, cachexiam, tumoresque œdematosos facili negotio post se trahere?

XXVI.

Ex altera parte hæmorrhagiæ suppressæ, aut non legitime succedentes, in procreandis morbosis calamitatibus, multum efficiunt.

SCHOL.

Id quod neminem Medicorum latere poterit, qui historiam morborum veram, eorumque nexum perpendens, congestiones sanguinis circa

circa caput, thoracem, & artus superiores, cum lancinnatoriis tractionibus spasticis cephalalgicis, arthriticis vagis, a narium hæmorrhagia suppressa, aut moliente, verum non succedente, deducere didicit.

XXVII.

Sicut hæmorrhagiæ in genere, quando supprimuntur, varia incommoda producunt; ita specialiter hæmorrhoidalis excretio suppressa, virili sexui sæpissime gravissima parit damna.

SCHOL.

Quid enim familiarius existit in praxi medica, quam quod hæmorrhoides suppressas aut turbatas excipiat calculus renalis, podagra, arthritis, malum ischiadicum, colica atrocissima, & famosissimum hypochondriacum malum?

XXVIII.

Quot, quantæque calamitates sexui sequiori immineant, si vel menses emanserint, supprimantur, & obstruantur, vel in puerperio constitutis fœminis lochia non debita fluant, hoc optime sciunt artem salutarem exercentes.

SCHOL.

Nil enim certius est, quam quod præcordiorum angustiæ, respiratio anhelituosa, cachecticus corporis habitus, stagnationes sanguinis circa interiora, œdemata, malum hystericum, variæ incongruæ hæmorrhagicæ perruptiones, & in puerperis gravissimæ inflammationes, febresque inflammatoriæ gravissimæ & periculosissimæ inde sequantur.

XXIX.

SUDORIS *excretionem si attendamus, nil magis notum existit, quam quod quantitate, & duratione nimia peccans, sanitati officiat.*

SCHOL.

Sicut enim nimii sudores de resolutione multi sanguinis, in serum tenue excrementitium testantur; ita vires quoque notabiliter consumunt, nutri-

nutrimentum corporis fimul colliquant, eoque ipfo fudorum colliquatoriorum nomen obtinent, quoniam corpora ad maciem difponunt, exfucca & arida efficiunt: id quod potiffimum videri poteft in fubjectis hecticis, aut aliquid lenti febrilis, poft alios morbos perpeffos, patientibus, quibus ejusmodi fudores nimii maxime familiares obfervantur.

XXX.

Tranfpiratio peripherica infenfibilis, utut legitime procedens, & fub legitimo titulo præfens, nibil incommodi, fed potius plurimum utilitatis adfert, ita impedita, ac intempeftive cobibita, æque ac ipfius fudoris fuppreffio, fat multis incommodis ac ægritudinibus viam fternit.

SCHOL.

Particulæ enim fulphureo-falinæ, partim fubtiles atque halituofæ, partim paulo crudiores, hoc modo excernendæ, poris occlufis intus detinentur, atque humoribus denuo mifcentur, unde novæ in illis impuritates nafcuntur, variis difcrafiis atque incommodis anfam poftmodum suppeditantes.

Id quod tanto manifeftius occurrit, fi ipfe actualis fudor per varias externas occafiones retropellatur, aut impediatur; hinc enim fæpiffime translationes humorum ad caput, pectus, variaque loca contingunt, ut inde coryzæ, gravedines, tuffes, afthmata, rheumatismi, cephalalgiæ, aliaque incommada oriantur.

XXXI.

Ad hanc periphericam excretionem non minus referimus EXANTHEMATA *fubcutanea, tam chronica, quam acutis febribus ftipata: variolas nempe, morbillos, petechias, purpuram, fcabiem, achores, cruftam lacteam, tineam capitis, aliaque: a quorum fucceffu legitimo, varia fymptomata molefta, & a minus legitimo, graviffima fæpe damna exoriuntur.*

SCHOL.

Utcunque enim illorum excretio legitime procedat, tanto magis autem,

autem, si nimia illa fuerit, molestissima sæpe symptomata ardoris, pruritus, doloris, causantur. Si autem vel debito tempore & ordine, debitaque quantitate, non protrudantur, vel jam excreta iterum retrocedant, quis quæso nescit, quot, quantaque symptomata periculosa, maximeque sontica, convulsiva, epileptica, asthmatica, suffocatoria post se trahant.

XXXII.

Narium, fauciumque MUCUS, *& excretione & retentione nimia, non minus sæpe constituit morborum causam.*

SCHOL.

Quod si enim vel propter materiæ minorem ad mobilitatem dispositionem, vel ob organorum excretoriorum illegitimam conditionem, hæc excretio impediatur, & sufflaminetur, facillimo negotio tusses, & coryzæ exinde oriuntur: sicut ex opposito, ejusdem vel nimis impetuosa, simultanea, vel nimis diu continuata excretio, relaxationem partium tonicam, & tanto facilius humorum copiosum decubitum atque affluxum ad hasce partes post se trahere potest ac solet.

XXXIII.

SPERMA VIRILE, *etiamsi optimus sit humor, e massa sanguinis oriundus, pro diversitate excretionis aut retentionis, variis incommodis morbidis causam præbere potest.*

SCHOL.

Sperma virile e sanguine, ejus parte lymphatica optima, postquam per arterias spermaticas ad testes delatus fuit, prodire, atque in testibus elaborari, apud Medicos non amplius in dubio habetur, postquam ab Hippocratis usque temporibus observatum fuit, immodicam ipsius excretionem vires debilitare, corpus emaciatum ac debilitatum reddere.

Quemadmodum itaque in præsenti nihil de ipsius discrasia, vel nimis tenui atque aquosa, vel nimis acri, sulphurea salina, vel denique nimis spissa dicimus, & quænam hæc mala post se trahere valent, explicamus, ad specialem pathologiam hæc relinquentes; ita nunc dictum liquorem solum consideramus, quatenus vel excerni, vel retineri de-

 bet

bet, & quomodo ultra modum detentus aut excretus causam morbificam constituere valet.

XXXIV.

Nocet itaque nimia & intempestiva spermatis profusio, & junioribus, & senibus.

SCHOL.

Cum enim materia spermatis potissima, essentialiter eadem sit cum illa, qua corpus nostrum nutritur, licet subtilitatis gradu, puritatisque diversa, haud rationi & experientiæ contrariatur, quod nimia ejus excretio, aut nimis intempestiva emissio, vires & functiones animales ac vitales notorie infringat, debilitet atque prosternat: unde videre licet, quod juniora subjecta, terminum pubertatis vix superantia, si huic excretioni, vel spontaneo ausu indulgeant, vel per morbosam dispositionem sub pollutionibus nocturnis, subjiciantur, pallescant, torpida & quasi relaxata incedant, vertigine, memoriæ debilitate laborent, atque necessario, corporis incremento destituantur, ita ut harum causarum gnaris facile sit, e vultu talium personarum causam quasi dictorum affectuum legere.

Maxime omnium vero senes incommoda talia experiuntur, si ultra posse & necessitatem excretioni huic sub exercitio venereo aliquando indulgeant.

XXXV.

Minus vero nociva existit hac excretio illis, qui magis adultam, vegetamque attigerunt virilem ætatem.

SCHOL.

Hæc enim subjecta, si de cætero sana existant, propterea, quod notabili corporis incremento in longum non amplius egeant, aut sanguine lymphaque laudabili abundent, non æque facile ejusmodi effectus a satis copiosa licet (non tamen simultanea) excretione spermatis patiuntur, nisi forsan defectus laudabilium ciborum, aut excessus motuum laboriosorum, aut denique morbi prægressi simul symbolum suum conferant, aut excretio plane excessiva suscipiatur, quamvis nihilominus ab omni sensatione molesta fatigationis & lassitudinis, sub moderata etiam excretione, nemo immunis maneat.

XXXVI.

XXXVI.

Defectus hujus excretionis longe rarius per se incommoda morbosa post se trahit.

Schol.

Substantia enim seminis lymphatica in sanguinem iterum resorberi atque in corporis nutrimentum impendi potest: si autem aliquando vel tumores testiculorum, vel priapismi atque tentigines membri virilis, vel phantasiæ læsiones inde nasci videantur, hæc incommoda quidem ex aliqua parte spermatis retentioni, non tamen huic soli, sed intensis speculationibus lascivis concurrentibus, & denegato illarum effectui, specialique materiæ spermaticæ commotioni adscribenda erunt.

XXXVII.

Ad excernendorum classem referimus quoque LAC MULIEBRE.

Schol.

Quamvis lac mulierum nullatenus constituat corporis excrementum, nihilominus tamen ad excreta & retenta pertinet, cum non eum in finem in mammis mulierum elaboretur & sequestretur, ut in proprii corporis usum ibi detineatur, sed ut elaboratum speciem excretionis subeat, & in alienum corpus, infantile nempe, ejusque emolumentum, deferatur, quod fit sub lactatione, vel a matribus, vel a nutricibus instituta.

XXXVIII.

Hic liquor, licet in sua substantia optimus, utilissimus, nutritius, optimisque requisitis gaudens, ac respectu infantum maxime necessarius, nihilominus causa molestiarum morbosarum evadere potest; si debito modo ac tempore non excernatur, prolique præbeatur.

Schol.

Quando enim in mammis maternis coacervatur, coagulatur, atque grumescit, tubuli lactiferi inde infarciuntur, atque oppleti, reliquo, tam sanguini, quam lacti, liberiorem transitum dubium reddunt: unde propter denegatum lactis effluxum tumor mammarum, vasorum sanguiferorum

rorum turgida inflatio, cum rubore mammarum, dolore, ardore, cæterisque inflammationem arguentibus ſymptomatibus & ſignis: aut ſi tolerabilius res cedat, neque ad inflammationem deveniat, ad minimum ſubſiſtentia ejusmodi lactis in mammis nodoſas mammarum indurationes temporarias, cum puncturis lancinnantibus, doloribus tenſivis, preſſoriis circa pectus, imo ſæpiſſime cum anguſtiis ſuffocatoriis, poſt ſe trahit.

Id quod omnium communiſſime experiuntur fœminæ plethoricæ, lac abundanter generantes, ſi vel in puerperio lactationem detrectent: vel ſub lactione inſtituta aliquando nimis tarde infantibus ubera præbeant; vel a terrore repentino, horripilatoriam ſtricturam tam peripheriæ corporis in genere, quam ſpeciatim mammarum, experiantur: vel denique, ſi infantes repente moriantur, & mulierculæ de exſuctione lactis nimis ſero curam gerant.

XXXIX.

Quomadmodum autem lac reſpectu corporis materni talia incommoda producit, ſi nimis detineatur; ita reſpectu infantum varia quoque damna affert, ſi vel defectus ipſius occurrat, vel partibus heterogeneis atque impuris inquinatum exiſtat, vel denique nimis pingue, aut quantitate abundans adſit, tenellisque offeratur.

SCHOL.

A defectu enim corporis macies, & nutritionis defectus ab impuritate variæ cutis defœdationes, achores, cruſta lactea, ſerpigines, excoriationes, ſcabies, diarrhœæ bilioſæ, tormina; a nimia pinguedine autem, quantitatisque abundantia, & nimia obeſitas, & alvi obſtipationes, cum diſpoſitione ad infarctus pectoris, & catarrhos ſuffocativos, oriuntur.

XL.

URINÆ EXCRETIO, *haud legitime ſuccedens, generi humano multa parit damna.*

SCHOL.

Si enim ſupprimitur aut reſtagnat, non modo per moram acrior fit

fit, & concentratur, ut demum emiſſa, ardorem doloremque pariet; ſed ſub ipſa ſui ſuppreſſione dolores, veſicæ nimiam diſtenſionem, ad rupturam usque metuendam, cum ſpaſmis, inflammatione, eroſione, dolorificasque emiſſiones, ſub iſchuriæ, dyſuriæ & ſtranguriæ titulo notas producit.

Sicuti e contrario tonum veſicæ, ejusque ſphincteris, nimia ſua aquoſitate aliquando relaxando, involuntarii mictus cauſam materialem conſtituit: aut nimia ſecretione & excretione diabeten cauſatur. Nec ita rarus eſt ab urinæ ſuppreſſione, vel illegitima ſequeſtratione, tumor hydropicus, anaſarcoides pedum, ac reliqui corporis, qui haud facile, niſi per urinæ & diureſeos provocationem, reſorbetur ac removetur.

XLI.

ALVINA EXCRETIO *plura adhuc incommoda ac damna producit, ſi vel defectu vel exceſſu quantitatis, vel qualitate peregrina peccet.*

SCHOL.

Defectu enim peccat hæc excretio, ſub alvi obſtructione, ubi extenſionis & diſtenſionis inteſtinorum, flatuum incarceratorum, torminum, dolorum, cauſa exiſtit: ſicut exceſſu moleſta ſub diarrhœa ſimpliciore frequentioribus deſidendi conatibus ſubjecta torquet, multaque excrementa, ſive fluidiora & liquida, ſive ſolidiora excerni facit.

Peregrina autem qualitate moleſta exiſtit, quando vel a ſeroſa, vel a biliosa colluvie, acria & cauſtica exiſtunt excrementa, atque ſub ſua præſentia dolores & ardores in toto inteſtinorum tractu, aut aliqua illorum regione, imo aliquando inflammationes, vel eroſiones; ſub excretione autem, ani ardores, excoriationes, teneſmoides dolores excitant atque producunt, & ita diverſorum tam morborum, quam ſymptomatum cauſa evadunt.

XLII.

Ad res præternaturales præ aliis referendi ſunt vermes: *de quibus, quot & quantorum morborum, aut ſymptomatum graviſſimorum cauſa ſint, inter omnes, qui artem ſalutarem exercent, conſtat.*

SCHOL.

Graviſſima enim pathemata ſpaſtica & convulſiva ſæpiſſime producunt, quando vel in inteſtinis hærentes, vel tunicam illorum nerveam vellicantes, rodendo afficiunt, naturamque ad expulſionem, motusque violentiores, non modo in inteſtinis, ſed aliis quoque corporis partibus excitandos, impellunt; pallores vero, corporisque maciem poſt ſe trahunt, quando ſuccum chyloſum nutritium avide in inteſtinis abſorbendo, ejus ulteriorem communicationem cum ſanguine impediunt, nutrimentum corporis neceſſarium abſumunt.

XLIII.

Calculus, *ſive renalis fuerit, ſive in veſica urinaria concretus, non minores, præternaturali ſua præſentia, cauſatur cruciatus.*

SCHOL.

Quamvis enim in quiete poſitus, neque commotus, paucas, imo nullas ſubinde procreare ſoleat moleſtias; tamen, quamprimum vel nude movetur, vel ſub motu ſimul aſperitatibus aculeatis partibus membranoſo-nerveis infixus hæret, aut magnitudine extraordinaria viarum tranſitui dicatarum proportionem ſuperat, atrociſſimos poſt ſe trahit dolores, tam in uretheribus, locisque vicinis, quam in veſica, urethra, pro diverſitate loci ſpecialiſſime patientis, nec non alias in conſenſum trahit partes, unde vel vomitus, vel diarhœæ, vel cardialgiæ, vomendique conatus vacui, & alvi obſtipationes pertinaces, tanquam ſymptomata calculi præſentis ordinarie adparent: ne dicam de mutationibus urinæ, tam quoad ipſius conſiſtentiam, quam excretionem.

XLIV.

De FLATIBUS *in inteſtinis incarceratis, non opus eſt, ut verba faciamus multa, cum neminem plane fugiat, quanti ſint dolores & cruciatus colici, & quid patiantur hypochondriaci ab illorum excluſione impedita: ſiquidem haud rarum eſt, quod a flatibus retentis varii rheumatiſmi oriantur, anxietates præcordiorum, & ſi exceſſive peccent, tumores tympanitici producantur.*

XLV.

XLV.

Si RES, P. N. ET CONSUETUDINEM DEGLUTITAS, *& ab extra in corpus delatas, perpendamus non omnes illarum pari ratione, aut gradu nocent: Aliæ enim solum molestiam in primis viis pariunt, donec iterum ejiciantur.*

Schol.

Hujus generis sunt arena, lapilli, globuli metallici, lutum; quæ omnia notabilem sanitati noxam non inferunt, præter, quod anxietatem, aut gravitatem ventriculi & intestinorum, aut alvi adstrictionem producant.

XLVI.

Aliæ illarum deglutitæ dolores excitant positive graviores, aliæ vero continuitatis læsionem corrodendo inducunt.

Schol.

Prius contingit ab acubus deglutitis, vitro, aliisque rebus pungentibus: *alterius ordinis* sunt omnia venena, & corrosiva, quæ texturam partium internarum, quorsum pertingunt, lædunt ac destruunt, inflammationes, ac sphacelationes lethales post se trahunt.

XLVII.

Ultimam, nec sane infimam, sed fere pessimam harum rerum classem constituunt MIASMATA VENENOSA *&* CONTAGIOSA, *quæ cum aëre afferuntur, & vel per salivam, vel per poros corporis, ad humores penetrare valent.*

Schol.

Hæc enim non tam prompte solidarum partium texturam, quam primario fluidarum mixtionem invertunt, qua corrupta tandem secundario etiam in partes solidas agunt, iisque corruptelam sphaceloso-putredinosam imprimendo, nocent, mortemque sine omni dubio post se trahunt: id quod videre licet omnium apertissime in peste, febribus pestilentialibus, aliisque malignis & contagiosis.

CAP.

CAPUT VI.
DE
MORBORUM TEMPORIBUS.

I.

Adplicatio termini, temporis morborum, in scholis medicis varia est, atque diversa.

SCHOL.

Vel enim respicit hic terminus decursum morborum generalem, quem breviori aut longiori intervallo absolvunt: vel eorundem decursum specialiorem, imo aliquando specialissimum, quem secundum certa tempora, stataque dierum aut horarum intervalla, certis morbis propria, servant; vel denotat certa tempora, quibus, tam respectu subjectorum ægrotantium, quam respectu temporis anni, morbi speciales, familiares atque solennes observantur.

Primo intuitu a tempore, morbis familiari atque solenni, desumitur morborum divisio in chronicos, atque acutos; de quibus, cum in antecedentibus jam dictum fuerit, hic nihil repetimus.

Pariter res sese habet respectu ultimæ considerationis, quo respectu morbi dividuntur in morbos ætatum, aut temporum anni; unde in conspectum veniunt morbi infantiles, seniles, vernales, æstivi, autumnales, atque hyberni, quibus merito junguntur, vel ad latus ponuntur, morbi æquinoctiales ac solstitiales, qui certa hæc recurrendi aut invadendi tempora, juxta ordinem, ex consuetudine motuum semel inductum, servare solent: de quibus non minus sub capite de morborum differentiis jamjam actum est.

II.

Secunda itaque consideratio temporis morborum strictius nostram præsentem tractationem subit.

SCHOL.

Qnatenus nimirum morbi decursum suum specialiter, secundum specialia certaque tempora absolvunt, aut specialissimis statisque temporibus, respectu periodi, symptomatum, aut eventus, alligantur.

III. Ge-

III.

Generaliori in hoc genere respectu, Medicis nota existunt morborum tempora, secundum quorum diversitatem, morbi principium, incrementum, status vel ἀκμὴ & declinatio, perpenduntur.

SCHOL.

Hæc morbi tempora ita interpretamur, ut principium, & primum invasionis tempus, nobis idem sit: per augmentum autem intelligimus gradum morbi, successive auctum, ut non modo æger, sed adstantes etiam, haud difficulter agnoscant, morbum adhuc crescere, & graviorem fieri: donec ita ad summum quasi gradum provectus, in hoc gradu, quem attigit, constanter sine mutatione, neque in melius, neque in deterius, perseveret, & quasi subsistat, quod statum vocamus, cujus ultimus quasi summusque gradus ἀκμὴ, sive apex, dicitur: si tandem morbus post hunc gradum iterum successive decrescat, viresque ægri & reliquæ ipsius actiones iterum restaurari adpareant, morbus in declinatione constitutus esse dicitur.

IV.

Solennis est hæc generalis temporum morbi divisio omnibus morbis in genere.

SCHOL.

Nullus enim penitus existit morbus, qui sui principium, incrementum, statum, & si curationi Medici obsequatur, declinationem non agnoscat: quamvis enim multi morbi acuti satis breve decurrendi tempus habeant, nihilominus tamen per gradus invadunt, cursumque suum absolvunt.

V.

Omnium vero maxime hæc temporum divisio ac differentia notorie observatur, seque manifestat, in febribus acutis atque continuis, certa periodorum tempora præ reliquis morbis servantibus.

SCHOL.

Notum enim est, hasce febres certo temporis spatio, sive hora-

rum, sive dierum, in genere ordinarie alligari. Brevissima illarum esse potest ac solet sic dicta ephemera, quæ, quamvis unico paroxismo absolvatur, eumque una die ad finem perducat, tamen per horas successiva incrementa capit, & successive iterum decrescit, postquam aliquot horarum spatio summus ipsius gradus duraverit.

VI.

Ipsa pestis, tanquam febrium acutarum continuarum & malignarum sævissima, haud unico impetu ad summum ascendit fastigium, quin itidem per gradus ab invasione ad ἀκμὴν adscendere apud plurimos ægrotantium, observetur.

SCHOL.

Quamquam enim historiæ non deficiant, testantes, peste correptos unico quasi momento in terram decidisse, mortuosque fuisse, in quibus antea nihil morbosi observatum fuerit; nihilo minus dubitandum est, quin ejusmodi personæ robustiores fuerint, & quamquam ipsæmet aliquid molesti senserint, tamen ex metu, variisque causis moralibus, vel ex desperatione ac temeritate nihil plane conquestæ fuerint, donec morbus naturam ejusque motus in totum superans, tyrannidem in illis exercuerit, easque; illis id nondum putantibus, jugulaverit.

VII.

Paulo longiorem in genere terminum decursus ordinarie agnoscunt febres inflammatoriæ, internarum partium inflammationes sequentes, quippe quæ uno septenario ordinarie absolvuntur.

SCHOL.

Unde constans Medicorum observatio testatur, ægros ejusmodi febribus inflammatoriis laborantes & decumbentes, intra septimum ab invasione diem vel sanari, vel mori, eosque, qui moriuntur, vix terminum septenarii primi attingere, sed die quinto aut sexto perire: id quod in pleuritide vera, & phrenitide præcipue contingit, quippe quæ difficulter in abscessum, facillime autem in sphacelosam corruptionem abeunt.

VIII.

VIII.

De peripneumonia certissimum, compertumque habemus, quod, si debite & methodice tractetur, aut saltem nullo modo turbetur, semper, & quasi sine exceptione, intra septimum diem ad felicem perducatur finem, cum ægrorum restitutione.

SCHOL.

Ad turbationum hujus affectus causas referimus merito malum ægri regimen, quo refrigeratione externa aut interna peccatur: sicut ad tractationem ἀμεθόδως susceptam, pertinet debitarum ac legitimarum indicationum neglectio, aut præpostera adplicatio. Quod si itaque ex alterutro capite hic morbus turbetur, tunc utique restitutio ægri intra dictum terminum non succedit, sed vel æger intra illum moritur; vel, si tempestive adhuc error commissus emendetur, morbus facilius in longius tempus protrahitur, atque ad undecimum, vel plane decimum quartum diem extenditur.

IX.

Reliquæ acutarum, sive benignæ, sive malignæ, (exceptis pestilentialibus, quæ quartum vel septimum diem vix transcendunt) ordinarie tribus septenariis cursum suum absolvunt.

SCHOL.

Primo enim septenario principium & incrementum, secundo status, & tertio declinatio absolvitur atpue comprehenditur. Ubi tamen fundamenti loco monemus, numerationem dierum apud Medicos in hisce casibus ac morbis non institui modo vulgari, secundum dies mensium; sed Medicos initium computationis instituere a prima invasionis morbi hora, quocunque diei aut noctis tempore illa demum fuerit, & ab hoc termino semper viginti quatuor horas pro uno die habere.

X.

Ad specialissima morborum tempora pertinent partim tempora critica, in genere acutis familiaria: partim illa, quæ

aliquibus acutorum, respectu certorum phænomenorum aut symptomatum, plane propria existunt.

SCHOL.

Ratione criticorum temporum atque dierum, in genere est notandum, ordinarie numerum hic septenarium observari, cum semiseptenario: unde septenarii dies criticorum, semiseptenarii autem indicatoriorum titulum obtinent, eam ob rationem, quod septimo die ordinarie ea sequatur crisis, aut lysis morbi, de qua semiseptenarius dies, proxime antecedens, aliquod indicium suppeditavit atque præmisit.

Ita v.g. hæmorrhagiæ narium, die septimo aut decimo quarto sperandæ aut successuræ, indicium sæpe est, si die morbi quarto aut undecimo, oculi rubentes appatent, cum capitis doloribus, aut aliquot sanguinis guttæ stillare incipiunt: sicuti delirii subsecuturi, aut imminentis indicium ac prognosin præbet, si præter spem indicata hæmorrhagia emaneat, & non succedat, in vigore manente febre.

Et huc quoque spectat canon ille Hippocratis: acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur, & qui tunc non judicantur, judicantur vigesimo primo; & Sect. Aph. 2. Aph. 24. Septimorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus est initium. Notandus vero undecimus; is enim quartus est alterius septimanæ. Notandus rursum decimus septimus: hic enim quartus quidem a decimo quarto, septimus vero ab undecimo.

XI.

Specialissima morborum tempora, quæ aliquibus saltem morborum acutorum, respectu certorum phænomenorum, competunt, non minus equidem sunt critica, atque in genere cum mox antecedentibus coincidunt, verum ratione circumstantiarum hic singularem considerationem subeunt: sunt autem morbi exanthematici præcipue, in quibus hæc observantur.

SCHOL.

Ita petechiales maculæ septimum ordinarie morbi diem, proprium

prium eruptionis terminum agnoſcunt, atque ad decimum quartum durant, antequam plane iterum evaneſcunt; niſi forſan epidemica aliqua aëris conſtitutio aliquando, & quidem rarius, contrarium producat, ut tardius circa decimum quartum prorumpant: in quo caſu etiam contingit, ut univerſa febris, non ſeptenario tertio, ſed quarto demum, vel ſecundum Hippocratem, trigeſimo demum die abſolvatur & terminetur.

Si autem, excepto hoc caſu, maculæ petechiales, vel ante, vel poſt ſeptimum erumpunt, prius turbationem & nimiam motuum naturæ exacerbationem, poſterius autem motuum languorem, viriumque defectum teſtatur, & utrumque funeſtum eventum minatur: maxime omnium autem ſextus dies in hoc negotio ſuſpectum ab omni ævo ſe reddidit, unde in genere medicorum cohors ipſi tyranni titulum impoſuit, cum conſtanter obſervaverint, omnes ejusmodi excretiones, quæ critico die fieri debent, ſi ſexto contingant, ſemper funeſtum fortiri eventum.

XII.

De morbillis atque variolis notum eſt, certum ipſis ac deſtinatum eſſe eruptionis tempus.

SCHOL.

Dies nempe quartus eſt, quo ſemper & ordinarie, ſi legitime decurrunt, effloreſcere incipiunt; ubi morbilli ab hoc termino ad undecimum usque continuare ſolent, ac deinde ſucceſſive evaneſcunt, ut ægri circa decimum quartum ordinarie reſtituti appareant.

Variolæ autem, poſtquam die quarto eruperunt, efflorеſcentiam ordinarie usque ad ſextum continuant, & ad ſeptimum usque incrementum capiunt; quo facto a ſeptimo ad undecimum ſucceſſive matureſcunt, & circa hunc terminum pedetentim rumpuntur, ita, ut circa decimum quartum maximam partem ad minimum deſiccatæ exiſtant, ægrisque orthoſtadiam iterum concedant.

XIII.

Reſpectu purpuræ miliaris non ſemper adeo firma, certaque tempora determinari poſſunt.

SCHOL.

Quotidiana enim experientia teſtatur, quod, quamvis quandoque

& satis frequenter, die septimo morbi prorumpat, nec non ad alterum septenarium duret, nihilominus æque frequenter, modo citius, modo tardius, neque præcise criticis diebus, prorumpat, & haud raro durationis terminum satis longum servet, aut licet evanescat, facillime tamen denuo prorumpat, ita ut non semper aliquid certi de illa supponi queat.

XIV.

Nec minus peripneumonia, præter ea, quæ jam notavimus, specialissimis temporibus gaudet.

SCHOL.

Dictum quidem fuit in antecedentibus, quod unius septenarii termino ordinarie absolvatur, si legitime succedat atque tractetur: sciendum tamen, hunc quoque adfectum certis ac specialissimis temporibus gaudere; licet enim generalis decursus periodus termino septenario absolvatur, tamen materiæ suppuratio atque excretio speciales terminos habet, unde notum esse debet, maturationem ipsius materiæ inclusæ intra tertium diem absolvi, eoque excretionem sputi cruenti incipere, hancque die tertio, quarto, & quinto maximopere durare, ubi iterum minuitur, circa septimum penitus evanescit, sensusque pruritus in læsionis loco, cum tussis cessatione, morbi absoluti indicium præbet.

XV.

Hæc dicta temporum morborum legitima consideratio maximi usus existit in medicina practica.

SCHOL.

Quapropter omnia dicta morborum tempora bene perspecta habere debet Medicus, eorumque notitiam in singulis ejusmodi morbis attente adplicare, ne ex illorum inscitia, aut neglectione, methodo medendi perversa, quidquam pervertat, motus naturæ turbet, novos, eosque inconvenientes motus provocet, & ita ægrum in gravissimum vitæ periculum conjiciat, sed potius adhibita debita attentione, omnia impedimenta felicioris successus removeat, & ita sinistrum successum pro viribus præoccupet.

CAP.

Caput VII.
DE MORBORUM SYMPTOMATIBUS.

I.

Symptomata morbi, tam a morbo ipſo, quam a cauſa morbifica differunt.

Schol.

Notiſſimum eſt in ſcholis Medicorum, diſtinctionem ſemper factam eſſe morbi ipſius, ſeu læſionis primariæ, in corpore vivo ortæ, cauſæ morbificæ læſionem producentis aut minitantis, & ſymptomatum, læſionem concomitantium & inſequentium. Nec plane inutilis aut de nihilo eſt hæc diſtinctio, modo optandum eſſet, ut vera illius adplicatio & explicatio adhibita fuiſſet, prout veræ pathologiæ & praxeos fundamentis reſpondere deberet.

II.

Vulgaris explicatio ſymptomatis, quod ſit actionum læſio, a morbo inducta, & effectus ipſius læſionis, ad aliquos quidem affectus, non autem ad omnes adplicari poteſt.

Schol.

Valet hæc explicatio, de læſionibus externarum partium vulneratoriis: has enim, ſi conſideremus, partis ſpecialiter affectæ actio læſa erit tale ſymptoma, quod ſimul effectus læſionis inductæ eſſe poteſt, ac dici meretur. Pariter in affectibus paralyticis reſolutio toni vitalis partium fibroſarum effectum producit in parte affecta, qui ſymptoma vocatur, & per actionis læſionem ipſius membri paralytici ſeſe exſerit & manifeſtat.

III.

Moleſtiæ, moleſtæque ſenſationes, quæ præſente morbo, aut cauſa morbifica, ægrum afficiunt, & læſionem ſive imminentem, ſive inductam, ſequuntur, & comitantur, nec tamen ſive læſionem

nem ipsam, sive causam morbificam constituunt, quamvis illis deficientibus, non adsint; dicuntur vero sensu, symptomata, accidentia & morbi consectaria.

SCHOL.

Revocamus hic in mentem ea, quæ Cap. II. dicta sunt, non omne id, quod morbum appellare solemus, revera læsionem partibus actu jam intulisse, aut morbum esse, sed potius actum aliquem ipsius naturæ, corpori equidem vivo molestum, nullatenus tamen noxium, sed eum in finem ab ipso principio vitali susceptum ac adornatum, ut causa læsionis vel jam factæ, vel imminentis, aut alteretur, aut excernatur & removeatur.

Hunc naturæ actum, in se legitimum ac naturalem, licet quoad gradum extraordinarium ac præternaturalem, sæpissime, imo ordinarie, sequuntur tales molestiæ, atque incommodæ sensationes, quæ non adessent, nisi dictus contra causam morbificam susceptus fuerit actus, & quæ superata ac exturbata causa morbifica, & cessante actu naturæ, contra & propter illam suscepto, iterum evanescunt & cessant.

Melioris illustrationis causa, ponamus febrem aliquam acutam malignam: exserit se hæc febris essentialiter, & primario sub pulsus præternaturalibus alterationibus, e quieto, placido, ordinato, in celerem, frequentem, inæqualem, fortiorem aut debilem, quam pulsus mutationem a statu naturali ipsam febrem, morbumque salutare solent: quod tamen minus recte & accurate fit. Ipsa læsio enim hoc in casu, præcipue ab initio morbi, nondum facta est, sed imminet saltem a causa aliqua peregrina, sive in corpore generata, sive aliunde ad illud delata, in humoribus hospitante; quæ læsio, si penitus in actum deduceretur, in dissolutione mixtionis animalis terminum suum haberet.

Ad hanc læsionem, toti corpori interitum minitantem, avertendam, & propter causæ morbificæ, vel lædentis, tempestivam eliminationem, natura motum sanguinis suscipit vehementiorem, cordisque pulsum, gradu quidem extraordinarie & p. n. respectu necessitatis aut utilitatis autem nequaquam contra naturam aut rationem, auget atque intendit, quo sub ipso hoc auctiore motu, ejusque assidua continuatione, materia noxia læsionem irreparabilem inductura, subigatur, & per organa secretoria & excretoria, e massa humorum semoveatur, atque e corpore eliminetur.

Sub

Sub hoc actu naturæ, contra læsionem & læsionis causam suscepto, accidunt ægro diversæ molestiæ, de quibus tunc temporis conqueritur, quales sunt: calor, æstusque præternaturalis, sitis, capitis dolores, vigiliæ, lassitudo, appetitus dejectio, sudor extraordinarius, anxietates atque angores, aliaque plura. Omnes hæ molestiæ, cum neque ipsam læsionem aut morbum constituant, neque ad causam referri possint, symptomata, vel accidentia febris dicuntur, quoniam præterea cum ipsa febre cessante iterum cessant.

IV.

Symptomatum, quæ in morbis occurrunt, alia sunt essentialia, alia vero accidentalia.

SCHOL.

Occurrunt enim omni die symptomata sub morbis, quæ extra morbum præsentem quidem non adsunt, verum tamen neque cum ipsa læsione, neque cum causa morbifica immediatam connexionem habent; hinc dicta distinctio ortum cepit, præcipue cum alia sæpe adsint, de quibus longe aliter sentire debet Medicus. Quamobrem illa dicuntur essentialia, aut ad morbi essentiam pertinentia symptomata, quæ immediate, vel cum morbo, vel cum causa morbi connexionem habent, ita ut hic præsens morbus ordinarie, & in omnibus aut plurimis individuis, sine illis non reperiatur aut esse possit; hæc autem talia existunt, quæ non semper in omnibus aut plurimis individuis eundem morbum comitantur, sed ex alia quadam causa accessoria regiminis, diætæ, animi pathematum, nascuntur & producuntur, & post hujus causæ remotionem ut plurimum cedunt, licet ipse morbus nondum cesset, sed ordinarium suum cursum adhuc prosequatur.

V.

Distinctio hæc symptomatum in praxi medica maximam habet utilitatem & necessitatem.

SCHOL.

Sicuti enim v. g. in febre aliqua dolor capitis specialiter æstuosus, in uno quodam ægro adesse potest, qui forsan non procul a fornace æstuante decumbit; aut vomitus ægrum per totum paroxysmum tor-

quet, qui ſub eodem magnam frigidi potus copiam ingurgitat, eamque avide ac impetuoſe ingerit: vel ſub leviore nephritide in mictum cruentum æger incidere poteſt, ſi forſan diureticis calidioribus internis, aut oleis ac linimentis valde calidis externis, præter methodum, tractatus fuerit; quæ ſymptomata omnia aliis, iisdem morbis decumbentibus, non eveniunt, quoniam easdem cauſas occaſionales, a quibus ortum ducere potuerunt, evitarunt; ita ſimile quid in quocunque morbo, ratione plurium ſymptomatum contingere poteſt, unde ſane neceſſe eſt, ac valde proficuum, ut Medicus hanc ſymptomatum differentiam in omni morbo probe calleat atque noſcat, eum in finem, ut ſibi caveat, ne directe motibus naturæ utilibus, atque in bonum finem inſtitutis ſeſe opponat, eosque per ſymptomatum moleſtorum, ad eſſentiam morbi pertinentium, ſuppreſſionem intempeſtivam attentatam pervertat, totius morbi ordinem invertat, & ægrum in maxima ſæpe pericula præcipitet, ſed potius ſciat, ſe talia ſymptomata eſſentialia, citra cauſarum aut morbi fundamentalem remotionem, cum ægrorum vero emolumento tollere neque poſſe, neque debere. Quicquid autem reſpectu illorum efficere poteſt, id nude in cauſarum, aut læſionum methodica ſublatione erit quærendum; quod, ſi Medicus non attendit, nil niſi ſymptomatum palliationes, eorumque utplurimum tanto graviores recurſus producet. De reliquis minus eſſentialibus monendus eſt, ut ſemper pro viribus in cauſas eorum genuinas inquirat & proximas, ut per illarum quoque ſublationem eadem e medio tollere poſſit.

CAPUT VIII.

DE LÆSIONIBUS HUMORUM IN GENERE.

I.

Læſiones, quibus fluidæ noſtri corporis partes ſubjiciuntur, commode ad tres potiſſimum claſſes referuntur.

SCHOL.

Schol.

Respiciunt enim humorum læsiones, vel eorundem quantitatem, vel qualitatem & crasin: vel denique illorum motum.

II.

Quantitas humorum læsa in conspectum venit vel sub excessu, vel sub defectu.

Schol.

Excessus quantitatis dicitur abundantia, & æque ac ex opposito defectus, applicationis locum invenit circa omnes, tam universales, quam particulares corporis nostri humores: in specie tamen respectu sanguinis plethoræ titulum gerit.

III.

Et abundantia, & defectus humorum, facili negotio reliquarum læsionum causæ existere possunt.

Schol.

Abundantia enim humorum quando mole sua proportionem vasorum atque viarum superat, non minus causam læsionis motus humorum constituit, e qua læsione motus deinde facili negotio læsio quoque craseos aut qualitatis ortum ducere potest. Si autem defectu quantitatis peccent humores, occasionem præbent faciliori viarum collapsui, & passivæ angustationi, quo ipso, successu temporis, obstructionibus, & impedito negotio secretionum, via sternitur, ac pedetentim discrasia humorum introducitur.

IV.

Qualitatis vel craseos læsio respicit vel humorum consistentiam, vel eorundem mixtionem; ita tamen, ut vel consistentia sola, vel sola mixtio, vel utraque simul læsa esse possit.

V.

Quoad consistentiam humores læduntur, vel spissitudine, vel nimia tenuitate.

Schol.

Spissitudine extraordinaria, motus illorum progressivus tardior redditur, & transitus per vasa angustiora, imo capillaria, nec non per

partium porosarum substantiam impeditur. Tenuitate autem nimia præsente, nimis cito organa secretoria prætereunt, & translabuntur, quo fit, ut particulis heterogeneis imbuti, eas facilius retineant, atque difficilius ab illis liberentur, aut profusionibus variis passivis ansam præbeant, vel denique sub activis congestionibus tanto facilius, promtiusque profundantur.

VI.

Mixtio humorum diversimode læditur, pro diversitate particularum heterogenearum, humorum mixtionem extra ordinem ingredientium.

SCHOL.

Si enim a mucidarum partium accessu ad lentorem, vappescentiam, & muciditatem disponuntur; a sulphureis, volatilibus, atque activis particulis valde attenuantur, expanduntur, orgastice & intestine commoventur, eoque ipso ad dissolutionem mixtionis naturalis tanto aptiores redduntur: salinis aut acidis accedentibus particulis, si in copia hoc fiat, acres, caustici, & corrosivi subinde fiunt, & varii generis exulcerationes causantur: quod tamen non tam de tota humorum massa universim, quam potius de humoribus singulatim consideratis intelligendum est.

Quando autem ex diversorum humorum particularium impuritate & discrasia, in universaliores humores aliquando læsio craseos redundat, tunc hæc qualitatis humorum universalior læsio ordinarie titulo cacochymiæ insignitur.

VII

Læsiones, quæ circa motum humorum contingunt, concernunt vel motum illorum progressivum, atque localem, vel motum fluiditatis aut intestinum.

SCHOL.

Uterque motus, cum suis læsionibus, considerationem meretur medicam, quoniam unus ab altero dependet. Etiamsi enim motus localis & progressivus potissimam partem a solidorum motu dependeat & suffulciatur, dum partium fibrosarum motu, partim tonico, partim voluntario, partim in quibusdam partibus manifeste systolico & diastolico, e loco in locum moventur, nihilominus tamen solidæ partes in fluidas agere haud possent, earumque progressum promovere & conservare, nisi fluiditas,

ditas, a motu singularum particularum, fluidas constituentium, intestino dependens, præsto esset, iisque dispositionem largiretur, ut facili motu e loco in locum moveri possent.

VIII.

Motus humorum localis læditur, vel simplici progressus impedimento; vel motu extraordinario & inæquali: vel motu demum plane retrogrado.

SCHOL.

Primum fit, quando per vias constrictas, aut ab impuritatibus obstructas, motum ordinarium humores continuare nequeunt, sed in progressu suo impediuntur.

Alterum potissimum contingit sub variis congestionibus, ubi non æqualiter per universum corpus, sed particulariter ad certam partem extra quotidianum ordinem feruntur.

Tertium autem accidit sub spasticis partium solidarum stricturis, unde humorum retrocessiones & metastases ortum ducunt.

IX.

Motus fluiditatis & intestinus, pro varietate causarum, variis subjicitur læsionum modis.

SCHOL.

Quando nempe vel impuritates mucidæ ac viscidæ lentorem inducunt, vel refrigerationes externæ spissescentiam & grumositatem coagulatoriam producunt: vel a partibus sulphureis subtilibus & agilioribus motus humorum orgasticus expansorius ortum ducit.

X.

Omnes modo recensitæ læsiones humorum, quamvis diversos respectus habeant, & diversimode occurrant, ita tamen comparatæ sunt, ut una facillimo negotio alteram post se trahat, & præsente una illarum aut altera, reliquæ facillime sequantur & oriantur.

SCHOL.

Sicut enim in superioribus diximus, abundantiam humorum, pro-

portionem vasorum excedentem & superantem, impedimentum esse motus progressivi, quo impedito, secretionum negotium impeditur, & discrasia humorum producitur: ita ex altera parte facile quisque deprehendet, humorum discrasiam non minus motus impeditioris causam fieri posse. Quid enim, quæso, ex falsa corruptione, lymphæ v. gr. & seri, præter lentorem & mucidititatem utriusque producitur? Lentore autem inducto, motus progressivus retardatur, reliquæ impuritates augentur, & totum secretionum & excretionum negotium sufflaminatur. Si autem discrasia sulphurea urgeat, nil nisi motus orgastici, expansorii, congestorii, & eluctatorii inde oriri possunt.

CAPUT IX.
DE
LÆSIONIBUS MOTUUM IN GENERE.

I.

Motuum læsiones, de quibus hic sermo est, fundamentum suum habent in partium solidarum alteratione morbosa.

SCHOL.

Quemadmodum enim in antecedente capite læsiones humorum, vel partium fluidarum in genere, indicavimus, ita tractationis ordo postulat, ut illas quoque læsiones generatim indigitemus, quæ partes solidas præcipue respiciunt; & quoniam solidæ partes motuum instrumentum constituunt, horumque læsiones aut alterationes maxime in sensus incurrunt, motuum læsiones aut morbi nominari merentur.

II.

Consideramus autem hic illas motuum alterationes morbosas, quæ intrinsecam causam, a principii moventis erroribus dependentem, agnoscunt, & tanquam horum effectus, in partes solidas

lidas redundantes, atque per illas sese manifestantes, medico-pathologicam subeunt considerationem.

SCHOL.

Excludimus itaque in præsenti a nostra tractatione illas motuum læsiones passivas, quæ organorum aut instrumentorum, partium nempe solidarum materiales læsiones, quatenus in vitiis vel conformationis, quoad magnitudinem, figuram, numerum aut situm: vel unitatis, & contiguitatis, sub titulo vulnerum, contusionum, ulcerum, rupturarum, fracturæ, cariei ossium, aut luxationum & subluxationum, consistunt, pro causa antecedente agnoscunt, quippe quæ ad chirurgiam spectant, atque sub illius tractatione occurrunt; quamobrem harum læsionum in transitu saltem meminisse sufficiat.

III.

Dictæ motuum læsiones duplici modo sese manifestant; dum a statu naturali deflectunt vel in EXCESSU *vel in* DEFECTU.

IV.

Excessus ille motuum, per partes solidas sese manifestans, respectu partium, quas in specie afficit, est varius, licet in se spectatus, sit unus & idem.

SCHOL.

Ita enim motus in corde atque arteriis naturalem modum atque gradum excedit atque superat, quando pulsus mutatio in excessu observatur, isque celerior, frequentior, plenior, fortior existit, id quod vel in febribus, vel aliis quoque corporis motibus exagitatoriis contingere solet.

Quod si vero motuum excessus in partibus reliquis solidis mollibus, & quidem magis æqualiter contingat, spasmus dicitur, qui varias inducit partium fibrosarum stricturas, eoque ipso vel humorum motum progressivum, hincque simul pendentes secretiones & excretiones plane impedit, vel irregularem reddit, quod facile videmus in variis congestionibus, hinc inde in corpore obtingentibus.

Quando dictæ motuum exacerbationes vel unam solum aliquam partem, vel varias, vage tamen afficiunt, in scholis medicis rheumatismorum, vel

vel arthriticarum passionum titulum obtinere solent. Si autem sub hac motuum exacerbatione, violentæ, repentinæ, pertinaces motuum spasticorum reciprocæ exacerbationes & remissiones observantur, quæ quasi momentaneé reciprocationis serram movent, signum exinde convulsionum desumitur: quarum ultimus summusque gradus in Epilepsia terminatur.

V.

Defectus motuum non minus variis sese exserunt modis, ac in conspectum veniunt, prout nempe vel omnes aut plurimas, vel ad minimum principaliores nobilioresque, vel saltem aliquas corporis nostri partes adficiunt.

SCHOL.

Si enim cor & arteriæ motuum defectu laborant, pulsus debilitas, languor, imo cessatio inde emergit: si respectu motus tonici partium solidarum, vel in genere, vel in specie hic defectus occurrit, affectus atonia vocatur, quæ tam universaliter contingere potest in habitu corporis externo, ac sese exserit sub partium tremore, quam particulariter in uno alterove membro, aut partibus internis, ventriculo & intestinis; ubi in specie effectus hujus atoniæ sub flatulentia nimia, nec non sub diarrhœis serosis in conspectum venit.

Quod si vero hic motuum defectus temporarius, respectu omnium motuum vitalium simul, in consensum quoque tractis voluntariis, occurrit, pro diversitate gradus, tam impetus, quam durationis, exinde emergunt atque nascuntur, lipothymiæ, syncopes, apoplexiæ; quod si partes aliquas certas, non autem totum corpus adficiat, hemiplegiam, paralysin, aut paresin constituit. Si tandem omnium motuum in universum defectus simultaneus atque continuus occurrit, hæc motuum plenaria cessatio mortis titulum obtinet.

His ita breviter præmissis transitum nunc facimus ad pathologiæ partem alteram, in qua jactis pathologiæ generalis fundamentis necessariis, specialiorem de causis morborum singulorum specialibus, doctrinam suppeditabimus.

PATHO-

PATHOLOGIÆ MEDICÆ PARS SECUNDA,

CONTINENS

PATHOLOGIAM SPECIALEM.

SECTIO I,

DE

MORBIS EX VITIO SANGUINIS.

CAPUT I.

DE PLETHORA.

I.

An detur plethora, vel sanguinis in se boni abundantia, a multis dubitatur.

SCHOL.

Contendunt enim multi Medicorum, sanguinem, tanquam thesaurum vitæ, & nutritionis materiam, optime constitutum non posse abundare, cum semper talis materia pro conservando corpore sit necessaria, nec boni quidquam superfluum in corpore adesse queat. Nos tamen meliora edocti, sanguinem etiam bonum quantitate physica excedere, & abundare, facileque plethoræ existentiam demonstrari posse, confidimus: cum manifestum sit, sanguinem, cum universa humorum massa, ordinarie in suo incremento proportionem ingestorum sequi, & ad proportionem motuum corporis iterum consumi atque imminui.

II.

Est itaque possibile, quod sanguis, etiam in se bonus atque laudabilis, abundet.

Schol.

Cum enim certissimum sit, naturam in se spectatam, paucis contentam esse, & pro nuda, ac sola quotidiana corporis nutritione & conservatione, in statu præsente paucam ingestorum quantitatem sufficere, simul tamen notorium sit, plurimos hominum longe plus ciborum potuumque quotidie ingerere, quam pro sola sufficiente nutritione quotidiana, indigerent, simul autem multos illorum non tantum laboribus ac motibus indulgere, quantum ad proportionatam nutrimenti resolutionem quotidianam requiritur; sane ex hoc unico argumento possibilitas præsentiæ plethoræ satis adparet.

III.

Huic possibilitati adhuc adjungimus necessitatem aliquam naturalem ipsius plethoræ, simpliciter consideratæ: quod nempe necesse sit, plus sanguinis in corpore adesse, quam pro sola conservatione corporis quotidiana simpliciter requiritur.

Schol.

Videmus hoc 1. in corporibus infantum ac puerorum, quæ in longum & latum adhuc excrescere debent: si enim in his non major sanguinis & humoris nutritii quantitas adesset, quam quotidianæ conservationi in præsens sufficeret, sane hæc corpora tantam molem solum servarent, quanta in lucem prodierant, nullatenus autem in longum & latum augmentum caperent.

2. In corporibus adultorum in genere, quæ non minus semper in eodem statu naturali conservari debent. Si enim hic non semper plus sanguinis gelationosi adesset, quam pro sola quotidiana conservatione sufficeret, facili negotio loco conservationis perpetuæ, consumtio positiva succederet, si esuries, aut ciborum defectus, per paucum tempus contingeret; unde videmus, naturam vel ex illo multam pinguedinem colligere ac coacervare, ut in casu necessitatis pro nutrimento inserviat.

3. In specie quoque talis necessitas abundantiæ aliqualis sanguinis adparet, in sexu fœminino, ubi tempore graviditatis & lactationis nu-

tritio

tritio foetus, partim in utero, partim extra illum succedere debet, quae sine detrimento corporis materni contingere non posset, nisi aliqua sanguinis abundantia statim praesto esset, in hunc usum impendenda.

IV.

Non modo potest, & debet adesse, sed revera datur, & observatur sanguinis abundantia.

SCHOL.

Postquam ea, quae possibilitatem & necessitatem plethorae probant, praemissa sunt, subjungimus merito ipsam veritatem facti, ex observatione practica, ubi tot quotidie occurrunt subjecta, de molestiis morbosis conquerentia, quae molestiae de mole sanguinis superflua, proportionem viarum superante, sufficienter testantur, nec unquam melius aut constantius, nisi per sanguinis imminutionem vel naturalem consumtoriam, vel artificialem sinceram, vel denique spontaneam, sinceram tamen, sublevantur, aut removentur.

V.

Plethora est vel quoad vasa, vel quoad habitum.

SCHOL.

Plethoram quoad vasa vocamus, quando vasa sanguifera admodum sanguine turgescunt, plenaque adparent, intra habitum autem spongiosum non aeque multum sanguinis conspicitur. Cum e contrario plethoram quoad habitum designet, turgidus ac floridus a sanguine, partium carnosarum adspectus, ut quasi sanguis intimiora ipsius spatia penetret, atque per cutim transpareat, vasis licet minoribus existentibus.

VI

Subjectum plethorae generale constituunt personae aetate juniores: quoad sexum, foeminae prae viris: & quoad vitae genus, otiosae, plenoque victu abutentes.

SCHOL.

Sicut enim in aetate juniore necessitas naturalis aliquem sanguinis penum postulat, pro augmento corporis in longum & latum quotidie succedente, ita in foeminarum corpore eadem necessitas naturalis ex alio capite §. 3. demonstrata fuit: cui accedit vitae genus sedentarium,

cui præ viris utplurimum adsuescunt fœmellæ: quod autem otiosi, plenaque diæta gaudentes, naturali nexu ad plethoram disponantur, id partim ex §. 2. adparet, partim ex deductione causarum, in sequentibus pertractanda, pluribus patebit.

VII.

Subjectum speciale declaramus totum corpus, tam quoad vasa, quam quoad partes spongiosas atque fibrosas molles.

SCHOL.

Cum enim sanguis, ut humor universalis, per totum corpus feratur, & non modo vasa sanguifera, sed etiam partes carnosas fibrosas semper transeat, specialissimam aliquam corporis partem ipsius abundantiæ tribuere non licet; sed manifestum est, cum tota sanguinis massa abundet, hanc abundantiam quoque ubique in toto corpore deprehendi.

VIII.

Causam plethoræ materialem antecedentem & quidem proximiorem, constituit diæta plena & lautior, sub usu & ingestione copiosa ciborum laudabilium, potuumque consistentiorum, ac bene nutrientium.

SCHOL.

Cum in superioribus jam indicatum sit, proventum sanguinis & reliquorum humorum proportionem ingestorum ordinarie sequi, & ad proportionem motuum iterum consumi, haud difficulter asserti hujus veritas patebit. A cibis enim laudabilibus & copiosis major dependet meliorque chyli proventus, qui quo largior & laudabilior existit, eo plus materiæ, sanguinem augentis, proxime suppeditat atque largitur: hic enim maxime valet ille canon: qualis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis quoque lympha & sanguis.

IX.

Ad causarum antecedentium remotiorum classem referimus otium & motuum laboriosorum neglectum.

SCHOL.

Quando enim proportio motuum corporis ad proportionem ingesto-

gestorum non accedit, secretiones & excretiones quoque multum impediuntur; quo magis autem motus laboriosi vigent, eo plus particularum sanguinis gelatinosarum quoque resolvitur in tenuius serum, & tam per sudorem, quam per urinam excernitur, atque hoc pacto successive in mole sua minuitur; quo minus autem hæc secretio succedit, eo plus particularum pinguiorum gelatinosarum nutrientium sanguini quotidie accedunt, ejusque proventum copiosiorem augent.

X.

Ad eandem causarum classem evacuationum sanguinearum minor successus aut totalis defectus pertinet.

SCHOL.

Si enim contingat, ut, præsente plethora, vel etiam hac absente, in ætate juniore narium hæmorrhagiæ, & quidem largiores, aut sæpius recurrentes, in provectiore autem partim venæsectiones & scarificationes, partim in sexu sequiori evacuationes menstruæ vigeant atque in usu sint, minus succedere potest plethoræ incrementum. Quo magis vero vel ejusmodi evacuationes tam spontaneæ, quam artificiales, plane non succedunt, & emanent, vel si præcesserint, iterum cessant, aut negliguntur, eo facilius sanguis in quantitate sua & mole physica augetur, ut proportionem viarum, quas permeare debet, superet.

XI.

Occasionales magis causas constituunt tam sexus fœmininus, quam ætas, præcipue junior.

SCHOL.

Quoniam in sexu fœminino, quam diu prolis generationi aptus existit, semper major sanguinis quantitas, huic negotio inserviens, in futuros quasi usus præsto est, quæ tamen extra hunc usum singulis mensibus evacuatur: cessante tamen generationis negotio, si vitæ victusque genus in priori statu maneat, ex consuetudine prægressa, facile augetur. In ætate autem juniore notabiliter corporis augmentum & incrementum floret, & hanc ob rationem plus nutrimenti ordinarie præsto est, quam unde consumi potest: licet reliquæ ætates ab abundantia sanguinis haud

 semper

semper liberæ maneant, si nempe causarum antecedentium accessus, quoad diætam plenam lautamque, ac vitam otiosam conspiret.

XII.

Plethora tamen etiam præsens, non semper & omni tempore est morbus.

SCHOL.

Non quidem eam ob rationem plethoram in primo statim capite pathologiæ considerandam produximus, quasi simpliciter & in se considerata, semper constitueret morbum ipsum, cum nobis æque notum sit, multos plethoricos ad longum sæpe tempus optima sanitate frui. Sed quoniam frequentissime plethora fœcundissima mater, & causa aliorum morborum antecedens aut continens esse solet, ipsa tamen læsio quantitatis debitæ sanguinis existit, merito ipsius considerationem, & generationis causas præmittimus; ut tanto faciliori aliorum inde pullulantium morborum explorationi inserviat.

XIII.

Sicut plethora simpliciter considerata, haud facile pro morbo habetur, ita plethora commota hunc potius titulum subit.

SCHOL.

Sanguinis enim progressus localis satis libere adhuc sub reliquis motuum adminiculis legitimis procedere potest, etiamsi mole sua abundante, proprium sui motum aliquatenus tardiorem reddat; non tamen tantas statim molestias parit, ut querelæ desuper moveantur. Quod si autem orgastica accedat commotio & sanguinis expansio, tunc sane ex affectato majore spatio, vasa & partes porosæ a motu illo sanguinis expansorio molestiis afficiuntur variis, ut subjecta querelas hinc movere necesse habeant.

XIV.

Causæ hujus commotionis plethora, sunt vel materiales, vel immateriales.

SCHOL.

Ad priorem classem pertinent, quæ accessu suo materiali, partes sangui-

ſanguinis ſulphureas, pingues, & agiles vel augent, vel ſpeciatim in majorem velocioremque motum redigunt: ſpirituoſa nempe vinoſa, aromatica valde acria, ſive diætetico, ſive pharmaceutico uſu ad corpus delata, maſſæque ſanguineæ communicata: quibus haud raro ſymbolum ſuum addit aër calidior & ſiccior.

Ad alteram ſpectant motus, tam corporis vehementiores exagitatorii, quam animi vehementiores iracundi.

CAPUT II.

DE HÆMORRHAGIIS IN GENERE.

I.

Hæmorrhagia dicitur ſanguinis ſincerum profluvium, e quacunque noſtri corporis parte id contingat; ſive a cauſa interna, ſive externa proveniens.

SCHOL.

Conſiſtit enim omnium hæmorrhagiarum formale in genere, in vaſorum ſanguiferorum extraordinaria dilatatione & apertura, in variis ac diverſis corporis partibus, & locis, ut humorem intus contentum, contra conſuetum alias morem, non amplius detineant, ſed e canalibus ſuis dimittant, atque dilabi patiantur, ſub qua vaſculorum ſanguiferorum apertura aliæ quoque partes ſimul patiuntur, quales ſunt membranæ organa excretoria involventes, ſub quibus vaſcula jacent, & quas ſimul diſtendunt, ut ſanguini erumpenti viam concedant, aut quarum læſionem antecedentem vaſorum quoque læſio, & ſanguinis profluxus ſequitur.

II.

Reſpectu cauſarum diſtinguimus hæmorrhagias, in activas & paſſivas.

SCHOL.

Paſſivas vocamus illas, quæ a nudo defectu partis continentis, per læſionem continuitatis dependent, & paſſivo ſanguinis prolapſu abſolvuntur.

Activas

Activas vero appellamus, quæ sine læsione continui, cum activa aliqua congestione, motuumque certorum congestoriorum directione, atque concursu contingunt.

III.

Respectu loci & modi excretionis, hæmorrhagiæ varias in specie obtinent denominationes.

SCHOL.

Hoc intuitu enim in scholis medicis notæ sunt, hæmorrhagiæ narium, vulnerum, varicum, mensium, uterinæ, hæmoptysis, vomitus & mictus cruentus, ut & hæmorrhoides.

IV.

Passivarum hæmorrhagiarum causam antecedentem proximam constituunt læsiones externæ violentæ, sive a casu, aut ictu, sive a diæresi, sive ab instrumento lædente, cæsim aut punctim inflictæ fuerint.

SCHOL.

Hoc respectu, huic hæmorrhagiarum classi præcipue subjiciuntur partes corporis nostri externæ, & aliquando post læsas externas, quoque internæ, quando nempe vel sub vulnerationibus viscera quoque, in cavitatibus contenta, simul læduntur, ut sanguinem intus contentum profluere siunt: vel quando viscera eadem per corrosivorum accessum ita læduntur, ut per solutionem unitatis hæmorrhagia sequatur.

Cum autem hæ, quæ ex partibus externis contingunt, hæmorrhagiæ, non stricte medici, qua medici, consilium exigant, sed potius chirurgorum tractationi curatoriæ subjiciantur, nos illas hic loci haud ulterius prosequimur, sed potius sicco pede ad activas hæmorrhagias transgredimur.

V.

Subjectum hæmorrhagiarum generale constituunt corpora plethorica.

SCHOL.

Hæc enim ex abundantia sanguinis, qua vel quoad vasa, vel quoad habitum gaudent, omnium primo necesse habent, ut sanguis aliquando immi-

imminuatur, & subtrahatur, quo reliquus tanto liberiorem per partes tubulosas servare queat cursum, & ita in crasi sua tanto melius conservetur.

VI.

Subjectum magis speciale sunt individua certa, quæ vel ex ætate, vel sexus ratione ad certas hæmorrhagiarum species disponuntur.

SCHOL.

Hoc intuitu enim prima puerilis & juvenilis ætas subjectum evadit hæmorrhagiæ narium: sicut viri seniores hæmorrhoidibus, & sexus sequior in specie hæmorrhagiis ex utero subjiciuntur.

VII.

Specialissimum tandem hæmorrhagiarum subjectum sunt diversæ illæ nostri corporis partes, e quibus, eorumque vasis sanguiferis, ipse sanguis promanat.

SCHOL.

Sic nares, pulmones, fauces, ventriculus, intestina, renes, vesica urinaria, pro diversitate hæmorrhagiæ, ejusdem fiunt subjectum, prout ex una vel altera harum partium sanguinis profluvium contingit.

VIII.

Causa omnium hæmorrhagiarum materialis proxima, nulla alia est nisi sanguis.

SCHOL.

Sanguis enim est proxima illa materia, quæ immediate in vasis sanguiferis continetur, eaque mole sua abundans distendit, ut aperiantur, & quæ facta illa vasorum apertura, manifeste profluit. Nullatenus tamen sanguis hæmorrhagias causatur in se consideratus, sed quatenus ex una aut altera parte læsus existit, & vario respectu materiam in corpore peccantem constituit.

IX.

Potest itaque sanguis in hoc passu peccare quantitate.

SCHOL.

Si nempe quantitas sanguinis adest excessiva; quo respectu plethora

ra hæmorrhagiarum cauſa dici poteſt, quando nempe ſanguis, mole ſua phyſica proportionem vaſorum ſuperans, hæc diſtendit, ac illorum aperturam ſpontaneam urget.

X.

Non ſolum autem ſemper peccat ſanguinis abundans quantitas; ſed ſæpiſſime quoque in culpa ſimul eſt læſa ipſius qualitas.

XI.

Qualitatis læſio reſpicit, vel conſiſtentiam, vel reliquam mixtionem.

SCHOL.

Quoad conſiſtentiam enim ſanguis nimis ſpiſſus aliquando peccat, dum occaſionem præbet naturæ, ut pro removenda illa ſpiſſitudine moleſta & noxia, motùs vehementiores transpreſſorios per partes ſolidas ſuſcipiat atque intendat; quo fit, ut vaſcula exiliora aperiantur, per motum a tergo ſuccedentem, partes ſpongioſæ diſtendantur, ac membranaceæ perrumpantur.

Quando enim ſanguis ſpiſſior partim per exiliora vaſa, partim per inteſtitia fibroſarum partium pellitur, ibique ex ſpiſſitudine diſtenſiones efficit, in dictis partibus neceſſario ſenſus moleſtus excitatur, qui mediantibus filamentis nerveis, undique excurrentibus, ad ſenſorium commune defertur, ac naturæ communicatus, hanc ad reactionem, per motus pro re nata ſuſcipiendos, exſtimulat.

Ex altera parte, nimia quoque ſanguinis tenuitas in cauſa eſſe poteſt, ut ſub hac diſpoſitione tanto promtius atque facillius, ſub levioribus quoque commotionibus, partes continentes perrumpere, aut iisdem atoniam contrahere, eoque ipſo earundem officium lædere poteſt.

XII.

Præter modo dictas diſcraſias, quæ ſanguinis conſiſtentiam reſpiciunt, aliquando etiam occurrit, atque concurrit ſanguinis a particulis heterogeneis ac peregrinis, mixtionem illius intrantibus, inquinatio.

SCHOL.

SCHOL.

Fit hoc, quando v. g. multæ particulæ sulphureæ, oleosæ, pingues, atque activæ, acrimoniam sulphureo-salinam inducunt, & hoc respectu sanguinem ad faciliorem majoremque expansionem orgasticam disponunt, ut data occasione majus spatium quærendo, vasorum ostiola distendat, partesque solidas perrumpat.

Non minus occurrit aliquando, licet rarius, specialis ejusmodi sanguinis acrimonia, ut vocant, corrosiva, sive salina, sive acida, ab ejusmodi particulis peregrinis proveniens, qualis quandoque occurrit tam in ita dictis scorbuticis, quam in venereo contagio consummato laborantibus, & vasa membranasque erodendo, atque in continuitate lædendo, passivum quasi sanguinis profluxum excitant.

Monendus tamen est Medicus, ne nimium, aut nimis frequenter hanc corrosivam acrimoniam subesse credat, ac nimis superstitiosus sit circa hanc materiam, cum sane hæc hæmorrhagiarum causa sit rarissima, & saltem individualis, ne ex suppositione illius therapeutica speculationes nudas foveat, & indicationes curatorias vanas formet, quæ vel non adplicabiles existunt, vel adplicatæ nihil efficiunt.

XIII.

Quemadmodum sanguis, hactenus recitatis modis læsus, causam suppeditat hæmorrhagiarum materialem proximam, ita læsionum ante dictarum causas antecedentes agnoscit, quæ hæmorrhagiarum remotiores dicuntur, & partim ex diæta, partim ex vitæ genere, sunt derivandæ.

SCHOL.

Sanguinis itaque proventui largiori, quantitatique abundanti, favet diæta & plena & lauta, omniumque ciborum & potuum usus; qui abundante bonoque succo nutritio, partibusque gelatinosis ac emulsivis gaudent, præcipue si otium accedat.

Ad spissitudinem sanguinem disponunt, vita sedentaria, potus consistentiores, ac minus defæcati, nec minus cibi crudiores, multum muciditatis habentes.

Discrasiæ sulphureæ favent, ex cibis, valde aromatici, eorumque

abusus, qui copiosas particulas oleosas atque salinas volatiles subtiliores suggerunt, sicuti e potibus vinosi, iisque præsertim generosi, spirituosi, nec non cerevisiarii valde lupulati, aut pice conditi, idem symbolum conferre possunt.

Salinam discrasiam augent, ac materialiter suppeditant cibi multum saliti, si abusive in usum trahantur, nec non aquæ, salinis impuritatibus scatentes, cibis potibusque præparandis adhibitæ; id quod tanto promptius succedit, si secretiones partium heterogenearum e massa humorum sufflaminentur, ac serum salsum non satis cito e connubio reliquorum humorum sejungatur.

Neque ab harum causarum classe excludenda est dispositio hæreditaria, & consuetudo: cujus utriusque energia in motibus eluctatoriis & excretoriis suscipiendis, toto die est notissima.

XIV.

Neque deficiunt causæ occasionales variæ, a quibus reliquæ proximiores, proxime quasi in actum deducuntur.

SCHOL.

Sic enim diæta vinosa aut spirituosa largior, speciatim brevi ante hæmorrhagiam celebrata, exæstuationes corporis per motus cursorios, laboriosos, saltatorios nimios ac vehementes; caloris externi nimii, sive ab æstu solis, sive a calore hypocausti, sive a flamma ignis, accessus, seorsim aut collectim sanguinis commotionem turgefactoriam & expansoriam promovent; quorsum non minus faciunt animi pathemata vehementiora, præsertim ira & gaudium, a quibus sanguis magis intestine & localiter movetur, ut tanto promptius egressum per loca excretoria obtineat.

XV.

Sub omnium tamen dictarum causarum concursu, Medicus sane non minorem habere debet respectum causæ efficientis.

SCHOL.

Hæc nulla alia est, nisi ipsa natura, (de cujus existentia & officio in physiologicis abunde egimus.) Hæc enim in omnibus activis hæmorrhagiis propter certum agit finem & sanguinem, ejusque motus ad & versus certa organa & loca excretoria dirigit sub moliminibus congestoriis,

riis, eumque in finem motibus solidarum partium, tanquam causa instrumentali, utitur, quo fine illo potiri possit, ut sanguinem vel mole physica in genere, vel expansione turgefactoria, vel restagnatione particulari molestum, excernat, evacuet, imminuat, ulteriores majoresque stases avertat, & ita pro viribus sanitatis statum conservet.

CAPUT III.

DE HÆMORRHAGIIS IN SPECIE.

I.

Densitatis sic in cap. antecedente, omnium hæmorrhagiarum in genere universalibus atque communioribus causis, facile nunc erit, earundem in specie, specialiores invenire causas: quippe quæ non novæ, aut singulares, sed respectu classium supra dictarum, semper eadem manent; excepto saltem accessu impulsivarum aut occasionalium causarum, quæ pro determinatione loci excretionis favent atque inserviunt.

Hæmorrhagia Narium.

II.

Narium hæmorrhagia dicitur sanguinis profluvium aut stillicidium, e naribus sponte, & sine narium vulneratoria læsione contingens.

III.

Subjectum hæmorrhagiæ narium generale præ reliquis constituunt pueri & juvenes.

SCHOL.

Etiamsi non penitus negandum sit, quod etiam adultioris ætatis personæ, imo aliquando senes, occurrant, qui narium hæmorrhagiam experiuntur,

untur, solennissimum tamen est, quod hæc subjecta longe rariora existant præ illis: & quotidiana nos docet experientia, quod motus sanguinis & humorum in genere, sub ætate puerili & juvenili prima magis ad caput vergant, qui crescentibus annis successive ad inferiora descendunt.

IV.

Speciale subjectum in hoc affectu sunt nares, & in illis speciatim tam vasa, quam membrana, nares interne cingens.

SCHOL.

Illa enim, vasa nimirum sanguifera, a sanguinis mole turgida, in exilitatibus ad extrema interioris superficiei narium expanduntur, & ita distenduntur, ut tandem sanguinem dimittant; quod stillicidium tamen succedere non posset, nisi membrana narium simul relaxata existeret, ipsique sanguini transitum per sui substantiam concederet.

V.

Ad narium hæmorrhagiam, præter communes superius allegatas causas, in specie disponit una, quæ est naturalis & intrinseca.

SCHOL.

Hanc causam constituit ætas puerilis & juvenilis, cui sanguinis congestiones, æque ac reliquorum humorum in genere, magis familiares sunt ad caput, quam ad alias partes, unde in hac ætate frequentius varia congestionum ac evacuationum genera in capitis confiniis, sub hæmorrhagiis, coryza, tinea capitis, ophtalmiis, cephalalgiis, respective occurrunt: sub quibus earumque frequentiore recursu, partes solidæ fibrosæ narium magis magisque successive distenduntur, in tono suo debilitantur, ut sanguini irruenti facilius locum concedant, ejusque actuali perruptioni cedant, cum de cætero adhuc molliores tenerioresque existant, nec tantum tonicum robur possideant, quantum deinceps sub annorum augmento acquirunt: e quo fundamento etiam contingit, ut narium hæmorrhagia in hac ætate, cæteris paribus, longe frequentior sit, quam in quacunque alia.

VI.

Huic ad latus ponimus alteram, quæ est extrinseca & occasionalis.

SCHOL.

Schol.

Confiſtit hæc in ſpeciali aliqua ſanguinis, ejusque adfluxus ad caput, invitatione, per violentias externas capiti illatas: quorſum pertinent plagæ, alapæ, ictus, nares ſpecialiter ferientes, cauſtica naribus admota, ploratus, ac ejulatus, puerili maxime ætati familiares; quibus omnibus ſanguis majore impetu ad caput movetur, & repetita quaſi conſuetudine partes ad faciliorem promtioremque hæmorrhagiam ſuſtinendam diſponuntur.

Hæmoptyſis.

VII.

Hæmoptyſis eſt ſanguinis floridi & fluidi, e pulmonibus, ſub tuſſi facta excretio, a ruptura vaſculi cujusdam ſanguiferi, ſive arterioſi, ſive venoſi, oriunda.

Schol.

Diſtinguimus hac definitione hæmoptyſin ab alliis ſanguineis excretionibus, itidem ex ore provenientibus, ſputo nempe & vomitu cruento; quippe quæ aliam non modo morbi ſedem, ſed alium quoque excretionis modum, nec minus materiæ excretæ diverſam conditionem conjunctam habent.

VIII.

Subjectum hæmoptyſeos generale conſtituunt viri præ fœminis; plethorici in ætate media conſtituti, cholerico-ſanguinei, qui in juventute narium hæmorrhagias, tempeſtive emanentes, experti ſunt, & vitæ generi addicti ſunt, ſub quo pulmonum extraordinario motui ſubjiciuntur.

Schol.

Viri præ fœminis huic affectui facilius obnoxii fiunt, varias ob cauſas occaſionales, a quibus fœminæ ut plurimum exemptæ manent; ne dicam de evacuatione menſtrua, fœmellis ſub illa ætate jamjam ſolenni, easque a talibus commotionibus ſanguineis ad pectus præſervante; ita ut rariora exempla proſtent fœminarum hæmoptyicarum, niſi ex menſium retentione tales fiant, aut per hæreditariam diſpoſitionem eidem ſujiciantur.

Reliqua

Reliqnæ subjectorum conditiones fundamentum suum habent in illis rationibus, quas cap. antecedente, sub deductione causarum, hæmorrhagias in genere producentium, explicavimus.

IX.

Subjectum speciale hujus affectus constituunt pulmones & vasa sanguifera, tam arteriosa, quam venosa, pulmonum substantiam perreptantia, cum aspera arteria.

SCHOL.

Sicut enim vasa sanguifera, innumeris ramulis totam pulmonum substantiam transcurrentia, præcipue apertionem aut rupturam patiuntur; ita non minus membranosa substantia, hæc & asperæ arteriæ ramificationes cingens atque conjungens, idem patitur fatum, quo facto, sanguis perrumpens per bronchia asperæ arteriæ, ad truncum ejusdem progreditur, atque per illum exitum tandem in os sortitur.

Quod autem vasa arteriosa æque ac venosa aliquando specialiter patiantur, id ex modo profusionis hæmoptyicæ apparet diverso; dum e venis profluens hæmoptyicorum sanguis, spumescentia ac florido colore notatus, sola tussi rejicitur; arteriosus vero magno vigore & pulsu etiam sub respiratione, ore aperto, ad notabilem sane loci distantiam, prosilire solet. Ubi tamen notamus, hanc a sanguine arterioso profluentem hæmoptysin longe rariorem esse præ illa, qua sanguis venosus rejicitur.

X.

Causæ specialiter ad hæmoptysin disponentes, utplurimum tales sunt, quæ pectori & pulmonibus vim aliquam inferunt, atque pulmones vel immediate in substantia sua, per solutionem continuitatis lædunt: vel mediate tractu temporis continuitatis solutionem post se relinquunt.

SCHOL.

Prioris ordinis sunt graviores pectoris violentæ læsiones, per ictus, plagas, pondera illapsa, aut violenter gestata, atque a terra cum impetu elevata, halituum corrosivorum inspirationes & attractiones, quale quid in laboratoriis chymicis contingere solet: a quibus ruptura & diæresis vasorum pulmonalium sæpius immediate succedit.

Ad

Ad posteriorem classem pertinent tusses vehementiores & diuturniores, clamores, cantationes, instrumentorum musicorum, quæ flatu diriguntur, usus & abusus: quippe quæ, præsertim, si potuum spirituosorum abusus forte concurrat, sanguineos decubitus ad pulmones majori impetu invitant, stagnationes & infarctus producunt, & ita temporis tractu, vasculorum rupturæ viam sternunt.

XI.

Aliquando fœminæ hæmoptysin patiuntur ex peculiari aliqua causa.

SCHOL.

Quando nempe sanguis specialiter, post menstrui fluxus suppressionem pertinaciorem, ad pectus restringitur atque congeritur, ibique viam excretionis quærit. Hæc hæmoptysis in eo a communi hæmoptysi differt, quod tempora menstrua ordinarie servet, & vices menstruorum suppleat, unde hæmoptyseos periodicæ titulum obtinet, nec incongrue ad menses, per loca insolita fluentes, referri potest.

XII.

Nec plane insolita est hæmoptysis periodica apud viros.

SCHOL.

Rarius equidem occurrit in sexu virili hæmoptysis periodica, tempora servans, quam in sequiore, cum sequior sexus respectu negotii menstrui facilius ejusmodi periodis adsuescere possit: interim tamen non minus contingit, ut personæ sensibiliores una aut altera vice a causis communioribus & occasionalibus, specialiter circa tempora æquinoctialia, solstitialia, aut demum notabiles lunæ phases, repetito recurrentibus, & commissis, hæmoptysin experiantur, cui excretioni aliquoties repetitæ natura demum ita adsuescit, ut, deficientibus licet postmodum causis illis occasionalibus, eodem præcise tempore nihilominus hanc excretionem repetat, & præsertim, si status plethoricus adfuerit, hanc quasi (licet per errorem) imminuere conetur.

Vomitus cruentus.

XIII.

Vomitus cruentus dicitur excretio sanguinis sinceri, sive fluidi, sive (& quidem utplurimum) grumosi, ex ventriculo per os, vomitu contingens: postquam e vasis venosis, ventriculum perreptantibus, præter naturam in ventriculi cavitatem, sub motibus spasticis, protrusus erat.

Schol.

Hoc modo distinctam reddimus hanc sanguineam excretionem, a mox præcedenti; licet enim per os quoque contingat, nihilominus tamen non ex pulmonibus, sed ventriculo, neque per tussim, sed per vomitum, procedit, & sanguis ipse utplurimum grumosus & coagulatus rejicitur, aut si aliquando fluidus deprehendatur, tamen neque floridus, neque spumidus existit.

XIV.

Respectu causarum antecedentium distinguimus vomitum cruentum, in violentum, & spontaneum.

Schol.

Violentum nominamus illum, qui a solis violentiis, corpori ab extra illatis, proficiscitur, nec prægressas congestiones sanguineas intrinsecas pro causa agnoscit.

Spontaneus vero dicitur, qui a causis internis, inter se conspirantibus, sine accedente aliqua externa violentia, vel corpori in genere, vel ventriculo in specie illata, ortum ducit.

XV.

Subjectum generale vomitus cruenti violenti constituere possunt cujuscunque ætatis, sexus, aut conditionis, personæ.

Schol.

Cum enim, ut mox in sequentibus monstrabitur, causæ hujus affectus in externis injuriis, vel corpori, vel in specie ventriculo illatis, consistant, nec ullus homo, data occasione, ab illis liber manere possit, facile patet, in hoc casu, affectum hunc non ad peculiaria individua restringi posse.

XVI.

XVI.

Spontanei vomitus cruenti subjecta sunt fœminæ præ viris: præcipue si status plethoricus, & temperamentum de cholerico participians, concurrat. Ex viris autem illi, qui hypochondriacis passionibus vexantur, & hæmorrhoidum emansione, aut suppressione laborant.

SCHOL.

Quod fœminæ præ viris facilius, atque frequentius vomitu cruento laborent, id adscribendum est negotio mensium, quod universus sequior sexus experitur, secus ac viri, e quibus certa solum individua, respectu ætatis & temperamenti, hæmorrhoidum fluxum patiuntur. Cum itaque vomitus cruentus spontaneus maximam partem, a turbis negotii menstrui & hæmorrhoidalis originem capiat, non mirandum est, quod illis magis familiaris sit personis, apud quas una præ altera harum excretionum solennis existit.

XVII.

Subjectum speciale, vel partem specialiter affectam, in utraque hujus affectus specie, constituit ventriculus, cum vasculis sanguiferis eundem perreptantibus, diversus licet adsit afflictionis modus.

SCHOL.

In violento nimium vomitu cruento dictæ partes continuitatis læsionem patiuntur, dum vel a violentia externa rumpuntur, vel ab assumtis causticis eroduntur.

In spontaneo autem affectu vasa sanguifera, venosa, ventriculi fundum potissimum perreptantia, a sanguine restagnante infarciuntur, ac dilatantur, quo ipso simul tunicæ ventriculi interiores distenduntur, ut spatium inter illas acquirat sanguis, venas turgefaciens. Sicut autem in principio adfectus utriusque tunicæ laxitas & atonia concurrit, ita remanente illa laxitate in tunica interiore nervea, musculosa ventriculi tunica, sub affectus ulteriore progressu, & accedentibus motibus vomitoriis & excessoriis, spastice contrahitur, qua ipsa spastica contractione ex una parte sanguinis regressus a ventriculo impeditur, & sanguis incarcera-

ceratus hæret; ex altera vero parte, non resistente tunica nervea, actu in ventriculi cavitatem impellitur atque excernitur, salva tamen manente & integra structura atque substantia ventriculi: ita ut partim atonia, partim infarctus, partim denique constrictio spastica in hoc affectu, circa ventriculum concurrat.

XVIII.

Vomitus cruenti violenti causam antecedentem proximam constituunt variæ externæ injuriæ & violentiæ, a quibus sanguinis in ventriculum effluxus produci & excitari potest.

SCHOL.

Vel enim sunt solæ injuriæ, corpori extrinsecus illatæ, per plagas, ictus, contusiones, casum ab alto, in regione ventriculi, hypochondriorum ac abdominis, perpessæ, unde extravasationes ac stases violentæ sanguinis hic loci ortum ducere possunt: vel sunt veræ læsiones continuitatis ipsius substantiæ ventriculi, vel a læsione vulneratoria, vel ab assumptione causticorum & corrosivorum in ventriculum ortum capientes.

Tale quid contingere potest vel a positive corrosivis, spiritibus acidis mineralibus, spiritu nitri, aqua forti, mercurio sublimato: vel a talibus, quæ salia quidem caustica possident, verum non semper, sed solummodo male præparata, aut immodice propinata, effectum causticum edere possunt: quorsum pertinent purgantia & vomitoria drastica, tam e minerali, quam vegetabili regno depromenda, cujus census sunt vitrum ♁ii, Mercurius vitæ, elleborus albus, semen cataput. Ricinus, crocus metallorum, gummi guttæ, gratiola, mezereum, elaterium, ejusque farinæ alia, quæ tunicam ventriculi nerveam arrodendo, oscula vasorum sanguiferorum interspersorum simul lædunt, & ita partim per partis continentis subtractionem, contenti effluxum passivum causantur, partim etiam motus spasticos inducendo, activam aliquam sanguinis expulsionem producunt.

XIX.

Spontanei vomitus cruenti causa materialis, eadem est, quæ violenti, & aliarum hæmorrhagiarum causa existit.

SCHOL.

SCHOL.

Sanguis nempe non quidem ſolum, imo ne quidem ſemper, generaliter in corpore abundantia phyſica peccans, ſed ſpecialiter a vena portæ verſus ſuperiora regurgitans atque congeſtus, & ex hac congeſtione in vaſis ventriculi hærens in carceratus atque ſtagnans, qui ſimul, pro diverſitate temperamentorum idividuorum, atque cauſarum individualium, qualitate læſus exiſtere poteſt, ſiquidem ſpiſſitudo ipſius ordinarie concurrere ſolet.

XX.

Antecedentem hujus regurgitationis cauſam ordinarie conſtituit, excretionum ſanguinearum per inferiora alias ſolemnium ſuppreſſio, qua in viris eſſe ſolet hæmorrhoidalis, in fœminis autem menſtrua aut lochialis.

SCHOL.

Agnoſcunt hæ ſuppreſſiones ordinarie tanquam cauſam, tunicarum inteſtini recti, aut in ſexu ſequiori ſubſtantiæ uteri conſtrictionem ſpaſticam, liberiorem excretionis ſolitæ progreſſum impedientem, quo fit, ut ſanguis, conſuetum tranſitum aut exitum hic non inveniens, ad partes vicinas, venæ portæ nempe diſtributiones, circa inteſtinorum volumen ad truncum usque regurgitare neceſſe habeat: adeo ut truncus V. portæ ſanguinem partim ab inteſtinis, partim a liene, ventriculo, pancreate refluum, pari facilitate recipere, aut ad hepar tranſmittere nequeat, unde diſtenſiones atque infarctus, tam dictorum viſcerum, quam ſpecialiter vaſorum inter lienem & ventriculum, (quæ brevia vocantur) aut inter pancreas & ventriculum poſitorum, oriuntur.

XXI.

Facta tali non modo ſolitarum excretionum ſuppreſſione, ſed & ſanguinis ad ſuperiora regurgitatione, in hoc caſu, natura tanquam cauſa efficiens, motibus utitur expulſoriis, eoque ipſo errorem committit ſub hoc negotio.

SCHOL.

Quamvis enim non in totum natura a generali ſcopo movendi,

 di,

di, ſanguinemque excernendi aberret, in tantum tamen errorem committit, quatenus inconveniens ac minus congruum excretionis organum eligit, nec viæ ordinariæ inſiſtit. Recte enim actum eſt, quod natura ſanguinem, alias excerni ſolitum, in genere excernere conetur, quippe, qui ſui reſtagnatione dictis in locis moleſtiam, cauſatur, ſuique excretionem urget. Verum longe melius actum eſſet, ſi natura motus illos expulſorios verſus inferiora proſequeretur, non autem motu retrogrado ſanguinem ad ſuperiora compellendo, effluxum ejus in organum inconveniens produceret.

XXII.

Siquidem autem natura non facile ac ſponte vehementes ejusmodi errores committit, niſi in ordinariis ſuis motibus valde turbetur; ita mentionem hic quoque facere decet cauſarum occaſionalium ac impulſivarum, a quibus ejusmodi errores ordinarie initium capere ſolent.

SCHOL.

Sunt autem illæ ex parte animi, pathemata vehementiora ac repentina, e quibus ira & terror agmen ducunt, præcipue ſi fluxui menſtruo præſenti aut proxime inſtanti ſuperveniant, & tempore ingeſtionis ciborum ægras affligant, ideoque primam reſtrictioni fluxus, aut ſimul motibus vomitoriis anſam præbeant; Idem quoque efficere valent partium inferiorum pedum & abdominis refrigerationes poſitivæ, tempore fluentium menſium perpeſſæ: nec minus eodem tempore ingeſti cibi auſteri adſtringentes, aut concoctu difficiles, qui vel adſtrictiones poſitivas in partibus inferioribus, vel motus ventriculi evacuatorios, & cardialgicos poſt ſe trahere poſſunt.

Mictus cruentus.

XXIII.

Mictus cruentus eſt ſanguinis ſinceri excretio, per vias urinarias contingens, ita, ut cum urina ſub mingendo, ſanguis ſincerus, ſive fluidus, ſive congrumatus, ſimul excernatur.

SCHOL.

Schol.

Agnoſcimus itaque mictus cruenti præſentiam non modo ex colore urinæ valde rubro & ſanguineo, ſed maximopere ex tinctura ſanguinea, qua lintea immiſſa imbuit, & reſidentia ſanguinis ad fundum urinalis, quæ non expectat urinæ refrigerium, ut per modum ſedimenti ex urina frigida ſeparetur, ſed ſtatim ſub brevi quiete, calente adhuc urina contingit, ita ut ſpiſſiorem ſanguinis portionem tanquam graviorem, in forma vel fluida, vel coagulata in fundo, leviorem & tenuiorem autem ſub urina ſuperſtite permixtam atque diffuſam videamus.

XXIV.

Diſpeſcimus mictum cruentum in violentum & ſpontaneum.

Schol.

Per illum intelligimus talem, qui a cauſis manifeſtis violentis externis, ſine cauſarum intrinſecarum antecedentium concurſu, ſuam originem ducit: ſicut per hunc illum indigitamus, qui citra extrinſecarum cauſarum concurſum, a ſolis internis cauſis ortum capit: de quo notamus, quod in comparatione cum reliquis ſanguineis excretionibus, æque rara exiſtere ſoleat.

XXV.

Subjectum hujus morbi generale, ſi a cauſa violenta oriatur, conſtituere poſſunt cujuscunque conditionis individua: ſicut ſpontaneo affectui ſubjiciuntur viri præ fœminis, & quidem ſeniores præ junioribus, de cætero plethorici.

Schol.

Rationem ſi dare velimus, cur viri præ fœminis mictum patiantur cruentum, ſatis probabile eſt, hoc dependere a negotio hæmorrhoidali: cum enim affectus noſter potiſſimum hæmorrhoidarios exerceat, hæmorrhoidale negotium vero viris præ fœminis ſolenne exiſtat, & etiamſi a turbationibus menſtrui fluxus ſimiliter apud fœminas emergere poſſit, vitia menſium tamen facilius in ordinem redigantur, quam hæmorrhoidum ataxiæ, perſpectu facile eſt fundamentum diſpoſitionis unius ſexus præ altero ad mictum cruentum.

XXVI.

XXVI.

Subjectum speciale in mictu cruento sunt vel renes, vel vesica urinaria, vel aliquando & ex parte ureteres, dictarumque partium vasa sanguifera, sanguinem fundentia.

SCHOL.

Dicuntur hæ partes specialiter affectæ, quatenus vel ipsæ solutionem unitatis patiuntur, vel ad minimum sanguini aliorsum affluenti transitum, viamque concedunt: ita enim ureteres & vesica urinaria posteriori sensu morbi subjectum dicuntur, quando sanguis e vasis renalibus ad pelvim deductus, in his egressus viam invenit; sicut ipsa vasa renalia per sui aperturam sanguinem dimittunt, & sub hac aliquando etiam substantia renalis simul continuitatis læsionem patitur.

XXVII.

Materialem causam constituit semper sanguis, qui præter naturalem ordinem hic excernitur.

SCHOL.

Et quidem hic sanguis est, vel intra renum substantiam corticalem restagnans atque congestus, vasa distendens, ac demum perrumpens, & per substantiam medullarem in pelvim renalem effusus, tandemque per ureteres ad vesicam urinariam delatus, atque per hanc cum urina excretus: vel e substantia renum, vesicæ, aut ureterum læsa passive promanans, & cum urina sese miscens: id quod contingit in affectu, a causa violenta ortum ducente.

XXVIII.

Antecedens proximior causa est vel extrinseca violenta, vel interna.

SCHOL.

Ad priorum, externarum nempe, causarum classem pertinent violentiæ succussatoriæ, aut vulneratoriæ renum, ureterum, & vesicæ, ab ictu, casu, vulnere, vel alia violenta harum partium læsione ab extra illata, quas facile e confessione & relatione ægrorum percipere licet.

Si

Si ad internas autem causas animum dirigimus, antecedentem constituit congestio sanguinea ad renes facta, ita ut vasa distendantur, atque in renibus perrumpantur: originem utplurimum capiens, vel a regurgitatione sanguinis sola, vel cum actuali restrictione spastica conjuncta, a partibus inferioribus, vasisque hæmorrhoidalibus, præcipue externis: quam regurgitationem præcedere solet, hæmorrhoidum vel antea fluentium suppressio, vel molientium, egressum tamen non invenientium, emansio, unde sanguis ad vasa renalia ab inferioribus repellitur, mediante motu restrictorio spastico, qui, tanquam instrumentalis causa, ab efficiente alibi jam nominata dependens atque suscepta agnosci debet.

XXIX.

Nec tamen semper sola ejusmodi causa interna restrictoria adest, sed aliquando intrinseca quoque violentiæ concurrunt, aut solitarie adsunt.

Schol.

Ad harum classem pertinent calculi, & quidem asperioris præsentia, in renibus, ureteribus, aut vesica, qui interiorem harum partium structuram lædendo, per continuitatis solutionem, dictam hæmorrhagiam producit.

XXX.

Occasionales mictus cruenti causæ, vel externæ magis, vel intrinsecæ esse possunt.

Schol.

Adnumeramus huic causarum ordini, renum atque lumborum succussationes, vectura, equitatione violenta, quibus decubitus sanguinis major cum aliquali infarctu nephritico invitatur: rei venereæ abusus excessivus, præcipue in senibus: lithontripticorum & diureticorum fortiorum calidiorum abusus, sub metu calculi renalis: quæ omnia, diverso licet ordine, huic adfectui viam sternere possunt.

Mensium hæmorrhagia.

XXXI.

Mensium hæmorrhagia, dicitur sanguinis profluvium ex utero, menstruis quidem temporibus ordinem servans, sed vel

quantitate, vel tempore durationis, vel impetu perruptionis excedens.

SCHOL.

Hoc ipſo diſtinguitur ab inordinato menſium fluxu, qui ſtata recurſus tempora non ſervat, ſed vage recurrit; cum quo tamen aliquando conjuncta eſſe poteſt: quantitate autem excedit, quando reſpectu individui tanta ſanguinis copia hoc fluxu excernitur, ut vires proſternantur, lipothymiæ aut pallores inſoliti ſequantur, ſive quantitas illa brevi, ſive longiore tempore excernatur. Tempore durationis excedit hoc profluvium, ſi loco dierum v g. 4. 5. 6. ad plures non modo dies, ſed quandoque ſeptimanas, aut menſes continuatur; ſicut perruptionis impetu peccare dicitur, quando vel ſimultanea, vel per vices quidem repetita excretione, non ſtillando, ſed vere profluendo, exceſſum manifeſtat.

XXXII.

Subjectum hujus affectus generale conſtituunt fœmellæ, in ea ætate conſtitutæ, ut menſes fluere poſſint: præſertim plethoricæ.

SCHOL.

Hanc ob rationem menſium hæmorrhagia expectari nequit ante pubertatis annos, cum expleto pubertatis termino, ordinarie menſes initium ſuum capiant, (niſi forſan, rariore quidem exemplo, unum aut alterum individuum robuſtum, corporis mole antecellens, ſimul valde plethoricum, aliquando a regula univerſali exceptionem formet) neque poſt quinquageſimum ætatis annum, ubi menſtruus fluxus jam ceſſat: etiamſi enim hæmorrhagiæ uterinæ tunc temporis etiam occurrant, minus recte tamen menſtruæ vocari poſſunt. Plethorica autem ſupponimus ſubjecta, non eo ſenſu, quaſi nunquam alia, niſi hæc, hæmorrhagiæ modo dictæ ſubjiciantur; ſed quoniam in his individuis ſemper maxima cauſa materialis, ſui imminutionem poſtulans, præſto eſt.

XXXIII.

Speciale ſubjectum affectus hæmorrhagici conſtituit uterus, cum vaſis ſanguiferis, eundem perreptantibus.

SCHOL.

Schol.

Sub uteri nomine impræſentiarum non ſolum uteri corpus ſtricte dictum intelligimus, ſed quatenus etiam connexa cum illo vagina huc pertinet; & ſanguis per utramque partem ſub hæmorrhagia fluere debet, quoniam vaſa, quæ ſanguinem dimittunt, utriusque compagem perreptant, Uterus itaque ſub hoc pathemate morboſo laxior exiſtit, quam in ſtatu plane naturali, unde fibroſa ſua compage dilatata, ſanguinis profluvium facilius concedit. Vaſa autem ſanguifera, per quæ ſanguis copioſus nunc profluit atque exernitur, vel atonia laborant, & paſſivo ſanguinis prolapſui cedunt; vel in ſuperiore ſui parte plus juſto ſtringuntur, ut ſub hac strictura, ſanguis per inferiorum partium oſtiola tanto majore activitate expellatur.

XXXIV.

Præſentibus hæmorrhagiarum univerſalioribus, quæ hic quoque locum habent, cauſis, variæ occurrunt occaſionales, *ad hanc in ſpecie hæmorrhagiam fœmellas diſponentes.*

Schol.

Ne repetitione cauſarum univerſaliorum lectori benevolo moleſti ſimus, has ſeponendo, ad illas ſaltem progredimur, a quarum ſpeciali concurſu atque præſentia, excretio ſanguinis per uterum facilitatur ac invitatur. Tale quid frequenter ſatis præſtant commotiones animi vehementiores iracundæ, in menſium tempus incidentes, aut ſub ipſis menſibus fluentibus perpeſſæ, motus corporis exæſtuatorii nimii, ſaltatorii, & omnia, quæ in corpus aſſumta, orgasmum ſanguinis excitare valent notabilem, quorſum ſpectant, diæta vinoſa valdeque aromatica, ſi nempe circa res modo dictas, tempore inſtantium aut fluentium menſtruorum error commiſſus fuerit; remedia pharmaceutica emenagoga fortiora aut calidiora, aloëtica, myrrhata, crocata, ſuccinata, aliaque, ſi forſan ſub impeditiore menſium ſucceſſu, paulo largius uſurpata fuerint.

Nec minus aliquando anſam ſuppeditat intenſiſſimus appetitus venereus atque laſcivus, apud fœmellas æque ac puellas, in diæta lauta vinoſa, vitaque otioſa viventes, ſi forſan occaſionaliter in tempora menſtrua inciderit, atque vehementem orgaſticam humorum commotionem concitaverit.

Pertinent quoque ad causas occasionales variæ fluxus lochialis turbæ, in puerperio perpessæ, aut sæpius recurrentes abortus, apud fœminas in matrimonio viventes. Hinc enim facile contingit, ut vel motus erronei in consuetudinem abeant, temporibusque menstruis facili negotio recurrant; vel vasa & partes fibrosæ valde debilitentur & relaxentur, ut, inducta atonia, sanguinem contentum haud debite retinere queant, sed tantis profusionibus sanguinis viam sternant.

Hæmorrhagia lochialis.

XXXV.

Hæmorrhagia lochialis dicitur nimium sanguinis profluvium ex utero, tam sub partu legitimo & puerperio, quam sub abortiva fœtus exclusione contingens.

SCHOL.

Licet hæc hæmorrhagia in utroque casu familiaris existat, differentia tamen occurrit aliqua, cum tempore legitimi partus, ante fœtus exclusionem, sit oppido rara, & vel immediate cum fœtus exclusione, vel quod ordinarium est, post illam contingat: abortivo vero tempore eveniens, frequentissime & quasi semper ipsum abortum antecedat, eumque quasi imminentem atque instantem prædicat & indicet, rarius illi immediate saltim jungatur, aut post illum solitarie sequatur, quamvis per tempus notabile continuetur.

XXXVI.

Subjectum generale hujus affectus sunt fœminæ, tam gravidæ, quam puerperæ: quoniam extra hunc statum locus huic hæmorrhagiæ non conceditur.

XXXVII.

Speciale subjectum idem est, quod sub affectu præcedente designavimus.

XXXVIII.

Causa proxima & continens quasi hujus hæmorrhagiæ con-

consistit in vasorum sanguiferorum, uterum ejusque placentam intercedentium, disruptione & apertura.

SCHOL.

Motum enim est, placentam uterinam, copiosissimis vasis arteriosis & venosis instructam, cum vasis ejusdem generis, uteri substantiam perreptantibus, arctissime conspirare, & mutuo illo commercio circulum sanguinis fœtum inter & matrem conservari, quamdiu ex nulla parte ab invicem secedunt. Quam primum autem aut in abortu, ante tempus legitimum, aut in partu, debito tempore secundinarum secessio contingit, quæ sine vasorum dictorum disjunctione & apertione evenire nequit, necessario propter vasis continentis subtractionem, contenti sanguinis profluvium tamdiu succedit, donec sub contractione uteri, vasa iterum in illo coarctentur, eorumque ostiola claudantur.

XXXIX.

Reliquæ causæ, specialiter hic observantes, (missis illis generalioribus, a plethora ejusque commotione desumtis, quæ tamen concurrere possunt,) ordinariæ sunt occasionales & adventitiæ, quæ ex accidenti quasi naturam ad extraordinarios motus expulsorios suscipiendos impellunt.

SCHOL.

Hujus generis sunt animi commotiones vehementiores, præsertim ira atque terror, quibus vel gravidæ, vel puerperæ percelluntur, unde si abortum supponamus, in corpore matris gravidæ motus inordinati concitantur, proximo maximoque impetu facile ad uterum redundantes, atque fœtus extrusione violenta sese terminantes.

Pertinent huc quoque corporis violentiores motus, seu voluntarii impetuosi, sub ponderum gestationibus, aut elevationibus, saltationibus, succussationibus ventris per vecturam aliamque occasionem; quorsum referri etiam possunt casus ab alto, plagæque in abdomine perpessæ, a quibus omnibus violenta secundinarum avulsio, sive in totum, sive in tantum produci potest.

In partu legitimo & puerperio occasionales causas constituit, par-

tim violenta, per manum obstetricis facta, secundinarum avulsio, partim inquieta puerperæ continentia, refrigeratio congrumationibus sanguinis in utero ansam præbens, sermocinationes brevi post partum institutæ vehementiores, portiunculæ secundinarum avulsæ atque retentæ; concrementa tunicea molaria, quæ uteri restitutionem pristinam impediendo, motibus spasticis & strictoriis ejusdem occasionem præbent. Nec minus aliquando accusandus est abusus calidiorum remediorum, v. g. aromatum, & vinorum aromatisatorum, cum croco, myrrha, cinnamomo, caryophyllis &c. paratorum, & post partum, sub spe promovendi fluxus lochialis, assumtorum.

Hæmorrhagia uterina, circa mensium cessationem contingens.

XL.

Præter modo dictas ac recensitas ex utero hæmorrhagias, partim menstruo, partim puerperii tempore, occurrentes, haud raro fœminæ similem sanguinis excretionem experiuntur, atque incurrunt, eo tempore, quo menstruus fluxus ex ætatis conditione cessare cupit aut solet.

Schol.

Potest non modo, sed solet hæc hæmorrhagica excretio nimia esse, tam respectu ipsius quantitatis sanguinis excreti, quam ratione temporis durationis, aut recursus. Sicut enim tunc temporis certas illas, statasque periodos menstruas non servat, ita extra illas, & citra certum terminum repente, vehementerque sæpe ex utero fluit, & aliquando recursus tempora breviora aut longiora servat, dum mox unica, mox binis, ternis, quaternisve vicibus in anno recurrit, mox per unam, alteramve septimanam, mox per plures, easque satis multas, durat; quo fluxu sanguinis immoderato non solum vires notorie prosternuntur, sed simul facili negotio ad dispositionem cachecticam via sternitur.

XLI.

Subjectum hujus hæmorrhagiæ sunt fœminæ, annum ætatis quinquagesimum circiter attingentes, simul plethoricæ.

Schol.

SCHOL.

Hic enim annorum terminus ſimul conſtituit ultimum quaſi menſtrui fluxus terminum, de quo notiſſimum eſt, quod a ſecundo annorum ſeptenario, ad nonum usque ordinarie excurrat, ita tamen, ut haud infrequenter paulo citius ceſſare incipiat, circa annum nempe 46. 48. rarius vero ante 14tum incipiat, & rariſſime ultra 50mum, ordine menſtruo continuetur.

XLII.

Præter plethoram, & reliquas hæmorrhagiarum generaliores cauſas, tanquam antecedens hujus hæmorrhagiæ cauſa utplurimum agnoſcenda eſt, evacuationis menſtruæ largius ſuccedentis conſuetudo prægreſſa.

SCHOL.

Et quidem hoc tanto magis, tantoque certius, ſi fœminæ tales poſt vitæ genus laborioſum, cui antea addictæ erant, vitam otioſam magis & ſedentariam eligant, ſimulque diætæ lautiori, aut largiori indulgeant, & animi pathematibus iracundis expoſitæ fuerint,

XLIII.

Haud abſimili modo cauſam quoque antecedentem aliquando conſtituunt hæmorrhagiæ lochiales, aut abortivæ graviores, ſi forte in ultima illa menſtrui fluxus tempora incidant.

SCHOL.

Admodum enim familiare eſt, quod ejusmodi hæmorrhagiæ aliquoties recurrentes, poſtmodum in conſuetudinem degenerent, iisque natura adſueſcat: ut poſtmodum, increbeſcente plethora, priſtinarum evacuationum memor, priſtina quoque loca cum impetu quærat.

XLIV.

Occaſionalem ſæpiſſime conſtituit cauſam V. S. vicariarum neglectio, & motus corporis exæſtuatorius.

SCHOL.

Hanc ob rationem maxime perſuadendæ ſunt fœminæ, ut ceſſante menſtruorum fluxu, venæ ſectionibus æquinoctialibus adſueſcant, præſertim

tim, si largiori mensium fluxui adsuetæ fuerint: nec minus ut motibus corporis laboriosis moderatis & continuatis se non subtrahant, omnes autem sanguinis orgasticas commotiones, tam a diæta vinosa aut spirituosa, quam a motibus vehementioribus oriundas, evitare studeant, eoque ipso ab ejusmodi hæmorrhagiis periculosis semetipsas tempestive præservent.

Varicum hæmorrhagia.

XLV.

Varicum hæmorrhagia, est sanguinis profluvium ex nodosis vasorum venosorum cruralium elevationibus, per cutim perrumpens.

SCHOL.

Sicut nodosa illa vasorum venosorum cruralium intumescentia aliquando eveniens, varices constituit, ita varicum hæmorrhagia audit, quando vasa ita tumida, non accedente licet læsione externa aut vulneratoria, vel etiam sub illa adeo expanduntur, ut sanguis per ipsam cutim perrumpat, fluxumque formet, quæ hæmorrhagiæ species, quamquam rarior paulo sit, aliquando tamen occurrit, variasque molestias parit, tam a spasticis tractionibus, quam ab ipso profluvio, ordinarie quasi defectu quantitatis peccante, dependentes.

XLVI.

Subjectum generale molesti hujus affectus præ viris constituunt fœminæ.

SCHOL.

Quamvis enim viros ab hoc adfectu non in totum excludamus, rarior tamen apud illos existit, quam apud fœminas, quoniam in sexu sequiori plures occurrunt causæ, viam ipsi faciliorem sternentes.

XLVII.

Subjectum speciale sunt vasa venosa cruralia, cum cute superstrata.

SCHOL.

Cum enim in dictis venis cruralibus præcipue valvulæ occurrant, quæ in statu naturali progressui sanguinis ad superiora succurrunt, hæ præsen-

præsentibus causis, progressum impedientibus, occasionem quoque præbent nodosæ venarum inflationi in illis locis, quæ valvulas intercedunt, ut sanguini accumulato non modo ipsæ cedant, sed cutim superstratam quoque rumpere faciant.

XLVIII.

Causa & varicum, & hæmorrhagiæ per illas antecedens proxima, est vel nuda vasorum venosorum compressio, a mole quadam ipsis in parte superiori incumbente: vel eorundem & partium vicinarum vehemens strictura spastica, sanguinis transitum impediens.

SCHOL.

Illa præsto est apud fœminas in statu graviditatis, quando fœtus grandior factus, venis iliacis incumbit, eoque ipso regressum sanguinis per hæc vasa, a pedibus impeditiorem reddit, & quo diutius, aut sæpius hæc causa accedit, eo certiorem dispositionem ad ejusmodi hæmorrhagiam relinquit.

Hæc vero aliquando ortum ducit ab adstringentium abusu, aut regimine valde ac repente refrigeratorio, aut terrificis animi pathematibus, tempore menstruo, vel lochiali intempestive accidentibus.

Quod ut exemplo luculento illustremus, in mentem incidit historia de uxore Medici cujusdam valde circumspecti, & experti, febre quartana per aliquot septimanas laborante, constitutionis plethoricæ, V. S. non adsuetæ, temperamento sanguineo-melancholico gaudente: cui maritus varia medicamenta quidem exhibuerat, sed incassum, cum febris hospitium non relinqueret. Persuadebant itaque amici Medicum, ut ipsi famosum illud specificum chinam chinæ exhiberet, quam tamen ipse reformidabat, aliorum exemplo edoctus. Cum ipsi autem partim philautia propriæ experientiæ objiceretur, partim amor erga uxorem misere afflictam urgeretur, tandem persuasioni cedebat, & secundum præscriptum tunc temporis familiare, uxori suavissimæ quinquinæ pulverisatæ drachmam unam, cum haustu vini Hispanici, brevi ante paroxismum porrigebat, injuncto simul quadantenus regimine diaphoretico. Diaphoresis non succedebat, paroxysmus autem febrilis ita accendebatur, ut gravissimus sequeretur æstus: cessante demum paroxysmo, uxor

ſurgere vellens e lecto, de graviſſimis conquerebatur doloribus rheumaticis femorum ac pedum, & impotentia ambulandi plenaria. Crura inſpiciens, vaſa venoſa per totum tractum crurum videbat varicoſa & tumida, ad magnitudinem magnarum avellanarum & ultra, ita ut maritus omni opera, vix intra quindecim dies, variis adhibitis multisque remediis externis, & internis, eousque ægram conjugem reſtituere poſſet, ut iterum extra lectum eſſe poſſet: & quamvis varices cum ambulandi impotentia tandem ceſſarent, nihilominus decubitus humorum perpetuus in uno crure remanebat, cum tumore circa malleolum, tandem in exulcerationem cum reliqua vita continuam, degenerante.

XLIX.

Occaſionalem haud raro ſuppeditat cauſam vitæ genus certum, cui talis modi perſonæ vacant.

Schol.

Quando nempe ſub reliquis jam citatis circumſtantiis fœminæ tales ſtando, ambulando, in ſitu erecto plurimum vitam agere coguntur, quo vaſa venoſa a ſanguinis pondere valde diſtenduntur, cutimque in quibusdam ſubjectis ſimul teneram, ultra modum expandunt.

Nec eſt, quod ſtatum plethoricum plane ex cauſarum claſſe rejiciamus, quin potius ex generalioribus hæmorrhagiarum cauſis eundem huc quoque referamus: & quidem tanto magis, quando reliquæ circumſtantiæ in illa ætatis tempora incidunt, ubi reliquæ evacuationes ſanguinis ſpontaneæ per menſes & lochia, per ætatem ceſſarunt, vitæque lautioris genus, cum evacuationum vicariarum neglectione & omiſſione acceſſerunt.

Caput IV.

DE SANGUINIS DEFECTU.

I.

Per defectum ſanguinis hic loci non intelligimus omnimodam ipſius abſentiam in corpore, quæ ſane fere nunquam deprehenditur, & ſi deprehenderetur, cer-

certissime non morbum, sed mortem produceret; sed comparativum hic intelligimus defectum, quatenus naturali quantitati sanguinis, in corpore sano obviæ, opponitur.

SCHOL.

Quemadmodum enim in antecedentibus demonstratum fuit, sanguinem excessiva & abundante quantitate peccare, variasque sanitatis læsiones producere posse, ita etiam non minus defectiva ipsius quantitas in corpore præsens non sufficit, pro necessaria corporis nutricione, viriumque per labores prostratarum restauratione.

II.

Subjectum si inquiramus generale defectus sanguinis, sane nullam ætatem, nullumque sexum, aut temperamentum hinc excludere valemus.

SCHOL.

Quamvis enim notissimum quidem sit, ratione ætatis, senio confectos, omnium facillime defectum sanguinis pati, nequaquam tamen alius conditionis personæ a causis illis, quæ sanguinis defectum producere aptæ sunt, liberæ esse possunt: unde patebit, omnis generis homines, si illis causis subjiciantur, etiam pari facilitate sanguinis penuriam incurrere.

III.

Speciale subjectum universum dici potest corpus.

SCHOL.

Cum enim sanguis per totum corpus omnesque ipsius partes, suum cursum habeat, nec non toti corpori materiam nutritionis remotiorem præbeat, non potest non totum corpus a defectu sanguinis affici: unde quoad omnes facultates & actiones, defectus & debilitas in toto corpore persentiscitur.

IV.

Causas defectum sanguinis producentes quod concernit, aliæ sunt proximiores, & magis immediatæ, aliæ remotiores & mediatæ.

Schol.

Ad priorem classem pertinent enormes ac immediatæ sanguinis profusiones, & hæmorrhagiæ, sive illæ fuerint ab interna causa abortæ, sive per violentiam externam vulneratoriam productæ; quorsum non minus venæsectiones pertinent immodicæ, quæ, si vel simul & semel graviter invadant, vel frequenter recurrant, diutiusque durent, immediate defectum sanguineæ massæ post se trahunt.

Magis remotam causam constituit nutrimenti defectus, ac alimentorum penuria, quibus materia illa subtrahitur, e qua novus generari debet sanguis; unde partim sanguis novus non modo non generatur, sed ille, qui adest, actu etiam consumitur, & in præsens nutrimentum impenditur, cum tamen ordinarie sanguis sub motibus laboriosis resolutus, quotidie per novum nutrimentum augeri deberet.

V.

Accedunt diversæ causæ occasionales, & quidem inter has, magis immateriales.

Schol.

Huc spectant omnes illæ causæ, quæ sub nomine animi pathematum, inediam, prostratumque appetitum producere possunt: cujus generis primario sunt mœror, & ira, quæ diverso quidem agendi modo, unanimi tamen effectu appetitum cibos capiendi prosternere possunt ac solent.

VI.

Nec minus hanc causarum classem subeunt nimiæ speculationes, & excessivæ vigiliæ.

Schol.

Ab his enim natura in actionibus naturalibus ac vitalibus sæpissime valde turbatur, atque ab illis diversimode distrahitur; prout varia quotidie occurrentia exempla id nos docere possunt, quando v. g. literati speculationibus profundioribus inhærentes, & ciborum capiendorum, & somni, non reminiscuntur.

CAP.

CAPUT V.

DE SANGUINEARUM EVACUATIONUM NATURALIUM SUPPRESSIONE.

I.

Suppressio evacuationum sanguinearum naturalium, est defectus illarum hæmorrhagiarum, sive totalis, sive quoad partem, quæ in statu naturali pro conservanda sanitate, adesse possent, aut deberent.

SCHOL.

Haud itaque in præsentiarum nobis sermo est de omnium & singularum hæmorrhagicarum evacuationum suppressione: quoniam aliquæ illarum sunt, quæ vel violentæ, vel ad minimum morbosæ, imo positive noxiæ existunt, quotiescunque sese exserunt: ideoque sui considerationem hac ratione non merentur, quin potius optandum esset, ut semper suppressæ manerent; ad quarum classem pertinent hæmorrhagia vulnerum, hæmoptysis, vomitus mictusque cruentus, & varicum hæmorrhagia, quippe quæ vel nullum sanitati commodum notabile adferunt, vel læsiones partium solidarum nobiliorum producunt, vel ad minimum officium earundem præsentia sua lædunt, multasque in œconomia naturali turbas causantur.

II.

Hæmorrhagiæ, de quibus hic nobis sermo est, ad statum naturalem & sanitatis sunt vel absolute necessariæ, vel ad minimum ita utiles, ut pro integritate sanitatis conservanda, ab ipsa natura, vel certo ordine, stataque periodo, vel sine ordine quidem, repetito tamen suscipiantur & continuentur.

SCHOL.

Prioris classis sunt menstruæ & lochiales evacuationes, in fœminis puberibus, & nuptis, a decimo quarto ætatis anno ad quadragesimum nonum usque familiares.

Ad alteram pertinent hæmorrhoides præcipue internæ, in viris potissimum certæ ætatis occurrentes, aut etiam externæ, aliquando statui prægnationis fœminarum supervenientes: & narium hæmorrhagia utrique sexui, diversæque ætati solennis.

Hæmorrhagiæ narium suppressio.

III.

Hæmorrhagiam narium suppressam nominamus, quando hæc excretio sanguinea, vel in dispositis, plane non succedit, aut rarissime se exserit, vel in adsuetis ante debitum terminum, & ultra consuetudinem, aut plane cessat, aut ad minimum itidem rarioribus recursibus, vel admodum parce succedit.

SCHOL.

Per dispositos ad hæmorrhagiam narium illas intelligimus personas, quæ ratione ætatis & temperamenti facilius & naturali ordine huic excretioni subjectæ esse possent, quales sunt pueri, juvenes, & de cholerico aut sanguineo temperamento potissimum participantes: quemadmodum per adsuetos, illos indigitamus, quibus actu vel sub consueta ætate, vel etiam post illam, hæc excretio solennis fuit, nunc autem vel penitus cessat, vel parcissime succedit,

IV.

Hoc ipso etiam subjecta declaramus, quæ huic suppressioni obnoxia fiunt, pueros nempe & juvenes, eosque, qui ultra hanc ætatem hæmorrhagiam narium solennem experti fuerunt, aut experiri potuerunt.

V.

Subjectum speciale itidem constituunt nares, sicut in hæmorrhagia ipsa.

SCHOL.

SCHOL.

Quando nempe illarum vascula, & fibrosa compages vel obstructa, vel stricta sunt, ut sanguini egressum non concedant; ita tamen, ut sub molestiis, suppressionem fluxus sequentibus, partes quoque vicinæ symptomatum subjecta evadant.

VI.

Causam hujus suppressionis materialem proximam suppeditat sanguis, vel quantitate, vel consistentia, vel denique peculiariter crasi læsus.

SCHOL.

Quantitas sanguinis in hoc casu utplurimum peccat excessu, vel ad minimum sub plethora commota, unde vasa sanguifera cum interstitiis fibrosis nimium infarcta, membranam narium ita tendere valent, ut via excretionis præcludatur.

Quoad consistentiam læsam, in considerationem venit ejus spissitudo, quæ exiliora vasa, eorumque ostiola oppilando transitum prohibet, exitumque impedit.

Sub crasi peculiariter læsa denotamus in specie impuritates mucido-viscidas, aliquando sanguini sese intermiscentes, a quibus non modo sanguinis motus ipse retardatur, sed viæ etiam, per quas hæmorrhagia succedere deberet, oblinuntur, obstruuntur.

Antecedentes harum læsionum causas, ideoque respectu suppressionis hæmorrhagiæ remotiores, hic non repetimus, cum Cap. II. §. 13. jamjam ex parte indigitatæ sint.

VII.

Sicuti in materia movenda, ita non minus in partibus solidis, materiæ movendæ viam largientibus, causa suppressæ hæmorrhagiæ aliquando hæret.

SCHOL.

Permeabilitatem vasorum atque fibrosarum partium, æque ac debitum tonicum robur, pro debito hæmorrhagiarum successu requiri, res est omnibus notissima. Quando itaque hæ partes in naribus vel admodum strictæ & angustatæ, vel ultra modum relaxatæ existunt, successus hæmorrhagiarum intercipitur: in priori quidem casu positive: in altero autem priva-

privative, dum sanguinis decubitui quidem viam concedunt, sed defectu roboris naturalis laborant, quod tamen pro transpulsu sanguinis requiritur.

VIII.

Hæc partium solidarum in naribus p. n. dispositio varias agnoscit causas occasionales.

SCHOL.

Relaxatio enim illa tonica aliquando dependet a defluxionibus catarrhalibus serosis, sub coryza aut gravedine prægressis: aliquando a refrigerationibus, extraordinarie ab aëre frigido, simul humido, perpessis.

Strictura autem nimia perquam sæpissime originem debet intempestivæ remediorum adstringentium externæ & immediatæ applicationi ad nares, sub turundarum, pulverum stegnoticorum, liquorum stypticorum in nares attractorum formulis, sub prægressis narium hæmorrhagiis paulo largioribus, adhibitæ.

Menstrui fluxus suppressio.

IX

Circa menstruæ evacuationis suppressionem & impeditionem notandum est, autores diversas ipsius constituere classes, quæ tamen, verum si dicere fas est, essentialiter conveniunt, licet quoad gradum, aut speciales quasdam circumstantias ab invicem differant.

X.

Prima, quæ circa menstruum negotium a statu naturali contingit, aberratio, dicitur mensium emansio.

SCHOL.

Hæc nihil aliud denotat, quam nimis longam ac diuturnam in juvenculis hujus fluxus emansionem, respectu primæ perruptionis, quando nempe longe tardius quam anno decimo quarto fluere incipiunt.

XI.

Alterum gradum suppressionis mensium constituit eorundem imminutio.

SCHOL.

SCHOL.

Hæc in eo confiſtit, quod fœmellæ hactenus fluxum menſtruum, & quidem paulo largiorem expertæ, nunc per aliquod tempus, quantitatem fluxus imminutam experiantur, quamvis de cætero ordo & tempus excretionis conſpirent.

XII.

Tertius gradus eſt, ſtricto nomine ita dicta, ſuppreſſio.

SCHOL.

Dicitur autem ſuppreſſio menſium, ſi fœmellæ, quibus menſes jamjam debito ordine, vel aliquoties, vel per longum tempus fluxerunt, nunc ſemel aut pluribus vicibus, totalem hujus fluxus emanſionem experiuntur, ut nihil de illo ſentiant; quæ ſuppreſſio vel temporaria per aliquot menſes, vel continua eſſe poteſt.

XIII.

Quartum gradum conſtituit menſium inordinatus fluxus.

SCHOL.

Per illum intelligimus, quando menſes vel plane irregulari tempore fluunt, nec tempus ſolitum quatuor ſeptimanarum ſervant, ſed tribus, quinque, ſex ſeptimanis recurrunt; vel quando ſtatum quidem tempus ſervant, ſed ſub ipſo evacuationis decurſu, variationes patiuntur, ita ut v. g. per unum pluresve dies fluant, mox iterum per aliquot dies ſubſiſtant, & tunc demum denuo prorumpant; quæ conſtitutio tanto magis medicam conſiderationem incurrit, ſi repetitis vicibus ita occurrat.

XIV.

Non minus ad has menſium aberrationes refertur eorundem decoloratio.

SCHOL.

Hæc apud Medicos audit, ſi fœmellæ alias ſanguinem rubicundum ac floridum excernere conſuetæ, deinceps loco hujus, vel aqueam ſaltem excretionem, loturæ carnium inſtar, experiuntur, vel ſanguinem lividum, tetrisve coloribus variegatum excernunt.

XV.

Ultimam harum aberrationum a regula naturali conſtituit menſium per loca inſolita excretio.

SCHOL.

Quando nempe menſium per ordinata loca fluxu ſubſiſtente, temporibus tamen illis menſtruis ac debitis, ex aliis plane locis, licet ad hoc negotium minus commodis & aptis, ſanguis profluit, & ordinem illum menſtruum ſemper ſervat, ſiquidem exempla talia, vomitus & mictus cruenti, hæmoptyſeos, & hæmorrhoidum, vices menſtruæ evacuationis ſupplentium, apud autores varie proſtant.

XVI.

Sicuti menſium negotium ſua certo ſtatoque tempore capit initia, ita quoque tandem ad ceſſationem *pervenit.*

SCHOL.

Vocamus autem menſium ceſſationem, quando univerſum negotium menſtrui fluxus plane ceſſat, ſine ulteriore recurſu, ſive id fiat tempore ſtato atque legitimo, circa ſeptimum ætatis ſeptenarium, (ubi quidem morbi nomen non ſubit, nec tamen ſemper ita cedit, ut nullam conſiderationem medicam mereatur) ſive præmature ante dictum ætatis terminum conſuetum, ubi utplurimum ejusmodi poſt ſe trahere ſolet turbas atque moleſtias, ut ſæpiſſime conſilio & auxilio Medici fœminæ indigeant.

XVII.

Subjecta omnium harum afflictionum ſunt fœmini ſexus perſonæ, quæ ultra pubertatis annos adſcenderunt, & intra hos, ac quinquageſimum ætatis annum vivunt.

SCHOL.

Sicut enim negotium menſtruum a ſecundo annorum ſeptenario circiter ordinarie incipit; ita ante dictum terminum ejus turbationes quærere velle, incongruum eſſet: unde ſolum in illa ætate ſexui ſequiori eveniunt, ſub qua totum negotium viget. Et cum ultimus ipſius terminus circa quinquageſimum annum ordinarie poſitus ſit, neque poſt illum easdem amplius expectare licet: quamvis non negandum ſit, quod ipſa quoque ceſſatio frequentiſſime tales poſt ſe relinquat effectus moleſtos, qui multum laboris, & fœmellis & Medico parere poſſunt.

XVIII.

Subjectum ſpeciale omnium horum affectuum conſtituit prin-

principaliter uterus, cum vasis sanguiferis, illum perreptantibus.

SCHOL.

Cum enim hic primarium excretionis hujus constituat organum & subjectum, non potest, quin etiam pathematum morbosorum hic occurrentium subjectum existat: excepto tamen illo casu, in quo de excretione mensium agimus per loca insolita, ubi ad minimum uterus cum suis vasis haud solitarie pro subjecto venditari potest: cum illæ quoque partes hunc censum subeant, per quas insolita excertio contingit; uterus vero cum vasis illum perreptantibus, subjectum potius causæ in hoc casu aliquando constituere possit.

XIX.

Causæ proximiores huc spectantes generaliter quærendæ sunt partim in materia movenda, partim in viis, per quas materia moveri debet.

SCHOL.

Utriusque enim debet adesse proportionata habitudo, si debitus mensium successus & progressus speratur. Deficiente enim debita materiæ movendæ mobilitate aut quantitate, nil proficit viarum optima dispositio: sicuti materiæ movendæ legitima dispositio nihil juvabit negotium, si viæ fuerint præclusæ, per quas salutaris hæc excretio contingere, & absolvi debet.

XX.

Sanguis itaque, quemadmodum materiam movendam, & causam materialem proximam in hoc negotio constituit, ita in producendis illis recensitis mensium anomaliis in culpa esse potest, tam quantitate quam qualitate peccans.

SCHOL.

Respectu quantitatis, abundantia ipsius aliquando in culpa est, dum vasa nimium infarciuntur, & fibræ partium inter se invicem comprimuntur, earumque interstitia coarctantur, ut ita transitus ipsi sanguini per partes denegetur, nec non eo ipso sanguinis spissitudo acceleretur, variisque stasibus & obstructionibus via sternatur.

 Alio

Alio respectu peccare quandoquidem potest defectus; deficiente enim debita materiæ excernendæ quantitate, haud mirum est, ipsam excretionem deficere, præcipue cum in præsente casu materia talis sit, ut aliis quoque usibus in corpore inserviat: quos inter nec ille minimus est, ut ipsis partibus fibrosis ac vasculosis debitum robur largiatur, quo tanto melius motus per illas perpetrari possint.

Qualitas aut crasis læsa hic causam constituit, quando sanguis peccat vel spissitudine sola, ideoque ad promptiorem motum ac transitum per partes solidas ineptior redditur; vel, quando simul mucidis viscidisque impuritatibus refertus, lentorem concipit, & partim propriam mobilitatem amittit, partim obstructionibus vasorum atque viarum simul materiam suppeditat.

XXI.

Viæ, per quas sanguis in locis, huic excretioni dicatis, moveri debet, duplici respectu causam morbificam constituere possunt.

SCHOL.

Vel enim in causa est illorum strictura nimia & coarctatio, quæ positive sanguini in his locis transitum non concedit, atque effluxum impedit: vel ex opposito peccat viarum atonia, & nimia laxitas, quæ quidem ingressum sanguinis permittit, sed decubitibus & infarctibus viam sternit, nec ad expulsionem debitam sufficit, cum tamen hæc excretio non nudo passivo profluvio, sed actuali expressione, (de qua motus tractorii in lumbis & regione pubis sæpe testantur) a natura celebretur, ad quam debitum tam vasorum, quam partium vicinarum robur tonicum requiritur.

XXII.

Remotiores & antecedentes causæ quærendæ sunt partim in temperamento, partim in genere vitæ, diæta, & morbis prægressis.

XXIII.

Temperamentum variis modis remotiorem impediti fluxus menstrui causam constituere potest.

SCHOL.

SCHOL.

Ita enim temperamentum phlegmaticum maximopere impuritatibus mucidis ac viscidis scatet, feroque impuriore abundat, nec non præ reliquis partium fibrosarum laxitati subjectum est, & facilius atonia laborat.

Temperamentum sanguineum facilius sanguine in genere abundat, nec non post phlegmaticum facile toni relaxationem patitur.

Cholericum animi pathematibus iracundis præ aliis afficitur, unde ad varias motuum anomalias, easque pertinaciores dispositum existit.

Melancholico familiaris est sanguinis spissitudo, & partium fibrosarum major strictura, quæ tanto magis augetur, si animi pathemata meticulosa, terrifica, accedunt, variisque restrictionibus sanguinis ansam præbent.

XXIV.

Ad vitæ genus non minus inter causas horum affectuum respiciendum est, quippe quod diversimode symbolum suum conferre potest.

SCHOL.

Præcipue hoc fit, quando per vitam sedentariam, aut speculabundam, motus sanguinis transpressorius, per partes solidas sufflaminatus, ipsius spissitudinem post se trahit, aut per nimis mobilem, in statu plethorico orgasticæ commotiones sanguinis excitantur, quibus non minus debitæ excretiones sufflaminantur, & extraordinarii infarctus producuntur: aut sub sessione continua, abdomine compresso facta, viscera abdominis, eorumque vasa comprimuntur, & sub respiratione parciore accedente, circulus sanguinis per vasa abdominis retardatur.

XXV.

Simili modo diætæ vitia multum hic conferunt.

SCHOL.

Diæta enim lauta, plena atque vinosa, præter quod statum plethoricum physice augeat, commotiones quoque orgasticas in massa sanguinea producit, atque hoc pacto infarctus auget, liberumque ejus transitum per subtiliora vasa facile sufflaminat, & hoc tanto certius, quo magis vita otiosa aut sedentaria concurrit; sicuti diætetici errores circa cibos vappidos,

mucidos, concoctu difficiles, adstringentes, fermentescibiles, commissi, tam discrasiam sanguinis mucidam ac lentam, quam cardialgias, & hinc spasticas in vicinia partium contractiones, verasque stricturas inducere valent.

XXVI.

Pariter morbi pregressi sæpissime hanc causarum classem subeunt.

SCHOL.

Hoc fit, quando vel sanguinis defectum, viriumque motricium debilitationem producunt, vel quando male tractati, variis motuum anomaliis ansam suppeditant. Id quod satis frequenter accidit a febribus, aut hæmorrhagiis, per adstringentia intempestive cohibitis, atque suppressis, aut aliis spasticis, hypochondriacis affectibus, per opiata atque anodyna, neglecta vera causa, palliative curatis.

XXVII.

Ad occasionales causas merito referimus animi pathemata, quippe quæ sæpissime repentinam hujus negotii mutationem inferunt, aut turbas productas pertinaciores reddunt.

SCHOL.

Ad repentinas turbationes menstrui fluxus plurimum faciunt ira & terror: illa quidem tam humorum exagitationes orgasticas concitando, quam partium solidarum stricturas spasticas producendo: hic vero potissimum restrictiones humorum, per inductionem spasmorum, excitando: sicut mœror maximopere atoniam & debilitationem fibrarum motricium, humorumque spissitudinem producendo, turbas inductas pertinaciores reddere solet. Id quod semper tanto certius succedit, si dicta animi pathemata in tempora fluxus menstrui solita, sive instantia, sive præsentia incidant.

XXVIII.

Ad eandem causarum classem quoque referri debent vitia diatetica, specialius circa fluxus menstrui tempora commissa.

SCHOL.

SCHOL.

Hoc testantur frequentissime illæ observationes in praxi clinica occurrentes, de mensium suppressione, a pane calido, dulcibus, acidis, aliisque eduliis concoctu difficilibus, sub mensium fluxu præsente aut instante, intempestive ingestis.

XXIX.

Neque hic excludenda sunt partium inferiorum, pedum nempe atque abdominis, refrigerationes.

SCHOL.

Nascuntur enim hinc constrictiones, non modo partes exteriores afficientes, sed ad interiora per consensum partium sese extendentes: cujus rei exempla sufficientia e praxi adduci possunt, de mensibus suppressis aut impeditis, quando fœmellæ loturæ linteorum, pedibus in amne frigido stantes, vacarunt, vel alias vehementiores perfrigerationes perpessæ sunt.

XXX.

Sub mensium emansione prima haud raro huic causarum classi adnumerare debemus vermes.

SCHOL.

Siquidem hi primæ ætati magis solemnes esse solent, ita facile tunc temporis adhuc in dispositis corporibus restant, & sicuti ordinarie & fere semper convulsiva & spastica symptomata in intestinis, eorumque confiniis excitare solent, ita etiam facili negotio similes stricturas in mensenterio, vasisque interspersis, ad uterum quoque tendentibus, & in membranis illa involventibus, producere apti sunt.

Lochiorum suppressio.

XXXI.

Lochiorum suppressio est defectus illius profluvii sanguinis, quod ordinarie puerperæ post fœtus & secundinarum exclusionem experiuntur.

XXXII.

Subjectum hujus affectus solitarie constituunt puerperæ.

SCHOL.

SCHOL.

Cum enim fluxus lochialis unice sit consequens partus & puerperii, alio tempore hæc suppressio contingere nequit, quam in puerperio.

XXXIII.

Subjectum speciale idem est, quod in affectu proxime antecedente declaravimus.

XXXIV.

Causæ generaliores & antecedentes quoque, tam materiam, quam vias respicientes, eædem plane subesse possunt, quas modo in affectu proximo recensuimus.

XXXV.

Occasionalem proximam causam ordinarie constituunt vehementes ac repentinæ spasticæ stricturæ, circa uterum ejusque confinia contingentes.

SCHOL.

Hisce occasionem utplurimum præbent, vel animi pathemata iracunda, aut terrifica, vehementiora ac repentina: vel refrigerationes partium inferiorum, sub partu, aut post illum, admissæ: vel denique dolores post partum, aut exclusionem secundinarum violentam remanentes, in spasmos vehementiores demum degenerantes.

Hæmorrhoidum suppressio.

XXXVI.

Hæmorrhoides suppressas vocamus, quando excretio sanguinea, quæ aliquando in personis dispositis per venas sedis ex intestino recto contingit, vel per notabile atque insolitum tempus, vel totaliter, supprimitur.

XXXVII.

Subjecta hujus morbi equidem in utroque sexu occurrunt, verum-

verumtamen rariora sunt e sexu sequiori, frequentiora e virili, ubi tamen ætatis conditio simul conspirat.

SCHOL.

Etiamsi fluxus hæmorrhoidalis sexui muliebri in totum non denegetur, experientia tamen comprobatum habemus, hunc fluxum mulieres saltem quasi ex accidenti, & a causis occasionalibus, aut plane individualibus, experiri: viros autem frequentiore numero eidem subjici, ita tamen, ut neque totus virilis sexus, neque omnis ætas ipsi subjiciatur, sed certa dispositio temperamentorum, & utplurimum ætas quadragesimum annum superans, accedere debeat: unde suppressiones hujus fluxus haud in aliis, quam hujus conditionis personis quærenda erit.

XXXVIII.

Pars, quæ specialiter in hac suppressione afficitur, est intestinum rectum, cum vasis hæmorrhoidalibus dictis illud percurrentibus.

SCHOL.

Notum est ex anatomicis, quod vasa hæmorrhoidalia sint vel interna, vel externa, quorum illa a ramo V. P. hæmorrhoidali, hæc primario ab iliacis, secundario ab hypogastricis oriuntur, illa ad interna intestini, hæc ad externum ipsius limbum excurrunt. De prioribus itaque magis dicendum est, quod partem affectam constituant, præ reliquis, quoniam fluxus etiam internarum hæmorrhoidum maximopere contingit; per externa vasa autem hic fluxus, propter densitatem integumentorum, rarissime succedit.

XXXIX.

Causarum, hanc suppressionem producentium, enodationi merito supersedemus, cum essentialiter eadem plane sint, quas sub mensium suppressione recensuimus, quapropter applicationem illarum ad præsentem quoque affectum commendamus.

CAPUT VI.

DE CONGESTIONIBUS SANGUINEIS IN GENERE.

I.

Congestiones sunt sanguinis & humorum ad certas corporis partes, particulares decubitus, ab ipsa natura sub certo motuum apparatu activo adornati atque suscepti, ut sanguis sub illis, vel per organa excretoria consueta actu excernatur, vel hoc non fiente, attenuetur, & depuretur.

SCHOL.

Dictum fuit in antecedentibus, ubi verba fecimus de hæmorrhagiis, quod hæ non semper nude passivo modo contingant, sed utplurimum causas intrinsecas agnoscentes, ab activo quodam naturæ motu dependeant, secundum quem pro diversitate ætatum & reliquarum circumstantiarum, per diversa corporis loca procedunt, atque ad illa diriguntur.

Quibus positis, sponte fluit, ad hunc actum tanquam non plane quotidianum, sed aliquomodo extraordinarium, requiri: 1.) ut sanguis ad debita illa excretionis loca specialiter dirigatur & compellatur: 2.) ut ita sanguis insolito majore quantitate tunc temporis ad illas partes advehatur: 3.) ut a sanguine ita copiosius adpulso, vasa sanguifera, & partes fibrosæ solito plus distendantur, & expandantur: 4.) ut in regione illa, quorsum sanguis ita compellitur, oriantur sensationes caloris præternaturalis, oppletionis gravativæ, distensionis, imo nonnunquam coloris rubicundi, & doloris magis minusve sensibilis: 5.) ut in hoc negotio concurrant speciales motus tonici alterationes, strictoriæ & relaxatoriæ, illæ nempe in partibus magis dissitis a locis hæmorrhagiæ dicatis, hæ vero in ipso loco excretorio: 6.) ut hanc ob causam in locis ab organo excretionis dissitis aut oppositis, vel visibiles, vel ad minimum sensibiles stricturæ spasticæ, sanguinisque restrictiones, actuale quoque frigus illius partis post se trahentes, oriantur.

II. Con-

II.

Congestionum finis est, vel sanguinis sincera excretio, vel ejusdem attenuatio & depuratio.

Schol.

Hanc ob causam videmus, hæmorrhagias, quæ non passivæ existunt, omnes, fundamentum suum hebere in congestionibus, nec sine illis absolvi. Interim, quamquam congestiones sanguineæ primario eum in finem contingant, ut excretiones hæmorrhagicæ ab ipsa natura perpetreutur, ita tamen non minus secundario quoque scopo, non semper & unice hunc in finem a natura suscipiuntur; sed vel sanguinis attenuationi, vel ipsius simultaneæ dnpurationi inserviunt; unde similis apparatus motuum in coriza quoque observatur, sub qua tamen non sanguis, sed serum mucidum & salsum, a sanguine secretum, excernitur: dum enim per partes spongiosas copiose & vehementius transprimitur, simul atteritur, magisque fluxilis redditur, & una partes heterogeneas admixtas amittit atque deponit.

III.

Differunt interim vera atque completa congestiones a moliminibus incompletis congestoriis, perfectum finem non assequentibus.

Schol.

Veræ atque completæ dicuntur congestiones, quæ directe in illis locis contingunt, & ad illas partes plenarie diriguntur, e quibus hæmorrhagiæ plenarie contingere possunt & solent, ita ut etiam perruptio evacuatoria inde sequatur, sive id fiat circa caput, sive circa pectus, sive in abdomine.

Molimina incompleta autem vocamus ejusmodi sanguinis motus congestorios, qui a longinquo quasi fiunt, neque plenaria ad loca excretionis pertingunt, sed incompletis tensionibus absolvuntur; id quod præcipue evenire solet sub transpressione attenuatoria, aut quando prima initia imminentium hæmorrhagiarum occurrunt, quæ molimina incompleta, rheumatismorum titulum obtinere solent, & modo in scapulis, dorso, thorace anteriore, modo in lumbis, femoribus, pedibusque, aut etiam in interioribus partibus, a locis hæmorrhagiis destinatis paulo magis dissitis, occurrunt.

IV.

Subjectum congestionum generale sunt cujuscunque ætatis, sexus, & temperamenti persona.

SCHOL.

Quamvis vi hujus asserti verissimum sit, omnes absque exceptione homines congestionibus expositos esse, nequaquam tamen exinde colligendum est, quod quævis ætas cuilibet congestionum speciei subjectum existat, sed illas ordinarie experiatur, quæ cum hæmorrhagiis, certis ætatibus competentibus, respondent atque conveniunt.

Sicut etiam nulla temperamenta a congestionibus excluduntur, sed sine discrimine iisdem obnoxia fieri possunt, ita tamen præ reliquis ea individua magis congestionibus subjici videmus, in quibus plures, majoresque commotionum orgasticarum causæ occurrunt: unde plethorica corpora, vitæ genere otioso & sedentario, lautaque ac plena diæta abutentia, aut sanguinem simul spissiorem possidentia, congestionibus frequentius vexantur.

V.

Speciale congestionum subjectum constituunt omnes illæ corporis partes, in quibus vel evacuationes sanguineæ, vel sanguinis transpressiones attenuatoriæ, contingere possunt ac solent.

SCHOL.

Hoc intuitu, tam caput, quam pectus, atque abdomen, & singulæ quædam harum regionum partes, tanquam congestionum subjecta considerari merentur: quemadmodum id in sequentibus clarius adparebit.

VI.

Causa congestionum sanguinearum materialis proxima est sanguis, vel quantitate vel qualitate peccans.

SCHOL.

Physica enim mole abundans, sui evacuationem & imminutionem

nem urget, ne tractu temporis molestus evadat aut noxius, aut ad minimum in sua crasi lædatur.

Qualitate vero læsa, causam suppeditat, sive spissitudine peccans, suique transpressionem per partes porosas, hincque subsequentem attenuationem requirens: sive denique aliis impuritatibus laborans, & depurationem per uberiores secretiones expectans.

VII.

Ad antecedentium & procatarcticarum classem referri merentur omnes illæ, a quibus & plethora, & craseos læsio ortum ducere potest.

SCHOL.

Huc spectat diæta lauta atque vinosa, orgasticis sanguinis & humorum expansionibus, & plethoræ moraliter peccanti ansam præbens. Vitæ genus otiosum, vel ad minimum sedentarium, tam sanguinis abundantiam, quam ejus spissitudinem promovens.

VIII.

Occasionalem certarum congestionum causam suppeditare potest certum temperamentum certaque ætas.

SCHOL.

Illud quidem, quatenus uni aut alteri causarum antecedentium favet. Hæc autem, in quantum speciatim certæ hæmorrhagiarum speciei congrua existit.

IX.

Efficientem causam præter naturam ipsam agnoscimus nullam.

SCHOL.

Hæc enim propter certum finem agens, & vel sanguinis imminutionem, vel ejusdem attenuationem cum depuratione intendit; ideoque motu tonico, specialiter in locis dissitis aucto, tanquam instrumentali causa utitur, ut sub illarum partium strictura auctiore, humores aliorsum adpellat, finemque propositum, pro vitæ ac sanitatis futura conservatione obtineat.

CAPUT VII.
DE CONGESTIONUM SANGUINEARUM EFFECTIBUS IN SPECIE.
Capitis dolores.

I.

Dolorosi affectus circa caput occurrentes essentialiter quidem iidem sunt, verum apud medicos superioris ævi diversa, partim a loco, quem specialissime occupant, partim ab indole & modo, sortiti sunt nomina: unde sub titulo cephalalgiæ, cephalæ, hemicraniæ, & clavi innotuerunt.

SCHOL.

Omnes hi nominati affectus dolorosi supremum potissimum caput, cum suis partibus occupant, exceptis singulis in capite obviis organis, ita ad minimum, ut hæc, si aliquando simul tangantur, tamen non principaliter, sed per consensum & accidens patiantur.

Est itaque medicis cephalalgia dolor capitis, quasi simpliciter considerátus, quando vel totum supremum caput, a fronte ad occiput, vel maximam ad minimum ejus partem occupat, nec certam aliquam ejus quasi particulam solitarie obsidet, sive dolor ille sit lancinnans, sive pungens, sive pressorius. Cephala autem est intensissimus & contumacissimus horum dolorum gradus, ita ut perpetuo quasi, vel ad longum tempus ægros adficiat, aut etiamsi per intervalla remittat, tamen a levissimis quoque causis impetuose recurrat.

Sub hemicrania illum comprehendimus capitis dolorem, qui saltem alterutrum capitis latus per dimidium quasi capitis intensissime lancinando afficit, cum nauseabunda cardialgia, & vertiginosis insultibus stipatus.

Clavus ita dictus Hippocratis, abinde nomen specialiter gerens, quod

quod dolor ſpecialiſſimam ſaltem particulam magnitudine imperialis, aut adhuc minoris ſpatii, ita fixe occupet, ut inſtar clavi infixi in eodem ſemper loco hæreat, quantoties recurrit.

II.

Subjecta horum dolorum ſunt perſonæ quoad ætatem juniores; plethoricæ, ad narium hæmorrhagiam antea pronæ, nunc autem illam raro, aut plane non, experientes: aut ſi provectioris ætatis fuerint, aliarum quoque evacuationum ſanguinearum ſuppreſſionem patientes.

SCHOL.

Quod juniores in hanc claſſem locemus, id eam ob rationem fit, quoniam narium hæmorrhagiæ ætati juniori communiores ſint, & dicta congeſtio potiſſimum in illam tendat. Provectioris tamen ætatis perſonæ non minus dictis doloribus ſæpiſſime laborant, ex eo fundamento, quod hæmorrhagiis narium in juventute adſuetæ fuerint, poſtmodum autem eas amiſerint, neque in earum locum alias vicarias ſubſtituerint evacuationes; aut quod ex aliarum evacuationum naturalium ſuppreſſione, & conſuetudine motuum ad caput tendentium, regurgitationem & reſtagnationem ſanguinis ad caput, præcipue occaſionalibus concurrentibus cauſis, patiantur.

III.

Partem ſpecialiter affectam primario conſtituunt capitis partes nervoſo-membranaceæ, ſecundario vero reliquæ carnoſæ muſculoſæ.

SCHOL.

Dum enim ſanguis extraordinaria quantitate, & inſolito magis impetu ad capitis confinia congeritur, atque compellitur, diutiusque hic detinetur, vaſa ſanguifera cruore turgida, ultra modum non modo expanduntur, ſed præcipue perioſtium, & cerebri meninges ſimul tendunt atque diſtendunt; in quibus, tanquam membranis nerveis, maxima ſenſibilitate gaudentibus, neceſſario, graviſſima ſenſatio moleſta oritur, tamdiu durans, donec ille ſanguinis appulſus remittat. Cum autem dicta vaſa ſanguinea carnoſas quoque ſimul transcurrant partes, eæque ſæpiſſime a ſangui-

a sanguinis infarctu valde turgeant, hæ quoque molestias, ad minimum æstuosas, sentiunt, quæ tamen, propter minorem fibrarum carnearum sensibilitatem, gradu quoque minores, præ illis, existunt.

IV.

Causa omnium horum affectuum dolorosorum materialis, est sanguis.

SCHOL.

Sanguis nempe vel quantitate excessiva peccans, suique imminutionem per narium hæmorrhagiam postulans: vel spissitudine laborans, quo transpressionem attenuatoriam indicat. Nec plane hic excludimus impuritatem sanguinis salino-mucidam, quæ sui separationem ac sequestrationem, sub eadem transpressione per partes solidas poscit.

V.

Antecedentem dolorum modo dictorum proximiorem causam constituit congestio ipsa, ad partes atque confinia capitis facta.

SCHOL.

Agnoscit hæc congestio sanguinis varias circumstantias antecedentes & concurrentes, de quibus in cap. antecedente dictum est, præcipue motus tonici varias alterationes, strictorias quidem in partibus dissitis: relaxatorias autem & distensorias, in partibus dolorem specialiter patientibus, quæ tanquam causæ instrumentales huic negotio favent.

VI.

Remotiorem vero in hac classe causam constituunt hæmorrhagicæ excretiones antea perpessæ, nunc suppressæ, nec non evacuationes vicariæ neglectæ.

SCHOL.

Hæmorrhagias quod concernit antea perpessas, strictiore quidem sensu hic intelligimus illas, quæ e naribus profluxerunt, quippe quæ consuetudinem motuum excretoriorum circa hæc loca inducunt. Horum facilius reminiscitur natura, quando sub reliquis causarum concurrentium

tium circumſtantiis, in genere ad motuum transpreſſoriorum & expreſſoriorum ſuſceptionem excitatur, ut priora excretionis loco quærat repetatque. Nec tamen animus eſt, alias quoque hæmorrhagias, in diſſitis magis locis perpeſſas, hic penitus excludere, ſed latiore nexu illas admittimus, dum natura, ſuppreſſis illis excretionibus, ſublevationis per illas factæ memor, generali intentione motum excretorium intendit, talemque pro hoc negotio eligit partem, per quam alias jam ſanguinem excernere conſueverat: ad cujus ſpecialem electionem forſan per occaſionales cauſas, (licet non adeo exacte toti negotio reſpondeat) diſpoſita & invitata fuit. Vicariarum evacuationum neglectiones in tantum huc faciunt, quantum pro accumulatione plethoræ, ſub reliquarum cauſarum concurſu, ſymbolum ſuum conferunt.

VII.

Ad occaſionales cauſas referimus in genere omnes illas ab extra quaſi ſuppeditatas anſas, quæ ſanguinis motum ſpeciatim ad caput invitare poſſunt.

SCHOL.

Hujus cenſus ſunt ploratus, ſpeculationes profundiores ac diuturnæ, plagæ in capite perpeſſæ, & violentiæ externæ, quæ capiti inferuntur. His enim omnibus motus ſanguinis majori impetu ad caput fertur, ſanguis diutius ibi detinetur, ſolidæ partes ſucceſſu temporis debilitantur, ut impoſterum tanto facilius decubitui novo cedant; quod, quo ſæpius contingit, eo faciliorem habitum inducit.

Ophtalmia ſanguinea.

VIII.

Ophtalmia eſt levior ſtaſis inflammatoria circa oculum alterutrum, bulbum ipſius maxime afficiens, ex ſimili congeſtionum fundamento oriunda.

SCHOL.

Poſſumus hunc affectum, ſi non ſemper, tamen ad minimum ſatis frequenter, pro effectu congeſtionis ſanguineæ ad nares, ſub attentata hæ-

hæmorrhagia factæ, habere, cum proximior sit pars naribus juncta, ad quam deficiente effectu excretionis, redundat. Exserit sese molestus hicce affectus, doloribus lancinatoriis, sæpe intensissimis, in meditullio quasi bulbi oculi, cum ardoris sensu, vasculorum sanguiferorum capillarium infarctu, albi oculorum rubore, & oculi, (si gravior fuerit affectus) tumore & protuberantia, copiosaque lacrymarum profusione.

IX.

Subjecta bujus affectus sunt juniores, præ senioribus: personæ plethoricæ, & temperamentis calidioribus gaudentes.

SCHOL.

Quod juniores hoc in passu præferamus senioribus, ratio est, quod motus sanguinis in illis ordinarie quasi magis ad caput vergant, iisque hæmorrhagia narium solennior esse soleat. Plethoricis autem ex hoc fundamento ophtalmiam assignamus, quoniam plethora fœcundissima mater congestionum & hæmorrhagiarum existit, causamque impulsivam suppeditat, ut evacuationes sanguinis a natura suscipiantur & intendantur. Temperamenta vero calidiora ideo accusamus, quod sanguis illorum non modo agilior sit, longeque facilius intestino & locali motu agitetur, atque in partes teneriores quoque impelli possit: sed quod activitas etiam naturæ in illis concurrat, & partes fibrosæ ad motus suscipiendos sint aptiores.

X.

Subjectum speciale ophtalmiæ, quando oculum nominamus, nullam penitus ipsius partem solidam excludimus, sive tunica, sive musculus, sive nervi, sive vasa fuerint: etiamsi enim respectu stasеos ipsius, vasa sanguifera principaliter turgescentiam atque infarctum patiantur, longe tamen abest, quin reliquæ nominatæ partes simul extensionem, & ab extensione extraordinaria, dolorem patiantur.

XI.

Causas quod concernit, tam materialem proximam, quam antecedentem proximiorem, atque remotiorem, eas hic non repeti-

petimus, cum alia non sint, quam quae sub antecedente affectu proposita fuerunt.

XII.

Occasionales causae, pro differentia aetatis & conditionis hominum, variae esse possunt.

SCHOL.

Sic aetas puerilis & infantilis ejulatu atque ploratu, oculorumque intempestiva frictione sanguinis majorem affluxum ad oculos invitare potest, iisque dispositionem conciliare, ut facilior sanguinis ad illos fiat decubitus. In aetate provectiore vel lucubrationes nocturnae, vel aliorum subtiliorum laborum, cum multi luminis abusu, celebratio, vel moestitia diuturna, ploratibus juncta, vel aëris nimis calidi injuria, circa oculos perpessa, vel exhalationes acriores & causticae, ad oculos delatae, eundem edere possunt effectum. Neque excludere possumus ab hac causarum classe, praegressas, sed nunc suppressas haemorrhagias narium, consuetudinem decubitus humorum ad has partes producentes,

Otalgia.

XIII.

Otaligiam constituit dolor acutissimus & gravissimus, circa parotides, auresque fixam sedem formans, aliquando tamen ulterius quoque sese diffundens, & a simili sanguinea congestione ortum capiens, quandoquidem in veram inflammationem abiens.

SCHOL.

Affectum hunc ad congestorios referri debere, testantur symptomata, eundem comitantia, atque stipantia: interea tamen magis de incompleto quasi, & e longinquo saltem fiente molimine haemorrhagico testatur, cum in genere quidem ad caput, non vero speciatim ad organum excretionis fiat congestio.

XIV.

Subjecta hujus affectus sunt juniores personae plethoricae, quae frequentius jam congestiones sanguineas ad caput

passa sunt, præsertim, quæ narium hæmorrhagiis subjectæ fuerunt.

SCHOL.

Rationem, cur ætas junior, & plethorica invidua huic affectui subjiciuntur, videre licet Th. IX. sub affectu smox antecedentis tractatione. Reliquæ fundamentum suum habent in motuum consuetudine generaliore: quando enim natura semel iterumque adsueta fuit motibus & moliminibus sanguinis excretoriis, sive completis sive incompletis, facili negotio sub causarum proximiorum accessu, priorum motuum recordatur, ac sanguinem ad illa magis loca compellit, quorsum frequentius jam sanguinem adpulit, idque tanto magis, si antea aliquoties sub ejusmodi motibus congestoriis, in iisdem circiter locis excretionem ipsam obtinuit.

XV.

Subjectum speciale partim constituunt interna, partim externa aurium partes, cum parotidibus glandulis retro aures positis.

SCHOL.

Non equidem semper & in omni otalgia omnes dictæ partes simul patiuntur, sed pro diversitate circumstantiarum una præ altera pars patitur. Alio enim tempore congestio & stagnatio sanguinis circa aurem internam, alio vero circa ejus exteriora contingit: sicut alia vice, sub leviore gradu, intactis parotidibus, partes auris musculosas occupat, alia autem parotides simul corripit, & tunc quoque graviores longe excitat dolores. Cum autem hic locorum, ubique concurrant plurimi nervi, partiumque dictarum texturam ingrediantur, hinc facile liquet, quod dolores non modo exquisitissimi esse debeant, sed si vera inde emergat inflammatio, hæc etiam gravissimis symptomatibus, atque haud levi periculo sit stipata.

XVI.

Causa otalgiæ proximior est sanguinis circa aurem stagnatio, aliquando vera stasis, in inflammationem & abscessum abiens.

SCHOL.

SCHOL.

Hac enim facta atque formata, & vasa, & partes nerveo-membranosæ expanduntur atque tenduntur, atque sub illa tensione nimia ac insolita dolores patiuntur, qui tanto acerbiores fiunt, si inflammatio atque abscessus inde oriantur, cum ultimum præcipue sine continuitatis læsione, in partibus teneris & sensibilissimis fieri nequeat.

XVII.

Remotiorem affectus causam constituit congestio ejusdem sanguinis, à natura huc suscepta.

SCHOL.

Suscipit hos motus congestorios natura ex duplici potissimum causa: vel enim molitur excretionem sanguinis per partes superiores in genere, quam tamen sub hoc molimine non obtinet, quoniam haud sufficienter ad organum excretionis in specie motus prosequitur; Vel ab alia causa antecedente & occasionali in parte adfecta præsente eò inducitur, ut pro avertenda & removenda illa molestia massam humoralem eò compellat, quo materia molesta, vel diluatur, vel abigatur.

XVIII.

Ejusmodi causæ occasionales sunt vel læsiones externæ contusoriæ & vulneratoriæ: vel perfrigerationes capitis externæ: vel res p. n. in aures delatæ.

SCHOL.

A prima dictarum causarum extravasatio & stasis sanguinea ortum capere potest, intra substantiam partium illarum solidarum, cum dolore partis conjuncto: hunc sentiens natura, simulque perpendens damnum, ex stasi metuendum, optimo sane generaliori consilio sanguinem in majore quantitate huc congerit natura, ut stasis illa vel diluatur ac dissolvatur, vel si hoc obtineri nequit, accedente motu inflammatorio, in materiam suppuratam redigatur.

Ab altera partim solidarum partium relaxatio, humorumque decubitus, partim sanguinis ad spissescentiam coagulatoriam dispositio oritur: cui ultimæ resolvendæ, eosdem natura impendit apparatus.

Ultima caufarum, quas inter infecta quoque pertinent, fi aures irrepferint, dolores fenfumque moleftum producit in aurium teneribus partibus nerveis; quibus excitatis, natura ad motuum fufceptionem concitata, fanguinem atque humores huc copiofius adpellit, eoque appulfu moleftiam quafi depulfura, ftagnationem, expanfionem producit, tanquam confectaria, ab univerfo illo actu haud feparabilia.

Odontalgia.

XIX.

Odontalgia dicitur dolor, modo obtufus, modo exquifitiffimus, circa dentes, aut in dente ipfo perceptus: five perioftium radicis, five membranam nerveam dentis afficiens, vel a congeftione fanguinea, vel ab erofione ortum ducens.

XX.

Diftinguitur merito odontalgia in fymptomaticam & idiopathicam.

SCHOL.

Symptomaticam vocamus partim illam, quæ aliis morbis cardinalibus, ut fymptomata aliquando, jungitur: partim, & quidem maxime illam, quæ congeftionem fanguineam, ad caput factam, immediate fequitur, aut comitatur, fedemque fuam non in ipfo dente habet. Idiopathicam vero declaramus, cujus fedes in ipfo dente, & cujus fignum concurrens cariofa dentis erofio exiftit.

XXI.

Subjectum generale odontalgia differt, pro differentia ipfius affectus.

SCHOL.

Sicut enim idiopathicæ odontalgiæ fubjiciuntur individua varia, fine refpectu ætatis, temperamenti, fexus, aut cujuscunque conditionis, quoniam ex occafionalium caufarum concurfu omnes & finguli homines cariem dentis experiri poffunt: ita ex oppofito, certa fymptomaticæ odontalgiæ fubjecta ftatuere decet. Sunt itaque hujus fubjecta, vel perfonæ febricitantes, præcipue fub æftus paroxyfmis, fanguinis orga-
fticam

-ſticam commotionem patientes, & tunc temporis plethora commota laborantes: vel plethorica ſubjecta in genere, quibus varia molimina eluctatoria ſolennia eſſe ſolent: aut quibus ex ſolemniorum hæmorrhagiarum ſuppreſſione, regurgitationes ad ſuperiora contingunt: vel præcipue ætate juniores, in quibus generaliter motus ſanguinis congeſtorii ad caput & ſuperiora vergere ſolent.

XXII.

Partem adfectam conſtituit partim perioſtium, radicem dentium cingens: partim membrana nerveo-vaſculoſa, cavitatem dentium internam inveſtiens, partim etiam gingiva.

SCHOL.

In ſymptomatica odontalgia, ubi ſanguinis congeſtio illam producit, maxime patiuntur gingivæ, & perioſtium, alveolos maxillæ, dentisque radicem cingens, quando a ſanguine irruente vaſa infarciuntur, partesque membranaceæ tenduntur, premuntur: unde ægrotantes in hoc caſu difficulter dentem præciſe dolentem determinare poſſunt, ſed ordinarie dolorem per dimidium malæ, aut maxillæ ſentiunt diffuſum. In idiopathico vero affectu, qui eroſionem pro cauſa agnoſcit, & dentis carioſam corruptionem, modo radicis perioſtium, modo interior membrana nerveo-vaſculoſa, ſubjectum efficit ſpeciale, prout nempe caries ſpecialiſſimam dentis particulam, exteriorem aut interiorem occupavit.

XXIII.

Cauſam quod concernit materialem proximam odontalgiæ ſympathicæ, illa nulla alia eſt, niſi ſanguis.

SCHOL.

Hic enim ſub motibus congeſtoriis tam generatim ad capitis confinia, tam ſpeciatim ad maxillas dentesque compellitur, ſtagnationem format, & per partium ſenſibilium extenſionem præternaturalem dolores excitat.

Et cum hæc proximior cauſa, ab iisdem antecedentibus & remotioribus, quas ſub affectu præcedente mox recenſuimus, dependeat, atque in

in actum deducatur, illarum repetitioni merito supersedemus, cum ea, quæ ibi dicta sunt, facillimo negotio ad præsentem affectum adplicari queant.

XXIV.

Idiopathica odontalgia causa proxima materialis, est materia quædam acris, læsionem periostii aut membranæ nerveæ per modum vellicationis, aut erosionis producens.

SCHOL.

Hæc enim, quæcunque demum fuerit, particulis acidis aut salsis prædita, materiali contactu in fibrillas dictarum membranarum tenerrimas & sensibilissimas agit, ita ut sub leviore actu fibrillarum spasticas tractiones, sub graviore contactu unitatis solutionem, & utroque modo sensationem molestissimam cum ipsa dentis corruptione producat.

XXV.

Hæc causa aliquando est extrinseca.

SCHOL.

Accidit enim aliquando, ut personæ, dentium curam gerentes, præter opinionem acria corrosiva pro dentium dealbatione adhibeant, quæ, præsertim si liquida fuerint, ut spirit. salis aut vitrioli acidus, facile ad partes intimiores penetrant, iisque labem affricare possunt. Vel a ciborum reliquiis acrimoniæ tales dentibus atque gingivis adhærent, quæ successive corruptæ & acriores factæ molliorem gingivarum substantiam aggrediuntur, eoque ipso ad periostium devolvuntur, unde profundius ad dentes penetrando, horum quoque substantiam lædunt, & ad interiorem cavitatem, ejusque membranam nerveam, viam sibi parant.

XXVI.

Aliquando vero hæc causa intrinseca existit, & causam quoque antecedentem internam pro fundamento agnoscit.

SCHOL.

Quando nempe portio quædam, licet levior, humoris sanguineo-serosi in dictis membranis nerveo-vasculosis stasi subjecta, corruptionem patitur, ad salsam indolem inclinantem, & hæc substantia corrupta fibrosam solidarum partium compagem aggreditur, eundemque in ipsis affectum edit, quem altera ante nominata materia peccans producere apta est.

Hæc

Hæc ſtaſis ortum capere poteſt, vel ſub ſimplici & ordinario humorum per dictas partes motu, dum vaſculorum exilitas, humorumque aliquando occurrens minor fluxilitas, anſam ſuppeditare valent. Vel originem aliquando trahit à frequentius repetitis & recurrentibus ſanguineis congeſtionibus, ad has partes factis: ubi ſub impetu motuum congeſtoriorum, præſentibus reliquis cauſis, tanto facilius dictæ ſtaſes producuntur.

XXVII.

Neque minore jure hic accuſare licet hæreditariam diſpoſitionem.

Schol.

Quemadmodum enim plures alii affectus morboſi hæreditario jure in liberos transferuntur, ita non minus ſæpiſſime hæc odontalgia utriusque ordinis per hæreditatem in liberos transmigrare obſervatur. Sympathica quidem per motuum conſuetudinalium communicationem, potiſſimum a temperamento dependentem: idiopathica per peculiaris humorum diſcraſiæ acris aut ſalſæ translationem ad infantes.

XXVIII.

Occaſionales quoque occurrunt cauſæ, quæ, etiamſi cauſam proximam non producant, tamen effectum illius, i.e. dolorem, revocant aut exacerbant.

Schol.

Huc pertinet tam aër frigidus, quam cibi calidiores, & potus frigidiores, dulcia, & acida: quando enim horum alterutrum vel immediate per dentem carioſum, ejusque foramen apertum, ad membranam nerveam pertingit, fibrillæ ejus afficiuntur, motusque ſpaſticus in illis excitatur, quoniam nervoſæ partes minime omnium frigida, acria, & nimis calida perferre poſſunt: vel dente quoque nondum penitus perforato, carie ab intra incipiente, per ſubſtantiam ipſius corticalem quaſi tenuem frigoris, aut nimii caloris ſenſus penetrat, atque in membrana illa nervea motum tremulum concitat: id quod tanto promtius ſuccedit in perioſtio, quippe quod externarum cauſarum injuriis propius expoſitum exiſtit.

XXIX.

Quemadmodum omnes hactenus recensiti affectus capitis dolorosi ab iisdem essentialibus & materialibus causis oriuntur; ita tamen certissimum quoque est, quod respectu individualium circumstantiarum atque symptomatum certa causæ, tam occasionales, quam antecedentes, varie inter se differre possint.

SCHOL.

Ita enim v. g. in hemicrania causa doloris, unum latus semper præ altero occupantis, esse potest consuetudo prægressæ hæmorrhagiæ narium, ex alterutro narium latere, qua nunc suppressa, motus specialiter ad illum locum magis dirigitur, e quo olim excretio promtius jamjam successit. Nec deficit alio tempore alia plane causa externa & occasionalis, a perfrigeratione capitis in eodem latere, unde fibrarum pororumque stricturæ nascuntur, & transpiratio insensibilis impeditur, ad quorum incommodorum remotionem major nunc sanguinis quantitas adpellitur, quo fibræ iterum distendantur, pori aperiantur, & ita sanguis liberiorem inveniat transitum.

XXX.

Sic confert ad graduum doloris acerbitatem majorem, aut minorem, partim temperamentum, partim specialis partis specialiter adfectæ conditio, aut cum aliis vicinis connexio: partim individualis aliquando concurrens seri acrioris præsentia.

SCHOL.

Quo siccius enim temperamentum exiftit, eo rigidiores sunt fibræ, eoque majoræ afficiuntur sensu; sicut e contrario molliores & laxiores fibræ humidiorum temperamentorum minores quoque dolores patiuntur.

Et quo magis pars affecta est musculosa, eo minus a dolore afficitur, in comparatione ad nervosas membranosas.

Si autem aliquando in aliqua parte a restagnatione seri acrioris & salsi, per varias excretiones impeditas producta, hoc in motu suo sufflaminatum adhuc acrius temporis mora redditur, tunc utique non negandum est, quod acrimonia sua partibus nervosis, & nervoso-membranosis noceat, easque rodendo quoque afficiat, doloresque graviores efficiat.

E quo

E quo triplici fundamento graviſſimi exiſtunt dolores in ophtalmia, quoniam ipſius oculi ſtructura eſt maxime ſenſibilis membranoſo-nervea; præterea oculus proximam cum cerebro connexionem habet per nervos opticos, aliosque ad oculos excurrentes, nec minus tunicæ ſub lacrymarum excretione; earumque diſcraſia ſalſa vehementer ſæpius afficiuntur, ita ut ægri ſæpiſſime ſenſum illum rodentem, a ſalſedine ſpeciali dependentem, ſatis diſtincte declarare, atque ab aliis ſenſationibus moleſtis diſcernere valeant.

Vertigo.

XXXI.

Vertiginem vocamus ſenſationem illam in capite ſatis moleſtam, atque turbatam, quando ægri circumgyrationem quaſi, vel capitis, ſuique ipſius, vel objectorum, quæ vident, experiri credunt aut ſentiunt: quæ circumgyratio, modo brevior & levior, modo gravior, & diutius durans exiſtit: adeosque, ut aliquando ægri in terram concidant, aut ad ſedendum cogantur, neque erecti ſtare valeant.

XXXII.

Diſpeſcitur vertigo ordinarie in ſimpliciorem & ſcotomicam.

Schol.

Deſumpta eſt hæc vertiginis diſtinctio a gradu affectus diverſo, dum ſimplicior & levior dicitur, quando ſola objecta in gyrum agi videntur, vel in ipſo quidem capite tale quid obſervatur; manentibus tamen ſalvis reliquis ſenſibus externis & internis, & ipſe acceſſus brevi temporis ſpatio tranſit.

Ex oppoſito autem vertigo ſcotomica dicitur, quando ſub illo acceſſu vertiginoſo, ſenſus viſus præcipue ita ſimul turbatur, ut oculi cali-

caligine obducantur, daß es vor den Augen dunckel und schwartz wird: nec non sæpissime sensus auditus susurro atque tinnitu in auribus obruitur, imo cogitationes quadantenus pereunt; & cum sub hoc vertiginis gradu fere ordinarie ægri in terram concidant, ab hoc symptomate ipsi quoque nomen vertiginis caducæ imponitur.

XXXIII.

Porro vertigo solet distingui in idiopathicam, & symptomaticam.

SCHOL.

Idiopathica dicitur, quæ respectu sedis causarum, magis aut solitarie in capite & circa genus nervosum radicatur, ita ut hæ partes principaliter, sine concursu notabili aliarum, patiantur. Symptomaticam vero vocamus, si ab aliis partibus principaliter ægrotantibus, caput & genus nervosum saltem in consensum vocatur, & propter aliam partem patiuntur, ita ut hæc vertigo aliis affectibus superveniat, cum illis complicetur, & ut illorum symptoma, illis sublatis iterum cesset.

Neque de nihilo est hæc distinctio in medicina: usum enim habet suum; tam in prognosi, quam in ipsa cura.

XXXIV.

Nec minus vertigo dividitur in sanguineam & phlegmaticam.

SCHOL.

Respicit hæc distinctio potissimum causam proximam materialem, sive materiam peccantem, affectum hunc producentem: quatenus nempe sub congestione facta, vel purior sanguis in subjectis plethoricis, & temperamentis calidioribus: vel cum motu sanguinis, plus materiæ serosæ phlegmaticæ, apud temperamenta phlegmatica, aut subjecta similia, ad capitis confinia congeritur atque compellitur.

XXXV.

Subjectum generale pro causæ proximioris diversitate differt.

SCHOL.

SCHOL.

Ita enim sanguineæ vertigini subjiciuntur magis personæ juniores, temperamento sanguineo puriore, cholerico, melancholico, aut ex his mixto gaudent, atque plethoricæ, quippe quæ in genere ad congestiones pronæ existunt.

Phlegmaticæ autem magis subjecta sunt temperamenta phlegmatica, & de illo maxime participantia, quoad ætatem vero provectiores & senes: in quibus serosæ impuritates magis prævalent, generisque nervosi debilitas cæteroquin occurrit.

XXXVI.

Subjectum speciale constituit cerebrum, cum reliquo genere nervoso.

SCHOL.

Cum enim hæ partes sine dubio illud constituant organum, per quod principaliter sensus & motus absolvuntur, sane negari nequit, quod eædem hic patiantur, quando nempe ab humoribus, copiose huc congestis, in ambitu suo per vasa expansa, tensasque membranas premuntur, ut officio suo rite fungi nequeant: unde compressis ita organis sensationis primariis, motus per nervos celebrandi impediuntur, nec non ideæ perceptæ principio agenti, ordine haud justo & confuso communicantur.

XXXVII.

Causa vertiginis materialis vel sanguis est, vel serum.

SCHOL.

In vertigine nempe sanguinea, sanguis causam constituit materialem proximam, dum hujus congestione aut decubitu, sanguifera vasa infarciuntur, & suo infarctu membranas extendendo, cerebrum comprimunt.

In vertigine vero phlegmatica, una cum sanguine seri, in sanguine hærentis, contingit major ad caput congestio, qua facta, eadem compressio cerebri oritur, verum simul humiditate serosa partes fibrosæ valde relaxantur, ut de cubitibus ulterioribus serosis tanto facilius concedant locum: unde quoque fit, ut ab hac causa magis oriantur vertigines habituales & inveteratæ.

XXXVIII.

Causam antecedentem vertiginis sanguineæ constituit aliquando sanguinis spissitudo, aliquando ejusdem orgastica & expansoria commotio.

SCHOL.

Prius contingit in subjectis melancholicis, ubi sanguis spissior ad capitis confinia compulsus, per vasa capillaria tam promptum transitum non invenit, sed diutius illis inhæret, neque tam cito, quam par esset, regressum per venas invenire potest.

Posterius vero accidit in temperamento magis sanguineo, aut cholerico, præprimis si status plethoricus concurrat; & venæsectio negligatur: quippe quorum sanguis mobilis tenuis, atque particulis activis refertus existit, & a causis accessoriis, potibus v. g. spirituosis, motibus corporis exæstuatoriis, facile commovetur, atque orgastice expanditur.

XXXIX.

In vertigine phlegmatica tanquam causa antecedens agnosci potest, vel temperamentum phlegmaticum, vel ætas senilis.

SCHOL.

Illud nempe, quatenus in ipso humores serosi valde abundant ex naturali sanguinis crasi: hæc autem, quoniam in ætate senili negotium secretionum & excretionum debilius tardiusque, ex conditione fibrosarum partium procedit, ideoque impuritates mucidæ & serosæ in humoribus totoque corpore accumulantur.

XL.

Occasionales vertiginis cujuscunque causæ, pro diversitate circumstantiarum, possunt esse diversæ.

SCHOL.

Referimus ad hanc causarum classem, partim phantasiæ atque memoriæ extraordinarias fatigationes: unde literati, & ex his concionatores, qui sermones suos anxie memoriæ mandant, valdopere hoc malo vexantur: nec non juniores personæ satis frequenter in scholis ad idem malum disponuntur: partim ebrietatem, quæ ad orgasticam sanguinis commotionem

nem multum facit: partim ventriculi onerationem & prægravationem a cibis crudioribus ac dispeptis, quoniam prægravato ventriculo, nervi ipsius afficiuntur, & per horum consensum variæ circa principium nervorum excitantur motus pressorii & tractorii: partim quoque fumos exhalantes, sub respiratione attractos, ac vaporoso suo sulphure nervosum genus male afficientes, sanguinemque expandentes, quale quid aliquando accidit a vaporibus carbonum, nec non tabaci fumo: partim denique corporis voluntarias circumgyrationes, locorum præcipitium, aut aquarum vorticum adspectus, nec non læsiones in capite aliquando perpessas.

Tussis sicca juvenum ac plethoricorum.

XLI.

Non intelligimus sub hoc tussis siccæ titulo quamcunque tussim siccam, sed solum illam, quæ plethoricis junioribus personis, aut provectioris quoque ætatis subjectis (quæ tamen ex juventute prægressa illam reportarunt) solennis esse solet.

SCHOL.

Ordinarie hæc tussis observatur, quando narium hæmorrhagia cessante aut suppressa, statu tamen plethorico manente, molimina congestoria circa pectus magis subsistunt, nec amplius caput petunt; unde oppletivus nascitur infarctus, partim in musculis pectoralibus, quæ inde in suo motu debito sufflaminantur, partim in ipsis pulmonibus, unde vesiculæ pulmonales ita oppressæ sub respiratione, neque tantum aëris capere, neque aërem admissum commode diutius detinere possunt, sed ad motum elisorium incitantur.

XLII.

Subjecta itaque hujus tussis sunt præcipue juvenes plethorici, quibus hæmorrhagiæ narium prægressæ nunc emanserunt, & congestoria molimina circa pectus subsistunt: aut viri provectioris quidem ætatis, itidem plethorici, qui tamen principia hujus tussis jam in juventute experti sunt.

SCHOL.

SCHOL.

Viris enim alias in provectiore ætate secundum ordinem consuetum, tale quid haud facile obtingit, dum molimina sanguinis congestoria & excretoria tunc temporis magis jam ad inferiora vergunt: interim aliquando fit, ut talia subjecta plethorica in juventute tussim hanc experiantur, eique non ex legitimis pathologiæ principiis medeantur, & habitualem ejusmodi congestionem sanguinis ad pectus sibi concilient, quo facto per longum vitæ tractum talismodi tussim servant.

XLIII.

Subjectum speciale hujus tussis sunt partim ipsi pulmones, partim musculi pectorales.

SCHOL.

Illi quidem, quatenus sanguinem, sub respiratione copiosius ingruentem, recipiunt, ab illo infarciuntur, distenduntur, ut aërem neque tam libere intromittere, neque ad debitum tempus detinere queant, motuque tussiculoso concutiuntur. Hi, quando non minus sanguinis infarctum patientes, in motu suo libero atque consueto impediuntur, ideoque thoracem magis comprimunt, atque pulmonibus ipsis & diaphragmati, debitum spatium se libere movendi & expandendi denegant, eoque ipso ad motum excussorium tanto citiorem fortioremque contribuunt.

XLIV.

Causa hujus tussis proxima materialis est sanguis, tam intra pulmones, quam in musculis pectoralibus ultra modum restagnans, eorumque motum liberiorem, cum aëris liberiore ingressu & egressu, impediens.

XLV.

Ad antecedentes proximiores referimus plethoram, omnesque reliquas, quæ plethoram materialiter augere, aut orgastice commotam reddere possunt.

XLVI.

Remotiorum causarum titulum merentur tam hæmorrhagiæ

gia narium pregressa, nunc cessantes, quam V.S. omissa atque neglecta.

SCHOL.

Ab illis enim dependet consuetudo excretionis, & motus congestorii, cujus natura recordatur,novosque motus circa partem proximiorem suscipit, licet excretionis sinceræ finem neque positive intendat,neque obtineat.

Ab his autem plethora augmentum capit, præcipue si reliquæ causæ proximiores concurrant, causamque inpulsivam repetitarum commotionum constituit.

XLVII.

Occasionales causa esse possunt varia, qua vel orgasmum sanguinis excitare, vel motum ipsius specialiter ad pectus invitare possunt.

SCHOL.

Ad priorem classem pertinent potus spirituosi & inebriativi, nec non corporis motus exæstuatorii, a quibus vel particulæ sulphureæ agiles, in sanguine jam præsentes, in motum intestinum rapiuntur: vel novis accedentibus augentur.

Ad posteriorem referimus motus speciales, qui cum pectoris peculiari nisu suscipiuntur, & quibus in specie sanguinis major ad pectus decubitus invitatur: quorsum pertinent ponderum graviorum cum pectoris nisu elevationes & gestationes, cantationes, vociferationes, & instrumentorum musicorum, flatu dirigendorum, abusus.

Phthisis.

XLVIII.

Phthisis est pulmonum in sua substantia ulcerosa corruptio, sub ulcerata materia rejectione per tussim, consumtione totius corporis tabida, & febre hecticoidea sese manifestans.

SCHOL.

Consistit enim ipsius phthiseos verum formale sub initio quidem in dispositione pulmonum proxima ad ulcerationem, in majore autem ipsius progressu & perfectione, in actuali læsione continuitatis substantiæ

 pulmo-

pulmonalis ulceratoria, erosione sua successive latius serpente, pulmonumque substantiam depascente: id quod maxime testatur ipsius materiæ ulcerosæ partim per tussim rejectio, partim in thorace & pulmonibus post mortem phthisicorum, reperta præsentia.

XLIX.

Subjectum phthiseos generale constituunt utplurimum juvenes & adolescentes.

SCHOL.

Hippocrates phthiseos subjecta specialiter determinat, quod intra ætatis annum 18. & 35. occurrant. Ubi tamen sensus non est, quod alius ætatis personæ plane nunquam phthisi laborent, aut laborare possint; sed quamvis & juniores & seniores phthisici reperiantur, quod tamen hi non facile phthisici evadant ab illa congestionum internarum causa, sed potius ab aliis magis extraneis & occasionalibus; aut seniores ex ætate antecedente phthisin jamjam reportaverint, neque tam facile aut frequenter, quam dictæ ætatis personæ occurrant.

L.

Specialius subjectum phthiseos constituunt viri præ fœminis.

SCHOL.

Neque hic absolute sermo est, quod nullæ dentur fœminæ phthisicæ, sed docet nos quotidiana observatio, quod fœminæ phthisicæ longe rariores sint quoad numerum, in comparatione ad viros. Rationes hujus observationis si evictas quis desideret, illum ad dissertationem sub nostro præsidio habitam: de causis infrequentiæ phthiseos in sexu sequiore, remittimus.

LI.

Pars specialiter affecta alia non est quam pulmones.

SCHOL.

Comprehendimus hic totam pulmonum substantiam, cum autopsia multiplex nos doceat, vesiculas membranaceas, æque ac vascula sanguifera, & bronchiorum pulmonalium processus erodi, atque ulcerationi subjici, prout hoc non modo ex rejectione substantiæ parenchymaticæ sub tussi, sed etiam ex apertione phthisicorum defunctorum patescit.

LII.

LII.

Causa proxima & materialis hujus læsionis pulmonum in sua continuitate, est sanguinis in pulmonum parenchymate stagnantis, aut extravasati portio, in corruptionem salsam abiens, ac ulcerosam, acrimonia sua indies & per moram temporis pulmonum substantiam teneriorem aggrediens, erodens, & secum in corruptionem similem trahens.

SCHOL.

Notum quidem est ex iis, quæ alibi diximus, sanguinem extra motum fluxilitatis positum ac extravasatum, accedente præcipue calore, facillimo negotio in corruptionem putredinoso-sphacelosam, vel si res melius cedat, in apostematicam transire, prout in inflammationibus id satis frequenter videri licet. Quod autem hæc sanguinis stagnantis, aut subsistentis portio non in similem corruptionem ruat, sed in ulcerosam salsam, id dependet a materiali concursu humorum lymphatico-serosorum, qui in partibus membranaceis & glandulosis hic loci ordinarie secernuntur, ideoque facili negotio sanguineæ stasi sese immiscent, atque corruptionis motum fermentativo-putredinosum activum & agilem invertunt, infringunt, ac tardiorem reddunt, ita, ut materia sanguinea, cum seroso-lymphali permixta, proprie ulcerationis hujus causam proximam materialem constituat.

LIII.

Causa proximior antecedens est vel simplicior, vehemens tamen & pertinax, sanguinis congestio & diuturnior in pulmonibus detentio restagnatoria: vel actualis extravasatio, sub hæmoptyica excretione contingens.

SCHOL.

Sub illa enim partes membranaceæ distenduntur, relaxantur, & lymphatico-serosis decubitibus ansam majorem præbent: sub hac vero fit, ut cessante hæmoptysi, portio quædam sanguinis extravasati intra pulmones subsistat, & propter deficientem ulteriorem motum progressivum coaguletur, primamque ad corruptionem dispositionem subeat,

quæ per se ad inducendam læsionem pulmonis ulteriorem sufficere posset: præterea tamen ulterius sæpe augetur, si forsan novæ & repetitæ restrictoriæ congestiones e reliquo corpore ad pulmones, vel sub recrudescente hæmoptysi; vel sine hac ex consuetudine motuum, imo interdum sub intentione qualiscunque discussionis & resolutionis partis subsistentis accedant.

LIV.

Ut remotiorem causam antecedentem hic considerare possumus plethoram, vel physica mole peccantem, vel commotam, cum omnibus illis causis, quæ plethoram augere, fovere & commovere possunt.

SCHOL.

Plethora enim ut causa communis & continens congestionum & restagnationum est consideranda: ad reliquarum vero classem refertur diæta lauta, plena, cum vita otiosa, plethoram fovente; magis specialiter autem huc referre possumus ex diæteticis, potus vinosos, spirituosos, abusive assumptos, qui partim plethoram in genere commovere, partim majorem humoribus dicrasiam sulphureo-acrem contrahere solent.

LV.

Aliquando etiam tam adstringentium, quam expectorantium intempestivus usus, ad hanc causarum classem referri meretur.

SCHOL.

Priorum quidem in eo casu, ubi actualis hæmoptysis præcessit, & per ejusmodi remedia repente sedata fuit, quo fit, ut iidem portiones extravasatæ facile incarcerentur, coagulentur, & ad subeundam corruptelam disponantur.

Posteriorum vero, quando ex errore medico sub congestionibus sanguineis oppletoriis, & hinc subsequente tussi, sive sicca, sive humida, expectorantia diuturno usu adhibentur, quo fit, ut tonus partium fibroso-membranacearum relaxetur, debilitetur, decubitus humiditatis serosæ ad pulmones invitetur, ejusque corruptio salsa acris, his partibus maxime noxia, mora temporis inducatur, quæ postmodum exulcerationem dictarum partium producit.

LVI.

LVI.

Non minus huc pertinent excretionum sanguinearum pragressarum suppressiones: aut hareditaria dispositio.

SCHOL.

Ratione primi itaque in considerationem veniunt, in utroque sexu hæmorrhagiæ narium, præcipue si largiores, imo enormes fuerint, & postmodum penitus supprimantur, manente statu plethorico: in sequiore vero sexu negotium menstruum turbatum, quod aliquando regurgitationibus ad pectus, & excretioni hæmoptyicæ ansam præbet.

Dispositio tandem hæreditaria, partim in partium solidarum conformatione congenita, partim in simili cum parentibus dispositione ad motus consistens, multum hic quoque confert, si nempe reliquæ causæ proximiores accedant, ut tanto promtius atque facilius hæ in actum deducantur, aut noxios effectus edant.

LVII.

Ad occasionales causas maxime referimus potus frigidos, intempestive assumtos: motus corporis exagitatorios, pectorisque concussorios: ut & exhalationes corrosivas causticas, sub respiratione attractas.

SCHOL.

Nocent potus frigidi, post exagitationem & exæstuationem corporis vehementiorem assumti, præprimis glaciati, sanguinem & humores coagulando, stasesque repentinas excitando.

Motus corporis violentiores, tam sanguinis orgasmum concitando, quam eundem in pulmones vehementius, magis impellendo, quam transpellendo, aliquando sanitati adversantur: ante omnia autem ejusmodi motus huic adfectui favent, sub quibus pectus in specie afficitur: quorsum pertinent ponderum graviorum gestationes aut elevationes, pectoris contusiones, quibus vel vasculi cujusdam ruptura, extravasatio, & stasis humorum provocatur; vel ad minimum humorum decubitus invitatur: quo intuitu etiam considerationem meretur tussis violentior aut diuturnior, motu concussorio & expansorio pulmones ad majorem receptivitatem materiæ congestæ & allabentis disponens.

Exha-

Exhalationes corrosivas & caustieas quod attinet, aliquando contingit, ut vel a lithantracum fumo, vel in metallifodinis, aut laboratoriis chymicis, ejusmodi exhalationes cum respiratione attractæ, pulmones feriant, eorumque substantiam lædant.

Nec possumus, quin pulverum gypseorum partes per respirationem attractas hic accusemus; quippe quæ tunicas constringendo, stagnationes & stases hinc inde in pulmonibus excitant, eoque ipso dispositionem ad phthisin relinquunt.

Dolores nephritici spurii.

LVIII.

Dolores nephriticos spurios vocamus illos, qui sub specie dolorum tractoriorum, contusoriorum, spasticorum, intercurrentium quoque lancinatoriorum, in regione lumbari atque renali, transitorie quidem, sed frequentius recurrendo, sese exserunt; sæpeque a motu corporis flexorio, aut alio exacerbantur, & pro veris nephriticis aut calculosis, qui tamen non sunt, explicantur.

Schol.

Quemadmodum de congestionibus sanguineis completis, ad pectus fientibus, asseruimus, quod infrequentiores sint, ita ex opposito magis familiares sunt, sicut excretiones, ita quoque congestiones in abdominis regione, & circa ipsius viscera, tam venæ cavæ, quam venæ portæ, & quidem huic præcipue, contigua.

Si circa venæ cavæ viscera oriantur congestiones, respiciunt utplurimum negotium hæmorrhoidum externarum, cum autem hæ rarius ad perruptionem sinceram, propter loci excretionis inconvenientiam, perveniant, tanto promtius faciliusque succedunt regurgitationes congestoriæ & stagnatoriæ ad partes confines: unde tunc facillime patiuntur renes, qui variis affectibus molestis ex hoc fundamento subjiciuntur, & quidem hoc præcipue in principio congestionum, circa abdomen obtingentium, & a pectore successive descendentium, per simpliciores infarctus, partim in ipsis renibus, partim in musculis, iisdem proxime vicinis.

LIX.

LIX.

Subjectum horum dolorum constituunt personæ plethoricæ, ætatem utplurimum agentes virilem viridiorem.

Schol.

Circa hanc enim ætatem ordinarie sanguinis motus congestorii successive descendunt a pectore, versus inferiores partes, & ad venæ cavæ confinia: plethoricus autem status, materiam congestionis ipsam, faciliorem que congestoriorum motuum occasionem suppeditat.

LX.

Subjectum speciale horum dolorum constituunt partim renes, partim musculi vicini.

Schol.

Non equidem omni tempore utraque pars simul patitur, sed alterutra; si enim motus illi congestorii sanguinis profundius circa partes internas hæreant, tunc magis ab infarctu aut regurgitatione afficiuntur renes, si autem extrinsecus magis motus illi versentur, musculi etiam lumborum regionem occupantes, principaliter patiuntur: ita tamen, ut una pars alteram facili negotio in consensum trahat dolorum.

LXI.

Causam hic proximam materialem aliam haud agnoscimus, quam sanguinem circa renum confinia restagnantem atque congestum, sub intentione naturæ, excretionem hæmorrhoidalem forsan per externa vasa hæmorrhoidalia provocandi.

Schol.

Quod enim vasa hæmorrhoidalia externa connexionem aliquam habeant cum vena cava, atque visceribus eum hac connexis, nemo est, qui dubitat: si itaque motus ad vasa hæmorrhoidalia externa quidem tendant, excretio autem ob integumentorum densitatem procedere nequeat, facile major per venam cavam ad renes restagnare potest sanguinis copia, præcipue si forsan ex causis occasionalibus spasticæ tractiones supra renes præsto sint, ulteriorem promtum regressum impedientes.

Hinc

Hinc si molimina hæc congestoria vehementiora existant, diutius persistant, aut a causis occasionalibus specialius foveantur, ut ad petruptionem sanguineam hic perveniant, facile hinc ortum ducit mictus cruentus, de quo sub hæmorrhagiis locuti sumus, quando nempe a vasis hæmorrhoidalibus externis, exitum sanguini non concedentibus, sanguis ad venæ cavæ truncum, eique adjacentes emulgentes venas, renesque regurgitat, atque perruptionis locum invenit, ut per pelvim & uretheres ad vesicam defluere possit; vel quando in proxima vicinia, per illa vasa, quæ ab iliacis ad vesicam properant, atque cum hæmorrhoidalibus externis connexionem habent, sanguis ad vesicam retrocedit, aut transit, dicta vasa expandit, atque in vesicam proxime effunditur: quod tamen non ita familiariter contingit, propter densiorem vesicæ, præ renibus structuram, minoremque horum vasorum capacitatem.

Quod si vero hæc perruptio non succedat, congestiones tamen ad & circa renes sæpius repetantur, aut diutius continuentur, facili negotio hinc ortum capit nephritis simplex, vel levior infarctus inflammatorius, in exteriori quasi renum substantia hærens, variis quidem symptomatibus molestis stipatus, sed facilius cedens, & non ita prompte in corruptionem, sanguineis stasibus familiarem, proclivis, quamvis alia consectaria, non minus molesta, ac sæpius periculosa & sontica, haud raro post se relinquat.

Nephritis calculosa & calculus renalis.

LXII.

Nephritis, quam calculosam vocamus, non est morbus per se existens, sed symptoma, a calculo renali causatum.

Schol.

Quamquam enim nephritis simplex inter inflammationes locum suum habeat, & hoc respectu in pathologia æque ac in praxi separatim ut morbus considerari debeat, nihilominus tamen illa distinguitur a nephritide calculosa, eam ob rationem, quod hic calculus, aut sabulum calculosum, morbum primarium constituat, suaque præsentia dolores nephritico-inflammatorios excitet, & tanquam symptoma producat. Unde hic

hic loci nephritis nihil aliud eſt, quam inflammatio ſymptomatica cum dolore in rene alterutro, a calculo aut ſabulo calculoſo, intra ſubſtantiam renum hærente, cauſata atque excitata.

LXIII.

Calculus renalis eſt concretio ſubſtantiæ lymphatico-ſeroſæ cum ſalſo-pingui, in limoſam materiam, a pravia renum exulceratione leviore ortum ducens.

Schol.

Hæc materia limoſa, ſi in renibus per tempus notabile quieta manet, & humiditas ab illa ſecedit, ſucceſſive exſiccatur in ſubſtantiam friabilem, arenoſam, ſub ſabuli titulo ſæpiſſime cum urina prodeuntem. Quando autem diutius in renum cavitate perſiſtit, & ſucceſſu temporis, ſtillante ſemper illa materia mucido-lymphatica, per coacervationem quaſi cruſtarum aut lamellarum augmentum capit, his lamellis ſibi invicem adhærentibus & cohærentibus, majus concrementum inde emergit, quod demum calculi renalis nomen gerit.

LXIV.

Subjectum calculi renalis ordinarie ſunt viri præ fœminis, iique plethorici, ſanguinei, aut ſanguineo-cholerici.

Schol.

Non equidem aſſerimus, quaſi ſexus ſequior plane liber ſit a calculi renalis proventu, ſed infrequentiam ſaltem majorem indigitamus, & quidem ex iisdem fere cauſis & rationibus, quas circa phthiſin allegavimus: unde maxime evenit, quod fœminæ utplurimum tum demum nephriticæ & calculoſæ evadant, quando menſes ceſſare incipiunt; aut, ſi maturius ab hoc malo vexentur, diſpoſitio hæreditaria vel menſtrui fluxus errores ſubſint.

Temperamenta vero nominata quod attinet, illa præ reliquis partim ad ſtatum plethoricum inclinant, cauſamque remotiorem ſuppeditant: partim laxitate texturæ & ſtricturæ partium fibroſarum facilius ſtagnationes recipiunt, nec non ad motus congeſtorios ſuſcipiendum prona exiſtunt.

LXV.

Partem affectam, in qua calculus renalis generatur, constituunt renes.

SCHOL.

Quando enim congestio sanguinea ad renes, vel sæpe, vel diu, & pertinacius contingit, renum substantia facile dilatatur, expanditur, atque in tono suo debilitatur, unde simul tunc proficiscitur major faciliorque humorum quoque seroso-lymphaticorum ad has partes decubitus atque affluxus, quippe quorum ex parte secretioni renes sunt dicati: e quibus adparet, æque facile serosam stasin hic intra substantiam renalem contingere, eamque facillimo negotio in corruptionem salsam degenerare, quæ haud difficulter renalis substantiæ interioris læsionem superficiariam ulceratoriam producere apta est.

LXVI.

Causa materialis proxima calculi renalis est substantia lymphatico-serosa, cum substantia urinæ salino-pingui in concretum tale lapidosum concrescens, atque tophaceum tale magma formans.

SCHOL.

Facta enim superius dicto modo superficiali ulceratione in aliqua renis parte, perpetua ibi contingit transsudatio humoris lymphatico-serosi, cui accedit ex urina perpetuo secreta, salsedo pinguis, quæ cum illo coalescens, materiam limosam atque tenaciorem format, sub urinæ excretione frequentius sese exserentem, & tandem, dilabente humiditate aquea, friabile aut solidescens corpus formantem.

LXVII.

Causa antecedens proximior est ipsa in renibus facta læsio continuitatis, per ulcerationem leniorem inducta.

SCHOL.

Et hæc quidem ortum ducens a congestione ad renes, tam sanguinis, quam cum sanguine humoris lymphatico-serosi, e quorum stagnatione permixta corruptio salsa & ulcerascens ortum duxit.

LXVIII.

LXVIII.

Remotiorem & procatarcticam causam constituunt tam molimina hæmorrhoidalia, progressum non invenientia, quam hæmorrhoides alias consueta, nunc suppressæ.

SCHOL.

Prius quidem maxime contingit sub negotio hæmorrhoidum externarum, quippe quod ordinarie quasi in moliminibus sine successu consistit, unde tanto facilius sanguinis regurgitationes per venam cavam ad renes ortum ducunt, calculumque producunt. Alterum potius intelligendum est de hæmorrhoidibus internis, quando ante illarum proventum forsan calculosi insultus adfuerunt, per hæmorrhoidalem fluxum sedati, ab illarum suppressione vero iterum excitati.

LXIX.

Occasionales causæ, a diæta & regimine desumenda, sunt variæ.

SCHOL.

Referimus autem ad hanc classem 1. diætam, tam nimis calidam, atque vinosam lautam, orgasticis sanguinis commotionibus ansam præbentem, quam salinam nimis & dispeptam, cruditatibus mucidis & viscidis viam sternentem.

2. Motus corporis exæstuatorios universaliores, in specie autem renum succussatorios, per equitationes atque vecturas, quibus decubitus sanguinei magis ad renes invitantur, & contumaciores congestiones provocantur.

3. Medicationes improvidas atque intempestivas, per remedia calidiora lithontryptica & diuretica, interne & externe adplicata, quibus motus ejusmodi exagitatorii in specie ad & circa partes affectas invitantur.

4. Dispositionem hæreditariam, quibus omnibus ultimo loco adjungimus animi pathemata iracunda atque terrifica, non quidem eo respectu, quasi ad producendum calculum positive atque directe aliquid facerent, sed quatenus potius exacerbationi & recursui paroxysmorum calculosorum inserviunt ac favent.

Renum apoſtema & ulcus.

LXX.

Apoſtema aut abſceſſus renum eſt collectio materiæ purulentæ intra ſubſtantiam renalem, a ſtaſi ſanguinea, in corruptionem apoſtematicam abeunte, profundiore.

LXXI.

Ulcus renale eſt collectio materiæ ſanioſo-ulceroſæ intra renum ſubſtantiam, a ſtaſi feroſa-ſanguinea profundiore, in corruptionem ſalſam ulceroſam transgreſſa.

SCHOL.

Generaliter uterque affectus ab iisdem materialibus antecedentibus, nec non plurimis occaſionalibus cauſis, ortum ducit, a quibus antecedentem deduximus; ita ut particularum hic pathologiam repetere haud neceſſe ſit: interim tamen intercedit gradus differentiæ, ratione ipſius congeſtionis in ſe ſpectatæ: ſicut enim in calculo renali ſtaſin illam magis circa interiorem renum ſuperficiem, & in ſubſtantia medullari, ſuſpicari licet, quæ levem exulcerationem aut excoriationem quaſi poſt ſe trahit, ita in his affectibus in genere, profundiorem veramque ſtaſin humorum in ſubſtantia renum corticali ſupponere fas eſt, quæ corruptionis ſpeciem ſubit.

LXXII.

Quamvis generaliter eadem ſubſit utriusque affectus cauſa antecedens, nihilominus tamen ſpecifica affectuum differentia a cauſa ſpecialiſſima diverſa dependet.

SCHOL.

Ad apoſtema enim requiritur magis congeſtio purior ſanguinea, quæ prægreſſa inflammatione in abſceſſum tranſit, atque in materiam purulentam transmutatur, quæ vel diu intra membranas renum detinetur, vel interiorem perrumpendo ſub urinæ excretione ad veſicam deſcendit, & per illam ſimul excernitur.

Ex oppoſito ad ulceris veri formationem requiritur ſub illa ſtaſi anguinea acceſſus materiæ lymphatico feroſæ in largiore quantitate,

quæ

quæ salina sua indole aliam corruptionis speciem subit, dum activas alias atque sulphureas sanguinis particulas muciditate sua involvit, earum agilitatem invertit, ideoque corruptionem salsam prævalere facit, quæ tardius procedendo, substantiæ renali inimica existit, eamque erodendo ac successive depascendo aggreditur, idemque cum apostemate fatum habet, ut vel diutius intra membranas renales hæreat, vel exesa tandem interiore, ad pelvim & ureteres, & per hos ad vesicam delabatur, e qua sub urinæ emissione simul sub forma muci quasi tenacioris & saniosi excernitur.

Hæmorrhoides cœcæ.

LXXIII.

Hæmorrhoides cœcæ sunt intumescentia vasorum hæmorrhoidalium externorum, a sanguine in illis stagnante, ut vesicularum instar circa limbum intestini recti, turgeant, tumeant, & pro re nata doleant, imo inflammentur.

Schol.

Hæmorrhoides has cœcas ab externis vasis hæmorrhoidalibus dependere, testatur ipse adspectus, dum in ambitu externo intestini recti hærent, quorsum ultimæ in hac regione venæ cavæ propagines, ab iliacis internis provenientes, terminantur, atque sub illa tumescentia tanto facilius sedem suam diutius occupant, quo magis ab integumentorum externorum densitate, earum perruptio & sanguinis fluxus impeditur.

LXXIV.

Distinguuntur hæmorrhoides cœcæ in turgentes, & tumentes ac dolentes.

Schol.

Turgentes ex eo agnoscuntur, quando vascula, sanguine repleta, ab infarctu hoc quidem turgent, mollitiem tamen sub tactu monstrant, sanguine quasi livido per cuticulam ambientem transparente, nec dolorem intensum ac acerbum inducunt: cum ex opposito tumentes atque dolentes non modo infarctum, sed stasin sanguineam veram incarceratam pro fundamento habeant, verumque quasi furunculum majorem hic constituant,

tuant, cruciatus ſummos, cum inflammatione ac dolore pulſatili lancinnante ardente producant.

LXXV.

Subjecta affectus hujus moleſti ſunt utplurimum ætatis virilis perſonæ, plethoricæ, & viri præ fœminis.

SCHOL.

Ætatem quod concernit, quatenus huc conſpirat, fundamentum poſitum eſt in legibus naturalibus congeſtoriorum & excretoriorum motuum, de quibus alibi jam dictum eſt: quod autem ſexus nobilior magis ſit expoſitus huic affectui, id maxime dependet ab evacuationibus menſtruis, ſequiori ſexui familiaribus, & in nobiliore deficientibus. Interim tamen fœminæ aliquando etiam experiuntur hæmorrhoides cœcas, præcipue turgentes, in ſtatu gravido, a compreſſione vaſorum iliacorum, regreſſum ſanguinis impediente.

LXXVI.

Pars affecta ſunt venæ hæmorrhoidales externæ, ita tamen, ut ambiens cutis externa, anique ſphincter, in conſenſum trahantur doloris.

SCHOL.

Si enim congeſtorii motus tractu temporis atque annorum circa venam cavam deorſum magis tendant, aut ſuperiora non petant, neque propinquior, neque commodior ipſis ſuppetit locus, quam circa inteſtinum rectum, ejusque limbum exteriorem, in quo hæmorrhoidales venæ externæ terminantur, tanquam ultimæ venæ cavæ in hac regione propagines, ab iliacis internis provenientes.

LXXVII.

Cauſam materialem proximam conſtituit ſanguis in venis hæmorrhoidalibus, ſtagnans in turgentibus: ſtaſi autem vera correptus in tumentibus.

SCHOL.

Teſtatur enim de ſola reſtagnatione ſanguinis, tuberculorum mollities, faciliorque diſcuſſio cum minore dolore; quippe quæ conjunctim fluxilitatem ſanguinis indicant: ſicut ex oppoſito ſtaſin ipſam, tuberculorum

lorum durities, gravissimus dolor, & quidem pulsatilis, de transitu in suppurationem testans, declarant.

LXXVIII.

Causæ antecedentes generaliores, in moliminibus congestoriis, & restagnatoriis fundatæ, facile ex antecedentibus repeti & applicari possunt.

LXXIX.

Occasionales causas merito ponimus, partim in externo motu sanguinis ad hæc loca invitatorio, partim in vasorum iliacorum internorum compressione: partim denique in præpostera medicatione interna.

SCHOL.

Primum contingit per equitationes diuturnas, sæpius repetitas, aut super ephippia molesta, atque incommode fabrefacta celebratas, quibus hæ partes speciatim atteruntur, nec non in tono suo debilitantur, ut decubitibus tanto majorem locum concedant, qui tanto facilius procedunt ac succedunt, si forsan in superiore regione ex alia quacunque causa, vel spastica restrictio, vel passiva compressio vasorum, qualis a scybalis induratis oriri solet, concurrat.

Alterum præcipue evenit apud fœminas gravidas, quando imprimis sub ultimo gestationis tempore, a mole fœtus grandioris dicta vasa, æque ac ipsa vasa hæmorrhoidalia externa comprimuntur, eoque ipso sanguinis regressus sufflaminatur, ejusque redundantia ad vasa infima intestini producitur.

Tertium observare licet, post usum præposterum aut nimium remediorum aloëticorum aut crocatorum & elleborinorum, quippe quæ præcipue in statu plethorico, sanguinem partim generaliter turgefaciunt, partim magis specialiter quoque ad intestinum rectum promovent.

Malum hypochondriacum, & hystericum.

LXXX.

Malum hypochondriacum, & hystericum consistit in syndrome

drome motuum anomalorum sanguinis, circa systema venæ portæ variis restagnationibus, varia quoque multaque symptomata spastica & flatulenta pro diversitate partium affectarum, & subjectorum, secum ferente.

SCHOL.

Cum enim vena portæ situm suum habeat in abdomine, partibusque in hac cavitate contentis plurimis ac principalioribus vasa venosa largiatur, neque cum reliquo systemate venoso immediatum commercium habeat, quod ad promtiorem sanguinis progressum continuandum sufficeret, facili negotio ex variis restagnationibus & regurgitationibus ipsius, tot tantaque symptomata molesta, in abdomine & sub hypochondriis oriuntur, prout nempe una aut altera pars ibi contenta, præ altera patitur. Ita enim, si intestina magis feriat congestio, in universo abdomine sese exserunt spasticæ illæ motitationes, tractiones, flatulentiæ, colicæ passiones: si circa hepar magis hæreat congestio, hujus infarctus, dextrique hypochondrii expansio sequitur. Quodsi vero ad lienem regurgitet sanguis, facilius in sinistro hypochondrio sentiuntur molestiæ, id quod etiam in utroque latere evenit, si ex intestinis speciatim colon præ reliquis afficiatur.

Si altius adscendit congestio, circa ventriculum ejusque confinia, molesta sese exserunt symptomata, ibique flatulentia anoterica, spasticis torsionibus, pressionibus, tensionibus, nec ita raro ipso vomitu cruento sese manifestant. Ad intestinum rectum vero, aut uterum se extendens congestio sanguinea, nec promtum liberumque exitum inveniens, dolores tractorios, spasticos, rheumaticos, pressorios tensivos producit, in regione ossis sacri, intestini recti, aut pubis, & ex omnibus hisce circumstantiis satis demonstratur, fundamentum pathologicum omnium horum pathematum quærendum esse in nexu congestionum sanguinearum, circa venam portæ obviarum.

LXXXI.

Denominatio hujus adfectus desumta est partim a loco corporis, in quo ægrotantes potissima symptomata experiuntur molesta, partim a parte speciali, quæ vulgo in consensum trahi creditur.

SCHOL.

SCHOL.

Hypochondriaca enim paſſio dicitur, quoniam in hypochondriorum regione, ſub coſtis ſpuriis maximas tragœdias, ſpaſticis tractionibus, ac flatulentis colicisque pathematibus ludit, a viſceribus, ſub hypochondriis ſitum habentibus, potiſſimum afflictis.

Hyſterica autem paſſio vocatur, quoniam in ſexu ſequiore, uterus, græcis ὑϛέϱα, vel ὑϛέϱη dictus, una afficitur, atque in conſenſum trahitur, ita ut ab illius afflictione, reliqua pathemata vel excitentur, vel graviora reddantur: unde ſtrictiori nomine hypochondriacæ paſſionis titulum apud viros, hyſtericæ vero apud fœminas tuetur, quamquam de cætero eſſentialiter affectus ſit idem & unus.

LXXXII.

Subjecta hypochondriaci mali, *ſtrictiore termino ſumti,* 1 *viri ſunt præ fœminis, ſicut* hyſterici mali *ſubjecta ſolitarie fœminæ conſtituunt.* 2. *Reſpectu temperamentorum illæ maxime affliguntur perſonæ, quæ ad melancholicum inclinant, aut potiſſimum de illo participant,* 3. *Ratione ætatis tales maxime obſervantur perſonæ, huic malo ſubjectæ, quæ annum circiter vigeſimum, aut vigeſimum quintum agunt, ſimulque plethoricæ exiſtunt.*

SCHOL.

1. Primum aſſertum fundatum eſt in diſtinctione ſuperius ſuppeditata, & a parte ſpecialius affecta deſumta, magisque ad definitionem nominalem ſpectat.

2. Alterum, fundamentum ſuum habet in conditione partium fluidarum & ſolidarum, his temperamentis magis minusve familiari, progreſſum ſanguinis per hæc loca impeditiorem reddente, partim a materiæ movendæ ſpiſſitudine, partim a ſolidarum partium faciliore ſtrictura dependente.

3. Ultimum pro rationis fundamento ſupponit conſuetum naturæ ordinem, quo molimina congeſtoria & reſtagnatoria ſanguinis circa hæc tempora, magis magisque verſus abdomen vergunt, ideoque hiſce pathematibus prima principia largiri poſſunt. Ubi tamen, ratione fœmina-

minarum malique hysterici, non possumus, quin aliquam exceptionem addamus: quod nempe hæ, quamdiu mensium negotium apud illas viget, haud facile huic malo subjiciantur, sed tum demum ab illo vexentur, quando circa mensium cessationem versantur, eamve passæ sunt.

LXXXIII.

Subjectum speciale unicum & certum hujus adfectus determinari nequit, cum plures in abdomine situm habentes partes, aliquando conjunctim, aliquando seorsim adficiantur, pro diversitate motuum atque symptomatum præsentium, aut concurrentium.

Schol.

Fundamenti loco enim hic notandum est, quod vena portæ situm suum suamque distributionem habeat per totum mesenterium & mesocolon, ibique dividatur in truncum, ramos suos potissimum ad hepar exporrigentem, atque in illo innumeris ramificationibus sese explicantem, ante sui ingressum vero in hepar, partim venam gastricam dextram, partim duodenalem, & aliquando pancreaticam, emittentem: & in ramos duos, quorum dexter omnes intestinorum mesaraicas venas, cum epiploica dextra, & hæmorrhoidali interna; sinister vero. qui etiam splenicus vocatur, & lienem adit, tam gastricas, quam epiploicas varias, gastro-epiploicas, coronariam ventriculi, vasa brevia, & ordinarie pancreaticam, aliquando etiam extra ordinem, hæmorrhoidalem internam format atque constituit.

Ab hæmorrhoidali interna quoque proficiscuntur in sexu sequiori ramuli ad uterum, cum reliquis ipsius vasis sese miscentes. E qua venæ portæ distributione facile elucescit, variis in locis ac partibus ei contiguis, non modo congestiones restagnatorias, sed & perruptiones & excretiones sinceri sanguinis contingere posse: siquidem abhinc dependet excretio sanguinis sincera per ventriculum sub vomitu cruento, per vasa tam previa, quam reliqua gastrica, succedente: per intestinum rectum sub hæmorrhoidum internarum fluxu, & tandem per uterum, sub fluxu tam menstruo, quam lochiali.

Harum

Harum excretionum ultimæ tres ita comparatæ sunt, ut placide & ordinate, sine molestiis succedere, statumque ordinem in adsuetis servare possint, & soleant, nisi impedimentum aliquod vel ex humoris, vel ex viarum vitio intercedat. Si autem impedimentum tale in uno alterove subjecto occurrat, hasce excretiones per inferiora celebrandas, sufflaminans, cæteroquin tamen materia excernenda & evacuanda quantitate abundet, restagnatio & regurgitatio facili negotio ad superiora V. P. vasa contingit, eaque sanguine infarciuntur, & turgent, quod fit in intestinorum tractu & mesenterio, circa hepar, lienem, pancreas, atque ventriculum ipsum, vid. Schol. Th. LXXX.

LXXXIV.

Causam materialem & principaliorem molesti hujus affectus declaramus sanguinem, circa confinia venæ portæ stagnantem, hinc inde regurgitantem: minus principalem vero, primarum viarum cruditates, flatibus ansam præbentem, ita ut una harum causarum alteram facile in actum deducat.

Schol.

Sanguinem quod attinet, hic ille peccare potest, tam generali abundantia, a qua etiam horum vasorum infarctus atque repletio dependet, ipsius promptum progressum impediens: quam spissitudine, tanto magis progressum per hanc venam ejusque vasa exiliora sufflaminante.

Primarum viarum cruditates in tantum hic conspirant, ut non modo humoribus etiam plures ad spissitudinem disponentes particulas largiantur, sanguinemque magis impurum reddant; sed cum ex illis primario flatus ortum capiant, hi ventriculum & intestina expandunt, expansione partim symptomata molesta creant, partim vasa sanguifera, substantiæ intestinorum interspersa, comprimunt, sanguinis per illa motum impediunt, restagnationes ad partes vicinas causantur, & ad spasticas stricturas motionesque primam præbent occasionem.

LXXXV.

Causam antecedentem proximiorem quarere licet, in visceribus abdominis partim atonia, partim strictura.

SCHOL.

Respectu ventriculi & intestinorum enim ordinarie concurrit atonia, undecunque illa etiam orta fuerit; hac enim præsente, non modo ipsis flatibus locum, sed sanguini quoque, per vasa, illorum substantiam perreptantia, advenienti, liberius stagnandi spatium concedunt, unde vasa ipsa infarctum patiuntur, distenduntur, majusque sanguini spatium largiuntur. In liene non minus adest aliquando ejusmodi atonia & relaxatio, ita ut haud raro infletur atque turgescat.

Respectu reliquorum viscerum, hepatis puta, pancreatis, uteri, nec non ipsius quoque lienis, frequentissime occurrunt illorum constrictiones & angustationes præternaturales, quæ promptum sanguinis transitum impediunt, eumque ad regurgitandum versus intestina disponunt; unde in his reciproci spasmi oriuntur, qui iterum ad flatuum, si non productionem, tamen circumagitationem vagam atque molestam disponunt.

LXXXVI.

Ad remotiores antecedentes causas referimus 1. Temperamentum utplurimum melancholicum, aut de illo maxime participans. 2. Diata vitia. 3. Potuum defectum. 4. Praposteras aliquando commissas aliorum morborum pragressorum curationes.

SCHOL.

1. Melancholicum temperamentum præcipue, tam sanguinis spissitudine, quam fibrarum rigiditate laborat; cui succedit cholericum, si illi jungatur, cum ad motuum spasticorum exacerbationes sit admodum pronum.

2. Diætam hic potissimum in genere accusamus, ex parte plenam lautamque, plethoram foventem & augentem: ex parte etiam dispeptam & viscidam, crasin sanguinis & humorum invertentem, multasque impuritates, obstructionibus viscerum faventes, suppeditantem.

3. Spe

3. Specialiter magis hic ſymbolum confert potuum ſufficientium aut ſufficienter diluentium defectus, quo fluxilitas ſanguinis imminuitur.

4. Refertur huc merito præpoſterus adſtringentium abuſus, ſive illa adhibita ſint in curatione hæmorrhagiarum, ſive alvi profluviorum, ſive denique febrium, præcipue quartanæ, quippe quæ vaſa viſceraque conſtringunt, & coarctando ſanguinis progreſſum impediunt.

LXXXVII.

Ut occaſionales cauſas conſideramus, tam vitæ genus ſedentarium & ſpeculabundum, quam animi pathemata graviora.

Schol.

Illud enim vel ſimpliciter ſtatum plethoricum, vel per ſecretionum & excretionum ſufflaminationem, variarum heterogenearum partium augmentum fovet.

Hæc inter præcipue ira, mœror, ac terror ſunt nominandi. Sicut enim ira ad varias motuum exagitatoriorum anomalias producendas apta eſt, ita mœror ac terror præcipue ad reſtrictiones ſpaſticas, motuum præpoſteras remiſſiones & ſuppreſſiones, humorumque condenſationes, ac ſecretionum debitarum ſufflaminationes diſponunt, eoque ipſo varios viſcerum infarctus producunt.

Scirrhus hepatis atque lienis.

LXXXVIII.

Scirrhus horum viſcerum eſt tumor illorum induratus, ordinarie tactu etiam dignoſcendus, ab incarceratione, ſtaſi & exſiccatione humorum in ipſis ortus.

Schol.

Conjungimus, non ſine ratione, utriusque viſceris ſcirrhum in hac tractatione, quoniam eſſentialiter, neque ratione formalitatis, neque reſpectu cauſarum differunt, ſed differentia intercedens in ſola parte ſpecialiter affecta fundata eſt. Quod autem hic ſcirrhus tumor ſit, docemur ab intumeſcentia & elevatione non modo viſceris nominati, ſed ſimul

 ſuc-

successu temporis, hypochondriorum & regionis particularis, ubi viscus alterutrum situm habet, nec non ex ipsius duritie non modo continua, sed successive increbescente, quæ durities increbescens & permanens, sine permutatione in statum apostematicum aut ulcerosum, primarium & cardinale signum constituit scirrhi.

LXXXIX.

Distinguitur scirrhus in exquisitum, & non exquisitum.

SCHOL.

Desumitur hæc distinctio partim ab indole, partim a durationis tempore. Exquisitus enim, aut inveteratus ac indolens scirrhus ille dicitur, qui diuturniore temporis mora eo pervenit, ut materia incarcerata scirrhum producens, extra omnem motum localem posita sit; neque in parte adfecta motus tractorii, & hinc sensationes dolorificæ amplius percipiantur; cum ex opposito scirrhus non exquisitus, dolens, aut incipiens, ille audiat, qui adhuc magis in fieri constitutus est, & ubi, materia aliquatenus adhuc mobili existente, motus in parte adflicta adhuc sentiuntur intercurrentes, & ab illis dependentes puncturæ aut dolores per vices recurrentes, sub quo statu durities quoque quoad gradum minor observatur.

XC.

Porro scirrhus distinguitur in sanguineum & phlegmaticum.

SCHOL.

Hæc distinctio a causæ materialis diversitate desumta, potissimum fundamentum habet in diversitate temperamenti subjectorum, secundum quam vel sanguis purior stasi correptus ac incarceratus scirrhum sanguineum, materia serosa mucida autem sanguini præpollenter admixta, phlegmaticum scirrhum producit. Id quod etiam majore jure adplicari potest ad hepatis scirrhum, præ scirrho lienis: cum notissimum sit, hepar, tanquam organum secretionis ac depurationis lymphatico-serosis quoque stasibus subjici posse.

XCI.

Subjecta scirrbi horum viscerum utplurimum sunt tempe-

ramen-

ramenti melancbolico-cbolerici, melancbolico-sanguinei, melancbolico phlegmatici aut purioris melancbolici, & phlegmatici personæ, quoad ætatem tamen diversæ.

SCHOL.

In omnibus enim hisce temperamentis ex naturali dispositione sanguis vel spissitudine notabili, vel mucescentia laborat, eoque ipso ad stases facilius subeundas dispositus existit: nec minus partes solidæ vel ad stricturas spasticas inclinant, tantoque facilius data occasione, humorum incarcerationibus patrocinantur, vel atonia aliqua decubitibus humorum favent.

XCII.

Subjectum speciale est vel hepar, vel lien.

SCHOL.

Prout nempe alterutrum horum viscerum affligitur; ita tamen, ut vel totum viscus scirrhosa induratione obsideatur, vel aliquando saltem quoad partem ab illa occupetur.

XCIII.

Causam materialem proximam constituit, pro diversitate scirrhi, vel sanguis purior, vel humor lymphatico-serosus sanguini quidem permixtus, sed in illa mixtione præpollens.

SCHOL.

Ille quidem in scirrho sanguineo: hic autem in phlegmatico. Portio nempe dictorum humorum in modo dictis visceribus stasi correpta, & extra mobilitatis sphæram posita, spissior tamen, & agilioribus particulis orbata, successive portionem tenuioris seri, hactenus ipsius fluxilitatem conservantis, amittens, ideoque ad siccitatem quasi deveniens, sanguinique succedenti transitus viam præcludens, tractu temporis eundem ad similia fata trahit, unde tumor horum viscerum successive increbescit, augescit & indurescit.

XCIV.

Causam antecedentem proximiorem partim constituit humorum congestio, partim visceris specialiter affecti specialis conditio.

SCHOL.

SCHOL.

Congeſtio in culpa eſt, dum ſanguis, & cum ſanguine aliquando materia quoque lymphalis aut ſeroſa a partibus vicinis, motibus, quam par eſt, fortioribus ad viſcus adpellitur, & impetuoſius intruditur, copiaque illud obruit, quæ non adeo prompte tranſitum invenire poteſt liberiorem.

Viſceris conditio duplici modo peccare poteſt: alio enim reſpectu in cauſa eſſe poteſt conſtrictio in viſcere ſpaſtica particularis, tranſitus viam præcludens, & portionem aliquam ſanguinis incarcerans: alio vero reſpectu & tempore, nimia quoque atonia, decubitui januam pandens, ab infarctibus prægreſſis longinquioribus ortum ducens.

XCV.

Ad cauſas remotiores antecedentes referimus temperamenta, Th. XCI. nominata: ſtatum plethoricum: diætam quantitate aut qualitate vitiatam: & vitæ genus ſedentarium.

SCHOL.

De temperamentis ſuperius jam dedimus rationes: plethora generaliori reſpectu ut cauſa congeſtionum, reſtagnationum, ſtaſium eſt conſideranda, dum proportionem vaſorum atque viarum, imo motuum ſuperat, & ad diſcraſiam humores conſequenter diſponit.

Diæta peccat tam plena, ſtatum plethoricum augens, quam craſſa, viſcida, & minus humida, ſanguinem ad muceſcentiam, lentorem aut ſpiſſitudinem diſponens.

Vitam denique ſedentariam accuſamus, quatenus vel in genere debitarum ſecretionum & excretionum ſufflaminationibus favens, impuritatum variarum collectionem in humoribus accelerat, & materiam obſtructionum ſuppeditat: vel in ſpecie hypochondriorum compreſſione in dictis viſceribus, ſitum hic ſuum habentibus, coarctationem, motusque humorum localis impedimentum cauſatur.

CXVI.

XCVI.

Ad causas occasionales referimus 1. praegressas aliquando, & quidem pertinaciores haemorrhoidum aut mensium anomalias 2. Praeposteras variorum morborum tractationes medicas. 3. Animi pathemata vehementiora: & 4. refrigerationes vehementes ac repentinas.

SCHOL.

1. Ab hæmorrhoidum & mensium anomaliis variis modis motus regurgitatorii sanguinis & partium solidarum spastici, versus hæc viscera tendentes, facili negotio ortum capiunt, propter connexionem, quam habent cum systemate venæ portæ.

2. Ad hosce morbos præ reliquis referimus febres & hæmorrhagias, nec non aliquando diarrhœas, quando plane ἀμεθόδως per adstringentia studiose supprimuntur: quorsum etiam pertinet hæmorrhoidum aut mensium per esculentorum adstringentium, ex errore diætetico admissorum, suppressiones.

3. Ex animi pathematibus iram, terrorem atque mœrorem hic accusamus, præcipue si repente, vehementer, aut diutius individua affecerint, quippe quæ ex parte motus anomalos, ex parte positive restrictorios, aut humorum spissitudines, partiumque atoniam producunt.

4. Refrigerationes vehementiores ac repentinæ in causa sunt, tam intrinsecæ, quando post corporis vehementiores exæstuationes, potus frigidi aut glaciati ingurgitantur, quam externæ, præsertim violentæ, ac repentinæ, si præcipue in ipsis dictorum viscerum regionibus contigerint, id quod aliquando fit sub hæmorrhagiis paulo largioribus, per applicationem lintéorum, aqua frigida madidorum, ad regionem hepatis aut lienis: utræque enim stricturas spasticas particulares in dictis visceribus, & humorum incarcerationes promptissime producere valent.

CAPUT VIII.

DE INFLAMMATIONIBUS.

I.

Omnis inflammatio, in se spectata, est actus naturæ salutaris, vel in finem salutarem a natura susceptus, consistens in motu sanguinis auctiore particulari congestorio ad certam aliquam corporis partem, pro alia sanguinis portione ibi subsistente, dispellenda: tumorem, ardorem, ruborem, ac doloris sensum in parte adfecta producens.

SCHOL.

Agnoscimus itaque hic naturam providam, tanquam causam efficientem, quæ conservationi corporis studens, pro avertendo majore, eoque funestissimo malo, hunc actum suscipit; eumque in finem, motus partium vicinarum, aut remotiorum tonicos, tanquam instrumentalem causam, versus staseos locum dirigit, ut facta illa stasis, si fieri potest, promte iterum dissolvatur, & cum reliquo sanguine transfluo & præterfluo, iterum in motum fluoris abripiatur, eoque ipso corruptio hujus portionis, & reliquarum partium, putredinosa ac sphacelosa avertatur.

Quod, si ita fit, actus salutariter, & omnium optime cedentis testimonium est: sin minus, inflammatio tota vel in corruptionem ruit gangrænoidem & sphacelosam infelici maxime eventu, vel dispersis, sub illo actu inflammatorio, particulis summe agilibus, atque sulphureis tenerioribus, transmutationi staseos incarceratæ inservit, in materiam vel apostematicam purulentam, vel ulcerascentem saniosam, prout ipsam stasin, vel purior sanguis, vel lympha seroque permixtus, pro partium diversitate constituerat.

II.

Inflammationes dividuntur in externas & internas.

SCHOL.

Externas vocamus, quæ in exterioribus corporis partibus occurrunt

runt, ac ſenſui viſus & tactus ſeſe ſiſtunt, ſignisque hinc deſumtis externis, præcipue tumore & rubore partis adfectæ, dignoſcuntur.

Internæ vero dicuntur, quarum ſedes eſt in partibus internis ac nobilioribus, quæ utplurimum febrem comitem habent continuam, ſenſumque tactus ſolummodo, & quidem ſolius ægri incurrunt, atque per hujus confeſſionem, ſine adſpectu partis, ad Medici cognitionem perveniunt.

III.

Subjecta inflammationum generalia conſtituunt præ aliis corpora plethorica, quippe quæ præ reliquis ad illas ſunt diſpoſita, idque tanto magis, quo magis ſimul ſunt ſpongioſa, & quoad texturam laxiora.

SCHOL.

Ubi enim plethora deficit, ibi quoque deficit principalis congeſtionis materia, & ubi fibræ habitus corporis rigidiores ſtrictioresque exiſtunt, ibi congeſtiones tales felicius faciliusque diſpelluntur, nec infarctui tam facilis conceditur locus, excepto caſu, ſi cauſæ externæ ac violentæ concurrant; cum e contrario, laxiore exiſtente corporis habitu, majori infarctui locus præbeatur, & ob toni ſufficientis defectum, tranſitus & reditus ſanguinis per partes ſpongioſas impediatur, ideoque facilius ſanguinis actualis ſtaſis inducatur.

IV.

Speciale inflammationis ſubjectum exiſtunt partes noſtri corporis ſolidæ quidem, ſed molles.

SCHOL.

Quamquam omnes dictæ partes ſolidæ & molles inflammationibus ſubjici poſſint, nihilominus tamen differentia manet inter partes reſpectu frequentiæ; præ omnibus aliis enim illæ inflammationes patiuntur, quibus partium ſanguinearum, & parenchymaticarum titulus competit: quas in ordine ſequuntur, membranoſæ, glanduloſæ, in comparatione ad illas, exſangues dictæ.

V.

Cauſam inflammationum materialem proximiorem ſi perſcrutemur, alia erit antecedens, alia vero continens; eſſentia-

liter quidem inter se convenientes, certo tamen respectu ab invicem distincta.

SCHOL.

Antecedens inflammationis causa materialis, eaque proxima, est sanguis, non vero quoad totam sui massam considerandus, sed quatenus in aliqua corporis parte in portione majore aut minore, stasi corripitur, & extra omnem motum progressivum positus existit; quam stasin proxime excipit coagulatio, ut inde hæc causa dici mereatur sanguinis coagulati, stasique vera correpti portio, ubicunque demum illa in corporis dictis partibus hæreat.

Continens vero ipsius inflammationis tanquam antecedentis staseos consectarii, materialis causa, itidem existit sanguis, non vero ille, de quo hactenus diximus, sed sanguis floridus fluidusque, qui sub motu congestorio auctiore ad partem, in qua stasis hæret, & ad stasin ipsam pro illi dissolvenda copiose adpellitur, motuque suo impetuosiore tumorem, ruborem, ardorem, sensumque molestum dolorificum per vasorum fibrarumque extraordinariam distensionem producit.

VI.

Causa paulo remotior antecedens est sanguinis extravasatio, aut ad minimum impetuosus, motusque ordinarii proportionem excedens impulsus atque infarctus.

SCHOL.

Abhinc enim vel immediate & statim sanguinis stasis plenaria sequitur: vel partes fibrosæ ita relaxantur & distenduntur, ut amisso debito atque legitimo tono, sanguini transpellendo haud sufficiant, ideoque infarctus successive in plenariam abeat stasin.

VII.

Magis remotam causam constituit ex internarum classe, vel plethora, vel sanguinis discrasia, tam sulphureo-salina, quam spissa.

SCHOL.

Illa enim sub quantitatis excessu, promptissimam congestionum, stagnationum, & stasium materiam suppeditat: hæc ad expansiones orga-

orgasticas, commotiones intestinas, causam materialem præbet. Cujus utriusque causæ originem deinde facili negotio, ex diæta plena, lauta, spirituosa, acriore aromatica, & reliquis rebus non-naturalibus, deducere licet: Spissior autem sanguis, qua talis, longe facilius stasi subjicitur, quam floridus & fluidus.

VIII.

Externæ & occasionales causæ pro circumstantiarum diversitate, variæ esse possunt atque diversæ.

Schol.

Ita enim per violentiam externam viam stasi sternere solent contusiones, & partium conquassationes, vasorum lacerationes, a vulnere, lapsu, nisu fortiore.

Refrigerationes quoque repentinæ ac vehementes, & hinc factæ vel restrictiones, vel coagulationes sanguinis, quale quid tam a perfrigerio corporis universaliore, post ejus prægressam exæstuationem, quam a potibus frigidis avide ingurgitatis contingere potest.

Neque ab hac causarum classe excludendæ sunt adstrictiones, & humorum metastases, ab ignobilioribus ad nobiliores partes, id quod aliquando accidit a febribus, per adstringentia suppressis, & podagræ aut arthritidis, per externa repellentia præpostera curatione.

IX.

Causæ hactenus recensitæ adeo universales sunt, ut pro re nata, ad singulas inflammationum species commode applicari queant.

Schol.

Nulla enim inflammatio sane occurrit in foro medico, ad cujus genesin vel omnes, vel aliquæ, vel plurimæ, non concurrant, mutato saltem aliquando ordine, præsertim causarum occasionalium. Si itaque singulas inflammationum species perpendere velimus, præter ea, quæ dicta sunt, fere nihil, nisi subjectum speciale considerandum remanebit, cum causarum occasionalium ordine aliquando mutato.

 X. Satis

X.

Satis frequenter inflammationes comitem habent febrem.

SCHOL.

Notandum enim est, quod motus illi sanguinis congestorii, propter stases dissolutionem suscepti, non semper particulares maneant, sed in universam massam sanguineam diffundantur, inque illa tam intestinum, quam progressivum motum auctiorem producant, pulsusque frequentiam & celeritatem causentur, qui commotionis status febris vocatur, & aliquando externis inflammationibus ordinarie ita familiaris existit, ut ad essentiam quasi illarum pertineat, signumque diagnosticum inflammationum internarum constituat.

Externarum partium inflammationes.

Erysipelas & phlegmone.

XI.

Erysipelas & phlegmone est inflammatio externa & superficialis in cute, cum rubore, ardore, & tumore aliquali se exserens.

SCHOL.

Levior est hæc inflammatio, inter externas inflammationes, quoniam sola cutis externa afficitur, & stasis sanguinea haud profundior existit: unde etiam tumor partis levior est, licet rubor & ardor magis sensibiles esse possint.

XII.

Differentia inter erysipelas & phlegmonem non est essentialis.

SCHOL.

Notandum enim hic est, hanc differentiam dependere ab aliquali causæ materialis continentis discrimine, quod utplurimum a temperamento dependet: In erysipelate enim hanc causam constituit purior copiosiorque sanguis, qui etiam majorem, atque diffusiorem ruborem in cute post se trahit. In phlegmone autem major humoris serosi aut phlegmatici admixtio concurrit, quæ partim ruborem, erysipelati familiarem, magis

magis diluit, fibrasque cutaneas magis emolliendo & relaxando, tumorem pallidiorem, & ad oedemata quasi accedentem, efficit. Quamobrem hæc erysipelatis species, temperamento phlegmatico, & de hoc potissimum participantibus quasi, proprie familiaris existit.

XIII.

Subjectum generale constituere possunt cujuscunque conditionis personæ, si modo causæ occasionales accedant, præ reliquis tamen illæ, quæ habitu corporis laxiori gaudent.

SCHOL.

Laxior enim habitus corporis aptior existit, pro formandis stasibus, quoniam fibræ molliores & laxiores facilius infarctui cedunt, nec minus sub reliquo inflammationis actu via transgredienti sanguini patet: quamvis de cætero reliqua temperamenta non penitus excludantur, verum in comparatione non ita facile hisce affectibus subjiciantur.

XIV.

Subjectum speciale existit cutis extremi corporis.

SCHOL.

Hinc occupant hæ inflammationes varia externi corporis loca, non æque simul affectis partibus substratis musculosis aut glandulosis, & superficiales, non vero profundius hærentes, observantur.

XV.

Causa occasionalis externa ordinarie esse solet, vel repentinus terror, vel refrigeratio externa.

SCHOL.

Utraque enim hæc causa constrictionem cutis repentinam inducit, eoque ipso sanguinis a centro adpulsi portiunculam facile incarcerare, & quod priorem attinet, coagulare potest, stasinque veram, tanquam erysipelatis antecedentem causam producere, quam tum reliquæ in ordine sequuntur.

Angina.

XVI.

Angina est inflammatio faucium & linguæ sub illarum dolore,

lore, tumore, ardore, rubore, cum difficultate deglutiendi & respirandi se exserens, a stasi sanguinea orta; utplurimum febrem conjunctam habens.

SCHOL.

De hoc affectu notandum est, quod aliquando per se existat, morbumque idiopathicum constituat, ita ut febris, quæ ipsi jungitur, sit symptomatica: aliquando autem ut symptoma occurrat febrium acutarum, malignarum, & exanthematicarum, ita ut febris morbum, angina vero symptoma constituat.

XVII.

Subjectum speciale hujus inflammationis est faucium peristroma molle & laxum, una cum lingua & musculis, hanc constituentibus.

SCHOL.

Hinc fit, ut partibus his conjunctim a stasi sanguinea facta, & succedente sanguinis congestione expansis ac tumidis, non modo via deglutitionis & respirationis angustetur, sed ipsæ dictæ partes simul ultra modum tumeant, rubeant, doleantque, donec stasi resoluta, ad pristinum deveniant statum.

XVIII.

Causas quod concernit, præter generaliores huc adplicandas, speciatim in considerationem veniunt 1. Hæmorrhagiæ narium prægressæ, nunc suppressæ. 2. Invitationes sanguinis, ad has partes specialiter factæ. 3. Refrigerationes externæ.

SCHOL.

Studiose omittimus repetitionem omnium causarum, quoniam ut generaliores facili negotio ex antecedentibus huc transferri possunt. Specialiores vero, quod concernit, hæmorrhagiæ narium, si pertinacius supprimantur, aliquando occasionem huic affectui præbent, dum molimina consueta excretoria a natura repetuntur, ubi via excretionis ordinaria præclusa, sanguis ad partes vicinas regurgitat, ibique stasin inflammatoriam format.

2. Motus

2. Motus quoque sanguinis specialissime ad linguam & fauces sæpius invitantur, per sectionem venarum sublingualium sive raninarum, minus tempestive institutam, aut ex consuetudine repetitam; quo sane frequentius peccatur, præsertim a chirurgis, citra necessitatem & indicationem sufficientem hoc genus remedii suadentibus.

3. Refrigerationes externæ repentinæ totius corporis antea exæstuati, sub reliquis circumstantiis concurrentibus & conspirantibus, per modum restrictionis spasticæ ab una parte ad aliam sanguinem huc adpellere possunt, nec minus sanguinem ad faciliorem coagulationem disponere.

Synanche.

XIX.

Synanche, vel cynanche, est inflammatio in collo externo, ejusque musculis anticis, laryngi proximioribus obtingens, per signa externa difficulter dignoscibilis, summum suffocationis metum incutiens, a stasi sanguinea artum trahens.

Schol.

Dicitur hic affectus a Medicis cynanche, potissimum a symptomate urgente, quod nempe ægri, affectu ingravescente, ad tantam perveniant respirationis difficultatem atque angustiam, ut canum instar, ore aperto ac patulo hient, aëremque trahant; cum sub inflammatione, & utplurimum formato abscessu larynx ita angustetur, ut aër modo solito illam penetrare difficillime queat.

XX.

Subjectum speciale hujus inflammationis constituunt musculi, in collo anteriore reperibiles, laryngi vicini, nec non aliquando musculi ipsi laryngi proprii.

Schol.

Hinc illi maxime musculi in considerationem veniunt, qui ad motum ossis hyoidis pertinent, sub titulo sterno-hyoideorum, respectu laryngis autem sterno-thyroidei, thyro-arithenoidei, imo & reliqui intra cartilagines laryngis positi. Ad hos enim musculos sat multi ramuli arte-

arterioſi & venoſi, a carotidibus exſurgentes, & ad jugulares recurrentes, excurrunt, per quos ſanguinis affluxus & refluxus contingit; quod ſi itaque hic ex cauſis occaſionalibus circulus impediatur, ſtaſis quoque oriatur, facili negotio inflammatio oritur, tanto magis moleſta ac periculoſa, quo minus præſentiæ ſuæ ſigna apodictica in principio declarat, easque partes afficit, quæ reſpirationi immediate dicatæ exiſtunt.

XXI.

Præter cauſas inflammationum generaliores, hic maxime occaſionalium proximarum titulum merentur, extraordinariæ corporis exæſtuationes, & ſubſequens particularis partis adfectæ refrigeratio repentina ac vehemens.

SCHOL.

Sicut enim ſub exæſtuationibus corporis ſanguis velociori motu per totum corpus transpellitur, ita etiam dictæ colli partes idem experiuntur fatum, ut facile ſit, quod muſculi ſuperius nominati, infarctum patiantur a ſanguine, impetuoſius ingruente, qui tamen facile iterum cedit, ſi dictæ partes debito foveantur calore: quodſi autem, rebus ſic ſtantibus, collum externo aëri frigido ſpeciatim exponatur, facili quoque negotio per ſtricturam incarceratio humorum ſuccedit, ſanguis ad coagulationem diſponitur, & vera ſtaſis inflammatoria oritur.

Tonſillarum inflammatio.

XXII.

Tonſillarum inflammatio dicitur, quando tonſillæ, in faucibus conſpicuæ, citra concurſum aliarum vicinarum partium, & quidem vel ambæ, vel alterutra, tumore, rubore, ardore ac dolore afficiuntur, ac deglutitionem difficiliorem reddunt.

XXIII.

Subjectum ſpeciale hujus inflammationis conſtituunt tonſillæ.

SCHOL.

Sicut in angina univerſæ fauces ſubjectum morbi conſtituunt, ita parti-

particulari etiam inflammationi subjiciuntur tonsillæ, in quarum alterutra, vel utraque, stasis inflammatoria aliquando oritur.

XXIV.

Causæ occasionales proximæ sunt utplurimum, vel refrigerationes colli externæ, vel humorum translationes aliunde factæ.

SCHOL.

Hinc eædem aliquando in causa sunt exæstuationes corporis, cum insequentibus perfrigerationibus colli. Neque deficiunt casus, quod vel a narium hæmorrhagia suppressâ, vel a coryza suppressa, decubitus humorum contingat ad tonsillas, ibique stasin formet, qui tanto facilius succedit, si repetitis vicibus in consuetudinem abeat, aut a dispositione hæreditaria simul dependeat.

Internæ inflammationes. Phrenitis ac paraphrenitis.

XXV.

Phrenitis & paraphrenitis est delirium cum febre continua, summoque capitis dolore, continuum atque perpetuum, inflammatoriæ febri superveniens.

SCHOL.

Solet equidem asseri, quod phrenitis ac paraphrenitis sit inflammatio, vel cerebri & meningum, vel diaphragmatis, cum delirio juncta: cum autem multiplices observationes testentur, multos hoc affectu defunctos post mortem dissectos, nullum vestigium dictarum inflammationum præbuisse, melius esse putamus, statuere, his nominibus omne delirium perpetuum ac grave indicari, quod inflammationibus partium nobilissimarum internarum, de nervoso genere potissimum participantium, supervenire solet.

XXVI.

Differentia inter phrenitidem & paraphrenitidem a Medicis facta, non est essentialis, sed accidentalis, a quibusdam sym-

ſymptomatibus accedentibus deſumta; a quibus perperam hypotheſis formata eſt de diverſa inflammationis ſpecie.

SCHOL.

Sicut enim phrenitidis præſentiam indicant furioſitas inſignis, ſub intenſiſſima febre inflammatoria, cum capitis doloribus continuis atque immanibus, ad perpetuam contrectationem, imo crinium evulſionem ægros urgentibus, arteriarum temporalium turgeſcentia, faciei colore livido, rubeo, vaſorum ſanguiferorum in oculis rubore, reſpiratione anxia & interrupta, urina rutila ac flammea; ita paraphrenitis præter omnia modo dicta ſymptomata, utrique communia, ſimul conjunctam habere debet cardialgiam, aut vomitum ac ſingultum, vel ad minimum præcordiorum anxietates notabiles, & eructationes ſingultuoſas, & ſemiconvulſivas, ſub ciborum potuumve, præſertim frigidulorum, deglutitione. Quæ ultima tamen ſymptomata ita comparata ſunt, ut inflammationibus quoque ventriculi, imo pulmonum aliquando, ſint familiaria.

XXVII.

Subjectum ſpeciale ac determinatum inflammationis, perperam vulgo creditur ſolitarie cerebrum cum meningibus, & diaphragma.

SCHOL.

Cum enim variorum authorum obſervationes teſtentur, phreniticos & paraphreniticos, poſt mortem apertos, nullum plane ſignum inflammationis in dictis partibus obtuliſſe, quamquam neque in contrarium deficiant caſus, præſentiam inflammationis ibidem repertæ confirmantes, quemadmodum utriusque rei teſtimonia legere licet in Bonneti ſepulchreto anatomico: haud male dictum eſſe putamus, ſi aſſeramus, certam, ſemperque eandem inflammationis ſedem in hoc utroque affectu determinari non poſſe.

Unde rectius ſtatuendum eſſe putamus, omnem inflammationem partium internarum, de nervoſo genere multum participantium, phrenitidem conjunctam habere poſſe: id, quod probant allegata juxta Bonnettum exempla de phrenitide a pulmonibus, ventriculo, hepate, inteſtinis inflammatis. Phrenitidem vero & paraphrenitidem, ſicut

inter

inter se respectu certorum symptomatum differunt, ita quoque differre ratione gradus inflammationis, aut partis ipsius specialiter adfectæ, prout nempe illa nobilior aut ignobilior magis aut minus nervosa existit, proximius aut remotius cum cerebro ejusve meningibus per nervos excurrentes, commercium habet. De reliquo utique pro vero habendum est, gravissimum phrenitidis, id est, delirii febrilis, gradum adesse, si cerebri meninges ipsæ inflammationem patiantur.

XXVIII.

Causas inflammationis meningum in specie quod concernit, proximiores, antecedentes & occasionales, poterunt illæ dividi in externas & internas.

Schol.

Ad externarum classem referimus capitis læsiones graviores contusorias, vulneratorias cum vel sine cranii læsione factas, a quibus stases & extravasationes gravissimæ ortum ducunt.

Ad intrinsecarum vero classem pertinent hæmorrhagiæ narium, præprimis criticæ, in febribus suppressiones repentinæ; dolorum capitis sub febribus continuis, aliquando vehementer urgentium, per refrigerantia epithemata sedationes &c.

Peripnevmonia.

XXIX.

Peripnevmonia est inflammatio tam membranæ, pulmones cingentis, quam ipsius simul substantiæ pulmonalis, cum febre continua, tussi, lateris alterutrius punctura, respiratione difficili, in materiæ cruentæ & purulentæ excretionem abiens, nec sine illa salutariter cedens, sub illa autem ordinarie septem dierum spatio decursum suum absolvens.

Schol.

Est itaque hic affectus acutus, non modo acute cum febre inflammatoria invadens, sed acutum etiam terminum, septem nempe dierum, servans: cui tussis satis molesta puncturas lateris exacerbans, mox ab

 initio

initio accedens, ita familiaris exiſtit, ut pro ſigno pathognomonico & diſcretivo inſerviat.

Cum enim ſtaſis ſanguinea, cum infarctu inflammatorio intra ſubſtantiam hæreat pulmonalem, pulmonis officium non modo reſpectu inſpirationis aëris læditur, ſed ad motum quoque excuſſorium incitatur, unde poſtmodum facta ſuppuratione, tanto promptius materia ſuppurata ipſa tuſſi rejicitur: quæ excretio adeo neceſſaria exiſtit, ut hac deficiente aut ſuppreſſa, ægri ſuffocentur, aut tabidam corporis conſumptionem, cum pulmonum corruptione incidant.

XXX.

Subjecta hujus inflammationis præ aliis eſſe ſolent juvenes, & in prima virili ætate conſtituti perſonæ.

SCHOL.

Et quidem hoc tanto magis, quando affectus hic ex meris quaſi cauſis internis ortum capit, ex eo fundamento, quod tunc temporis congeſtiones ad pectus magis familiares exiſtant atque ſolennes. Cum autem hic adfectus utplurimum ſit epidemicus, certisque anni temporibus occurrat, obſervatio etiam practica abundanter docet, variæ ætatis perſonas eodem affici, nec ſexum unum præ altero liberum ab ipſo manere, quamvis juvenilia ſubjecta, tanquam magis congrua, tunc quoque facilius occupet.

XXXI.

Subjectum ſpeciale a veteribus habitum fuit tunica pulmonum cingens: verum teſtantur circumſtantiæ morbi, quod potius ſubſtantia pulmonum paulo profundius patiatur.

SCHOL.

Certiores hac de re nos reddit materiæ cruentæ ac purulentæ excretio, ſub morbo, & ſolennis per hanc excretionem hujus affectus terminatio: quæ non contingeret, ſi inflammatio ſolitarie & unice tunicam cingentem occuparet, cum in illa non niſi eryſipelacea inflammatio locum habere poſſit, ideoque ipſe ille effectus de paulo profundiore inflammationis ſede in ſubſtantia pulmonum, ſufficiens teſtimonium præbeat.

XXXII.

XXXII.

Causam occasionalem proximiorem ordinarie constituit aëris constitutio frigida, tam siccitate quam humiditate peccans, præcipue si repentina mutatione se invicem excipiant.

SCHOL.

Aër enim frigidus & humidus, in pulmones sub respiratione attractus, substantiam pulmonum membranaceam relaxat, ut infarctibus facilius locum concedat: nec minus frigore suo, coagulationibus, stasibus sanguineis in pulmonibus haud difficulter viam sternit. De reliquo, non minus frigidus & siccus aër, excretiones periphericas occlusione pororum impediendo, strictura fibrarum externi corporis regressum sanguinis ad interiora vehementiorem, stasibusque internis occasionem producendo, huic affectui favet.

Id quod præcipue facilius succedit, quando tempore hyemali vicissitudines & alternationes ejusmodi tempestatis sese excipiunt, & prægressam substantiæ pulmonalis relaxationem constrictiones peripheriæ sequuntur: unde quoque ratio patet, cur Hippocrates suo jam tempore hanc inflammationem ad hybernos retulerit morbos.

Pleuritis vera.

XXXIII.

Pleuritis vera est inflammatio membranæ pleuræ, cum febre continua acuta, lateris punctura acutissima, respiratione difficillima sese manifestans, septem diebus sine suppuratione vel transiens, vel ægrum extinguens, vel tandem, superato hoc termino, in empyema degenerans.

SCHOL.

Signa hujus & proxime antecedentis inflammationis inter se valde conspirant, unde quoque multum confusionis in dignoscendo morbo pariunt: quæ tamen confusio facili negotio evitatur, si differentiam attendamus, quod hæc inflammatio ordinarie cedat sine suppuratione, vel ad minimum semper sine materiæ suppuratæ rejectione per os, & quod tussis statim sub morbi initio deficiat, quæ sub peripnevmonia mox adest,

& ad

& ad factam evacuationem usque materiæ suppuratæ durat: ita ut ex tussis absentia ordinarie judicare liceat de præsentia hujus inflammationis, nisi forsan in peculiari casu tussis jamjam præcesserit.

XXXIV.

Subjectum speciale pleuritidis est principaliter membrana pleura, secundarie vero musculi intercostales.

SCHOL.

Dotata quidem est hæc membrana sufficientibus vasculis sanguiferis, ut inflammatio in ipsa sedem locumque occupare possit, ita tamen, ut inflammatio, hanc membranam solam occupans, saltim sit erysipelacea: cum autem hæc membrana firmissimum nexum habeat cum musculis intercostalibus, hi etiam in consensum tracti, secundarium subjectum inflammationis aliquando constituunt.

Id quod etiam asserere licet de pulmonibus ipsis, si nempe casus ille existat, ut pulmones immediate cum pleura cohæreant, in quo casu etiam huic affectui nomen a quibusdam impositum pleuripnevmoniæ competit.

XXXV.

Causa occasionalis specialissime antecedens, ordinarie est violentia externa.

SCHOL.

Nisus nempe violentiores, pectore suscepti, sub gestatione ponderum, spiritusque compressione, aut casus ab alto, cum molis cujusdam lapsu in pectus: unde læsio distensoria in pleura: & extravasatio sanguinis e vasculis sanguiferis contingit, stasin constituens, & inflammationi ansam præbens. Hinc innotescere potest, quod pleuritis non sit affectus instar peripnevmoniæ, certis anni temporibus epidemice quasi occurrens, aut ab iisdem causis proveniens, sed sporadicus, & a particulari causa ortum capiens, ideoque non ita frequens existat, quam antecedens inflammatio.

Empy-

Empyema.

XXXVI.

Empyema est materia purulenta, antea in abscessu collecta, effusio in cavum thoracis, qua diaphragma premitur, respiratio difficillima redditur, & sub febris inflammatoriæ augmento, ægrotans in summum vitæ discrimen conjicitur, inflammationem & abscessum in thorace prægressum, sequens.

SCHOL.

Haud equidem strictiore sensu, empyema in se spectatum, ad titulum inflammationum pertinet, cum tamen proximum sit inflammationum in thorace prægressarum consectarium, haud contra rationem his adnectitur: præcipue cum omnium facillime pleuritidem sequatur, quippe quæ, si neque discutiatur, neque in corruptionem sphacelosam transeat, sed potius paulo profundius in musculis intercostalibus hæreat, in suppurationem abit, abscessum efficit, qui ruptus denique in cavum thoracis materiam purulentam fundit, atque empyema constituit: ita ut non abscessus ipse in se spectatus, atque inclusus, sed ruptus atque effusus, empyematis titulum gerat.

XXXVII.

Subjectum speciale in hoc adfectu duplici modo determinari potest, quatenus nempe abscessus vel adhuc inclusus, vel ruptus consideratur.

SCHOL.

Priori respectu pleura & musculi intercostales, in posteriori vero, cavum thoracis, & specialissime diaphragma, a pondere puris effusi, ejusque acrimonia adfectum, & potissimum respirationis actum impediens, partem adfectam constituit, quo ipso tandem reliquæ respirationi inservientes partes per consensum simul patiuntur.

XXXVIII.

Causa empyematis proxima antecedens, ordinarie est pleu-

ritis in abſceſſum mutata: extraordinarie autem alia quoque apoſtematica collectio, intra thoracem facta.

SCHOL.

Hinc empyema verum nunquam obſervatur, niſi dicta inflammatio pleuræ & muſculorum intercoſtalium præceſſerit, aut ſi ex pleuræ cum pulmonibus concretione, ſubſtantia pulmonalis in conſenſum fuerit tracta, & abſceſſus inferiorem forſan occupaverit pulmonis locum: aut demum ſi vomica pulmonum exteriorem partem obſederit, & tunicam inveſtientem perrumpat: quod idem etiam aliquando ſuſpicari licet de peripnevmonia, ſimili modo inferiorem pulmonis partem occupante: cum vero peripnevmonia utplurimum, & quaſi ordinarie, ſuperiorem pulmonis regionem adficiat, & hoc pacto materia ſuppurata viam excretionis facilius inveniat, vomicæ autem propter ſpeciale involucrum membranaceum haud facile rumpantur, hi duo caſus ſane rariſſime accidunt, ſed ſaltem ut poſſibiles conſiderari poſſunt.

Vomica pulmonum.

XXXIX.

Vomica pulmonum formaliter conſiſtit in collectione materiæ purulentæ, plus minus ſanioſæ, intra ſubſtantiam pulmonalem, intercedentibus tamen fibris membranaceis, ſacculum denſiorem formantibus.

SCHOL.

Differt hac ratione vomica a peripnevmonia, ſub qua collectio materiæ purulentæ, atque abſceſſus purior intra ſubſtantiam pulmonis, ſine interventu ſacculi, libere hæret; nec minus in eo, quod peripnevmonia affectus ſit acutus, ſeptem dierum ſpatio decurrens, vomica vero diutius plures per menſes ſedem ſuam teneat, antequam vel ſeſe clarius manifeſtet, vel actu perrumpat.

Nec minus differt a phthiſi pulmonali, quippe quæ formaliter in vero ulcere conſiſtit ſanioſo: cum vomica mediæ quaſi indolis exiſtat inter abſceſſum & ulcus, nec minus phthiſicum ulcus haud includatur ſacco membranoſo, ulteriorem & promtiorem corruptionis progreſſum impediente.

XL.

XL.

Subjectum speciale vomicæ sunt pulmones, quoad sui substantiam intimiorem.

Schol.

Cum hic sermo sit de pulmonum vomica, necessario sequitur, pulmones constituere subjectum aut partem adfectam: cum tamen de peripnevmonia simul notum sit, pulmones sub illa affici, & quidem ex parte quoad membranam cingentem; de hoc affectu notari debet, quod sub illo pulmones patiantur respectu substantiæ parenchymaticæ. Cum enim a causis universalioribus, abscessum producentibus, hic quoque adfectus generaliter oriatur, probabiliter contingit, ut portioni sanguinis extra motum localem positæ, accedant partes serosæ lymphales, corruptionem instantem plus minus ulcerosam reddentes, qua tardius procedente in aliquibus individuis, natura quasi consulte ulteriorem corruptionem partis tam nobilis impeditura, fibras tractu temporis struit densiores, ex parte pulmonis hactenus læsi, eoque ipso materiam corruptam atque collectam includit, ne novæ materiæ accessu acrior evadat, nec pulmonum parenchyma ulterius arrodat: unde ejusmodi vomicæ, si minores fuerint, non modo simpliciter satis diu hærere possunt, sed numero etiam plures simul, aliquando per longum tempus persistunt, donec accedente alia quasi causa, de novo inflammatio accedat, abscessus ille, sacculo inclusus, ostia perrumpat, & vel successive excernatur, vel repente ægrum juguler ac suffocet.

XLI.

Antecedentes & occasionales causæ affectum hunc in se rariorem producentes, eadem esse possunt, quas antecedentium inflammationum esse declaravimus.

Ventriculi inflammatio.

XLII.

Ventriculi inflammatio sese exserit sub febris inflammatoriæ concursu, gravissima cardialgia, vomendi conatibus, & singultuosis symptomatibus, (præcipue si assumpta liquida aut solida

solida plus magis frigidula fuerint) *nec non deliriis phreniticis.*

SCHOL.

Distinctam se reddit hoc modo inflammatio a cardialgia: quamvis enim cardialgia non secus symptomata graviora juncta habeat, nihilominus febris inflammatoriæ, & delirii phrenitici expers existit Unde etiam cardialgia, in se spectata, tantum periculi haud fovet, quantum inflammationem comitatur.

XLIII.

Subjecta hujus inflammationis præ viris utplurimum esse solent fœminæ.

SCHOL.

Non equidem hic asserimus, quasi virilis sexus exclusus sit a ventriculi inflammatione, neque sexum sequiorem omni ventriculi inflammationi, a quacunque causa ortum trahenti, solitarie quasi subjici, sed respectum hic habemus potissimum ventriculi inflammationis, a causis intrinsecis ac congestionibus oriundæ, quippe quæ in sexu sequiore plures offendit causas, a negotio mensium petendas. Cum vero frequentius hæc inflammatio externas ac violentas agnoscat causas, sub harum concursu nullum sane sexum præ altero excludere possumus.

XLIV.

Subjectum speciale est ventriculus, substantia membranosa præditus, vasisque sanguiferis copiose instructus.

SCHOL.

Siquidem enim ventriculus tunicis gaudet membranosa, musculari, nervea & villosa, intercedente primam & alteram cellulosa, ita vasa tam arteriosa a cœliaca, quam venosa a vena portæ oriunda, sat copiose easdem perreptant: ita ut accedentibus causis huc facientibus, satis prompte stases & inflammationes oriri queant.

XLV.

Causa hujus inflammationis antecedens aliquando est sanguinis regurgitatio congestoria, aliunde facta.

SCHOL.

Hinc sexui sequiori magis familiaris existit hæc inflammatio præ virili,

virili, propter faciliores & frequentiores restagnationes sanguinis congestorias, a vasis venæ portæ versus ventriculum contingentes, quæ in hoc sexu mensium aut lochiorum retentionibus ortum debent. Id quod non minus aliquando, sed paulo rarius, contingit in sexu nobiliore, ab hæmorrhoidum suppressione pertinaciore aut repentina.

XLVI.

Nec tamen solitarie ab ejusmodi causa antecedente oritur ventriculi inflammatio: quin potius multiplices occurrant casus, ubi plane aliæ, & magis violentæ subsunt causæ.

Schol.

His 1. accensenda est bilis acrior & porracea, in ventriculum effusa, caustica sua indole interiorem tunicam nerveam aggrediens, eamque arrodens, atque continuitatis solutionem producens, vel ad minimum sensum ardoris molestum producendo, majorem sanguinis affluxum causans.

Idem etiam contingit ab assumtione venenorum, causticorum & corrosivorum, nec non vomitoriorum, atque purgantium drasticorum abusu, quorum exemplorum vestigia frequentissime reperiuntur tam in observationibus, quam hinc inde in praxi vulgari medicastrorum.

Neque vermes hic sunt excludendi, quin potius aliquando ventriculum aut intestina arrodendo, utrorumque inflammationem causentur.

XLVII.

Aliquando simplex coagulatoria stasis causam constituit proximam.

Schol.

Ad hanc potissimum disponere possunt potuum frigidissimorum & glaciatorum intempestivæ ac repentinæ ingurgitationes, post totius corporis vehementiores exæstuationes: quæ causæ violentæ omnes longe frequentius ventriculi inflammationem occurrere faciunt, quam internæ illæ, de quibus superius diximus, respectu quarum hic affectus per se satis rarus existere solet.

Hepatitis & ſplenitis.

XLVIII.

Hepatitis & ſplenitis ſunt inflammationes, illa in hepate, hæc in liene, a ſtaſi ſanguinea in dictis viſceribus facta, ortum capientes, febrimque inflammatoriam comitem habentes.

Schol.

Utraque harum inflammationum oppido rara eſt in praxi medica, ſi vera fuerit: ſpuria tamen, quæ non dicta viſcera ipſa, ſed in regione horum viſcerum muſculos abdominis occupat, paulo frequentior exiſtit. Manifeſtantur hæ inflammationes, præter febrem inflammatoriam, ardore, dolore, gravitate tenſiva, imo inflativa alterutrius hypochondrii, ſub quo viſcus alterutrum jacet: qui dolor aliquando in punctorium ſumme ſenſibilem mutatur.

XLIX.

Differentia utriusque inflammationis partim a loco adfecto, partim a ſymptomatibus deſumitur.

Schol.

Priori reſpectu ex doloribus alterutrum hypochondrium prementibus, judicium ferimus de alterutra inflammatione. Poſteriori autem ad hepatitidem declarandam difficilior reſpiratio, propter hepatis cum diaphragmate nexum, & coloris faciei mutatio in pallido-citrinum ſemiictericum, refertur: cum ſplenitidem color faciei magis nigricans declarare ſoleat.

L.

Differunt quoque hæ inflammationes ab aliis partium vicinarum inflammationibus.

Schol.

Differt enim utraque a pleuritide, dum hæc ſuperiorem coſtarum partem, ac mamillæ circiter regionem occupat: hæ vero infra diaphragmatis regionem locum tenent.

Splenitis in ſpecie a nephritide, ſiniſtrum renem occupante, partim ſitu diſtinguitur, cum ſplenitis magis verſus anteriora, nephritis vero verſus poſteriora vergat, ſimulque paulo inferiorem locum occupet:

pet: partim etiam symptomatibus, dum nephritis urinæ suppressionem conjunctam habet, nec non majoribus præ illa premitur doloribus.

LI.

Symptomata in his inflammationibus non minus differunt pro diversitate regionis specialissime adfecta.

Schol.

Si enim dolores adsint graviores, externo tactu perceptibiles, major respirandi difficultas, & tussis frequentior, signum est inflammationis in parte visceris externa, majorisque musculorum abdominis expansionis.

Si autem tactu externo dolores non exacerbantur, aut difficulter & obtuse saltem percipiuntur, cibi majus fastidium, imo vomitus crebriores, alvique profluvia concurrunt, tunc de internæ viscerum faciei inflammatione certius testimonium adest.

LII.

Subjectum speciale in hepatitide hepar, in splenitide lien constituit: ita tamen, ut aliquando tunica investiens saltem erysipelacea inflammatione corripiatur, alio vero tempore ipsa substantia viscerum parenchymatica profundius afficiatur.

LIII.

Harum inflammationum causam, (præter generaliores) constituit vel sanguinis regurgitatio a partibus inferioribus.

Schol.

Hujus proventui patrocinantur evacuationum sanguinearum in utroque sexu repentinæ, aut diuturnæ suppressiones, unde a repentinis cohibitionibus fluxus menstrui, lochialis, aut hæmorrhoidalis ortum ducere possunt, ubi tamen a causis iracundiæ prægressæ, per accessum materiæ biliosæ, gradus inflammationis & febris inflammatoriæ major fieri potest.

LIV.

Vel eandem constituit immediata in viscere alterutro, sanguinis incarceratio coagulatoria.

Schol.

SCHOL.

Huic ansam suppeditant refrigerationes violentæ, ac repentinæ, in regione dictorum viscerum commissæ, quando v. g. sub hæmorrhagiis lintea, aqua gelida madida, hypochondriis adplicantur. Quod idem ab hildano observatum fuit post cucurbitularum in iisdem casibus & regionibus appositionem, ubi tamen non coagulationes, sed decubitum violentum accusare licet.

LV.

Causa occasionalis quandoque etiam est violenta.

SCHOL.

Si nempe læsiones vulneratoriæ, aut contusoriæ per casum ab alto, ictum, plagas, antecesserint, primæque stasi ansam dederint.

Vesicæ inflammatio.

LVI.

Vesica inflammatio est febris inflammatoria satis vehemens, cum dolore ardente in regione pubis & perinæi, urinæ ardore perpetuo, vel suppressione, a stasi sanguinis in substantia vesicæ ortum ducens.

SCHOL.

Quamvis hæc inflammatio ex aliqua parte cum nephritide conveniat; cum in hac etiam adsit febris inflammatoria, atque urinæ suppressio, nihilominus tamen ab illa sese distinguit, tam febris quoad gradum diversitate, quippe quæ in nephritide levior, in hac vero inflammatione semper gravior adesse fuevit: quam dolorum acerbitate & loco; acerbiores enim sunt dolores vesicæ, inflammationem comitantes, nec renes, (nisi aliquando lenissime) in consensum trahunt.

LVII.

Subjectum speciale est vesica urinaria.

SCHOL.

Et quidem hoc tam quoad ipsius fundum, quam quoad collum atque cervicem. Ex omni enim parte structura vesicæ urinariæ ita comparata est, ex tunicis atque vasis sanguiferis interspersis, ut in illa æque ac in ventriculo stases & inflammationes ortum capere possint.

LVIII.

LVIII.

Causæ occasionales proximiores hujus inflammationis utplurimum violentiam aliquam, vesicæ illatam, arguunt.

SCHOL.

Vel enim in causa est calculus, in vesica hærens, asperitatibus donatus, & motu violentiore vesicæ interiorem faciem lædens, doloresque excitans. Vel error commissus fuit circa usum diureticorum fortiorum, præcipue cantharidum, quæ sale suo caustico & corrosivo læsionem inducunt. Vel læsiones vulneratoriæ, aut contusoriæ eundem affectum producere possunt.

Uteri inflammatio.

LIX.

Uteri inflammatio sese exserit febre inflammatoria gravissima, cum sensu ardoris atque doloris exquisito in regione uteri, a stasi sanguinis intra uteri substantiam oborta, ortum ducens.

SCHOL.

Hæc inflammatio in se spectata, tanquam a causis internis oriunda, ad rarissimas pertinet; cum e contrario a causis violentis ortum ducens, frequentius occurrat: ideoque potissimum sub puerperiis, aut post fœtus obortivam exclusionem observetur.

LX.

Subjecta hujus inflammationis sunt fœminini sexus personæ, præ omnibus aliis tamen puerperæ, & quæ abortum sunt passæ.

SCHOL.

Quod fœminino sexui soli eveniat hic morbus, probatione non indiget, cum omnibus constet, partem ipsam affectam non nisi fœmellis esse familiarem atque propriam.

Quod autem puerperæ præ aliis fœmellis, specialiter magis huic affectui subjaceant, exinde dependet, quoniam in hoc statu proxima causa occasionalis accedere potest, per secundinarum avulsionem, aut fluxus lochialis retentionem.

LXI.

Subjectum speciale constituit uterus, tam quoad sui fundum, quam quoad collum atque vaginam.

SCHOL.

Totum enim hoc organum, gestationi foetus dicatum & consecratum, talis structuræ est, ut stasibus & inflammationibus subjici possit: præter enim, quod substantia gaudeat membranoso-nervea spongiosa, simul quoque intra hanc suam substantiam recipit copiosissima vasa sanguifera, a spermaticis, hypogastricis, & hæmorrhoidalibus oriunda, quæ tortuoso ac serpentino tractu distributa, tanto difficilorem sanguini concedunt tardioremque transitum, qui tanto magis, perpesso partu aut abortu, sufflaminatur, si vel tonicæ stricturæ defectus, vel spasticæ constrictionis excessus accedat.

LXII.

Causam inflammationes uteri utplurimum constituunt variæ ipsi illatæ violentiæ, quibus infarctus, & stases sanguineæ in uteri substantia producuntur.

SCHOL.

Huc 1. pertinet partus laboriosus diuturnior: sub hoc enim frequentius fit, ut spasmis illis, ad partum absolvendum spectantibus, defectus toni succedat, & hinc decubitus & incarcerationes sanguinis sequantur.

2. Firmior secundinarum cum utero cohæsio, ejusque, manu obstetricis facta, violenta avulsio: tunc enim puerperæ considerandæ sunt potissimum, ut graviter vulneratæ, quapropter tunc temporis omnium facillime accedit febris inflammatoria, & vulneraria, cum lochialis fluxus suppressione: quo suppresso, stasis tanto facilius contingit in utero spongioso, multoque tunc sanguine repleto.

3. Ictus, aut contusiones, sub statu gravido perpessæ; extra graviditatis statum enim haud facile ictus, plagæ, aut contusiones, ad uterum profundius delitescentem pertingere valent, cum tamen uterum prægnantem, atque a foetus mole expansum, haud difficulter ferire possint.

4. De-

4. Denique pessaria uterina, aut injectiones uterinæ calidioris atque acrioris indolis, quibus aliquando utuntur fœminæ, ad provocanda menstrua, eoque ipso sensum molestum ardentem concitant in orificio uteri, potissimum interno, & affluxum sanguinis copiosum huc invitando, inflammationes inducunt; quæ, cum primario uteri orificium occupent, ex ipsius dolore, tumore & ardore speciali agnoscuntur.

5. Vulneratoriæ læsiones, quas inflammatoria stasis ob vasorum discontinuationem sine labore sequitur.

Sphacelus internarum partium.

LXIII.

Sphacelus internarum partium est transitus inflammationis, neque discussa, neque in suppurationem mutata, in corruptionem putredinosam, veramque necrosin, cum cessatione omnium hactenus perceptorum non modo dolorum, sed ipsius etiam sensus vitalis in parte adfecta: funestum semper eventum secum ferens.

Schol.

Hinc agnoscimus sphaceli præsentiam in partibus internis, quando post inflammationis signa prægressa, omnes hactenus ab inflammatione prægressi dolores, sine signis factæ suppurationis, repente cessant, cum insequente virium gravissima prostratione, lipothymia, cordis palpitatione, præcordiorum summis anxietatibus, extremorum refrigerio, sudoribus algidis, pulsu debili, convulsionibus, aut ad minimum tremoribus, quorum certissimum consectarium ipsa mors.

LXIV.

Causa hujus transmutationis repentinæ proxima est tam in materia stasin formante, quam in partis affectæ conditione quærenda.

Schol.

Materiam quod concernit, illa nulla est alia, quam portio sanguinis coagulati & extravasati, quæ, quando vel spissitudine, vel molis quan-

quantitate, motuum transpressoriorum proportionem, (quibus totum discussionis & suppurationis negotium nititur) superat, atque illis iterum penitus dispelli, ac solvi nequit, eò devenit, ut a calore interno in motum intestinum destructorium, fermentativo-nempe putredinosum rapiatur.

Pars affecta vero symbolum suum huc confert, quando ab impetuoso sanguinis impulsu, vel vasa sanguifera lacerata, vel fibræ ad substantiam partis pertinentes, ita debilitatæ, tonoque destitutæ existunt, ut motui sanguinis progressivo conservando penitus non sufficiant: quo fit, ut ipsa quoque natura, ipsis instrumentis debitis destituta, a toto negotio, quod hactenus solerter pro viribus susceperat, desistat, de ipso desperet, atque totaliter cesset.

LXV.

Concurrunt tamen quandoque etiam causæ occasionales, tam materiæ, quam partium alterationi repentinæ faventes.

SCHOL.

Hujus census sunt animi pathemata graviora, a quibus vel spasmi graviores, vel relaxationes nimiæ, atque hinc decubitus graviores, aut incarcerationes firmiores sanguinis inducuntur: unde res est notissima, quod iis, qui inflammationibus internis laborant, nil magis noceat, quam vehemens ira, terror, graviorque mœror.

Neque hic excludi debent refrigerationes tam externi corporis, quibus transpiratio maxime utilis & necessaria impeditur, stricturæ spasticæ in extremis inducuntur, & sanguis majore copia ad interiora, ubi tamen sanguinis circulus jam labefactatus existit, retropellitur, stasisque augetur; quam internæ, per potuum frigidorum immodestas ingurgitationes, quibus sæpissime immediata frigoris inductione portio sanguinis subsistens, aut in affecta parte restagnans, ad coagulationem totalem perducitur, atque ab omni motu fluiditatis excluditur.

CAP.

CAPUT IX.
DE FEBRIBUS.

I.

***F**ebris est actus naturæ autocraticus, quo sub pulsu celeri & frequenti, motibusque secretoriis & excretoriis extra ordinem quidem auctis, adæquate tamen susceptis, materiam aliquam corpori noxiam, partibusque vel fluidis damnum inducentem, aut minitantem, quovis possibili modo corrigere, subigere, vel e corpore eliminare intendit: eoque ipso graviora damna præoccupare studet atque conatur.*

SCHOL.

Ex hac febris definitione patet, id, quod vulgo febris vocatur, non esse morbum aut læsionem, sed remedium naturale, contra læsionem a natura adhibitum, quamvis hoc remedium revera aliquas molestias, quas symptomata vocamus, post se trahat junctasque habeat, quæ illud necessario, ut umbra corpus, sequuntur.

Dicimus autem, motus hos secretorios & excretorios extra ordinem esse auctos, quoniam nullatenus sunt novi, aut ab œconomia animali plane alieni, sed essentialiter plane iidem, quibus tota nostra vita quotidie conservatur atque absolvitur: cum autem ejusmodi causæ materiales, quæ hosce motus extraordinarios quoad gradum postulant, non omni tempore dieque in corpore præsto sint, ideo neque quotidie talis motuum secretoriorum & excretoriorum gradus requiritur, multo minus occurrit.

II.

Sunt tamen hi motus utplurimum adæquate suscepti.

SCHOL.

Non equidem afferimus, hos motus proportione physica ad amussim semper pro causæ præsentia quadrare; interim tamen generaliter semper hi motus ita sunt comparati, ut materiæ noxiæ subactionem & excretionem maxime ordinatam intendant: id quod exinde adparet,

quod 1. totus ille actus in omni febre ad unam aliquam excretionem in genere tendat; 2. quod hanc excretionis intentionem ordinarie præparatio aliqua antecedat: 3. quod ordinarie in singulis febrium speciebus motus excretorii fiant, tam pro conditione materiæ excernendæ, quam pro loco, ubi materia excernenda hæret aut hospitatur, adæquati & proportionati, prout hoc facile adparet in quibusdam intermittentibus, quarum caufa materialis crudior, in primis viis oberrans, excretionibus anotericis aut catothericis ansam præbet, quemadmodum in plurimis continuis materiæ subtilioris, in humoribus sedem habentis, excretio & motus a centro ad & per peripheriam contingere solet.

III.

Febres inter se invicem differunt variis respectibus: & quidem 1. ratione PERIODI, *ac generalis decursus, quem ordinarie servant.*

SCHOL.

Hoc intuitu differunt febres *acutæ* a *chronicis:* quarum illæ vere acute non modo incipiunt, sed etiam cursum suum sine intermissione accelerant, ita, ut breviori temporis spatio totum decursum, eventu vel vitali ac salutari, vel funesto absolvant.

Hæ vero non modo leniori, sed & tardiori gradu incedunt, diutiusque durant; & non per dies, sed per septimanas, imo menses terminantur, cujus censui sunt omnes intermittentes, lenta & hectica.

IV.

2. Differunt quoque ratione TYPI, *quem singula species respectu recurrentium paroxysmorum format.*

SCHOL.

Respectu hujus typi, singulæ speciei proprii, ex acutis aliæ sunt *continuæ*, aliæ *continentes:* ex chronicis vero intermittentes variæ.

Continuæ plenariam paroxysmorum intermissionem nullam, remissionem tamen aliquam agnoscunt, sive illa magis aut minus manifeste, tempore matutino, sive vespertino, sive quocunque alio, stato tamen ac certo, contingat.

Conti-

Continentes nec remiſſionem nec intermiſſionem ullam habent, ſed a prima invaſione ad declinationem usque uno impetu durant; ad quarum claſſem pertinet ephemera, & ſynochus, tam ſimplex, quam putrida.

Intermittentes autem ſe ipſas dividunt in quotidianas, tertianas & quartanas: quæ omnes perfectas paroxyſmorum intermiſſiones ſervant, & ægris orthoſtadiam tempore intercalari permittunt, atque, quamdiu ſimpliciter tales manent, legitimæ audiunt; ſi autem multum ab ordine recedunt, anomalæ, ſpuriæ, duplicatæ aut compoſitæ vocantur.

V.

3. Nec minor occurrit differentia febrium, reſpectu CAUSARUM *manifeſtiorum antecedentium, aut concurrentium.*

SCHOL.

Hoc intuitu occurrunt *febres bilioſæ*, ſi nempe poſt iracundiam perpeſſam bilis commota aut effuſa, vel in maſſam ſanguineam delata, motibus febrilibus, ſanguinisque inteſtinis vehementioribus anſam præbet, vel in inteſtinis, eorumque tunica interiore, aut etiam in ventriculo, rodendo vel ardendo, ſenſationem moleſtam, ac inflammationem producit.

Sanguineæ, ſi propter ſanguinis abundantiam ſolam, vel pro fine evacuationis ſinceræ per hæmorrhagias, vel pro diſſolutione in ſerum, & imminutione reſolutoria per ſudores largiſſimos, motus illi extraordinarii inſtituuntur.

Catarrhales, quæ utplurimum excretionum periphericarum ſuppreſſiones, & retroceſſiones pro cauſa agnoſcunt.

Lacteæ, ſi puerperis aut nutricibus a lacte ſtagnante eveniant.

Lochiales, ſi in iisdem puerperis lochiorum fluxus impeditus, aut penitus ſuppreſſus, cauſam ſuppeditaverit.

Inflammatoriæ & *vulnerariæ*, quando vel partis cujusdam internæ nobilioris inflammationem ſequuntur, vel vulneribus gravioribus ſuperveniunt.

VI.

4. Alia occurrit differentia, reſpectu SYMPTOMATUM *cum febribus complicatorum, vel eſſentialiter ad illas pertinentium*

SCHOL.

SCHOL.

Hac ratione in confiderationem veniunt ex acutarum & continuarum claffe, *exanthematicæ*, quales funt petechiales, & petechizantes, purpuratæ albæ & rubræ, papulares, eryfipelaceæ, fcarlatinæ, variolæ atque morbilli.

His aliqui medicorum alias adhuc fubdivifis fpecies adjunxerunt, a certis excretionum fymptomaticarum fpeciebus defumtas, & aliquando in paucis quibusdam individuis obfervatas, quæ tamen hanc confiderationem non merentur, ut certam febrium fpeciem conftituere valeant: cujus generis funt fudatoriæ, vomitoriæ, aliæque.

VI.

Quinta febrium differentia defumitur a propria febris INDOLE, *qua ratione a* benignis *differunt* malignæ.

SCHOL.

Ad priorum claffem pertinent tam intermittentes legitimæ omnes, quam ex acutis & continuis illæ, quibus, licet multi afficiantur, pauci tamen e medio tolluntur, vel fub multis anomalis fymptomatibus, graviffimo periculo fubjiciuntur, fed plurimi fub placidis ac legitimis motibus fecretoriis & excretoriis ad fanitatem perveniunt.

Ad pofteriorum vero numerum referendæ funt, ex acutis, illæ omnes, quæ propter materiæ peccantis fpecialem conftitutionem, eamque neque per artem, neque naturæ motibus alterabilem, aut fecretioni & excretioni non obedientem, in plurimis aut aliquibus ægrotis, eventum falutarem non fortiuntur, fed ubi citra turbationes febris extraneas, five a regimine, five a therapia præpoftera provenientes, ægri fub gravioribus fymptomatibus cardialgicis, convulfivis, lipothymicis, pulfum debilitatoriis, decumbunt, aut moriuntur: cujus generis funt ipfa peftis, & febres peftilentiales, nec non aliquando reliquæ exanthematicæ & contagiofæ, præfertim fi epidemica conftitutio accedat.

Nec defunt ex intermittentibus, quæ, fi ad anomalias varias, aut complicationes cum aliis accedant, eventum deleterium, licet rarius, poft fe trahunt, & malignitatis fpeciem, latiore tamen fenfu fumtum, redolent.

VIII.

VIII.

6. Ultimo tandem occurrit differentia febrium EPIDEMICARUM, *&* SPORADICARUM.

SCHOL.

Spectat hæc differentia ad invasionem febrium, quatenus individua pauca vel plura, uno eodemque tempore, ab una eademque febris specie, in uno vel pluribus locis, corripiuntur.

Epidemicæ enim dicuntur, quæ populariter, vel cum, vel sine contagio, multos homines uno eodemque modo & tempore, a causa universali, tunc temporis in aëris peculiari constitutione quærenda, afficiunt, atque invadunt, eademque methodo generaliore apud omnes, per certas secretiones & excretiones absolvuntur, eundemque generalem exitum, sine respectu evidentiore ad causas individuales, temperamenti, ætatis, diætæ, vitæ generis, regiminis, morborum prægressorum, sortiuntur.

Sporadicæ vero febres dicuntur, quæ hinc inde sub eodem quidem schemate plures personas, numero tamen longe minori, quam in casu priore invadunt, apud quas tamen generaliter iidem errores in diæta, victu, vitæ genere, animi pathematibus, commissi, aut temperamentorum, humorumque constitutiones similes, ut causæ legitimæ antecedentes, accusari possunt.

IX.

De subjecto febrium, si quæstio formatur, generalissimum illud est genus humanum.

SCHOL.

De aliis enim animantibus non æque certum est, illa febricitare, nisi paucissima quædam exempla analogum quid exhibeant, quod tamen magis ad curiositatem observationis, quam ad scopum medicum primarium, qui cum corpore humano commercium habet, pertinet.

X.

Specialius subjectum illa constituunt individua, quæ indolis sunt activioris, & alacrioris, ad suscipiendum motus.

SCHOL.

Notiſſimum eſt, non omnes homines ſeorſim conſideratos febribus laborare, quin potius magnus illorum numerus occurrat, qui per totam vitam ad ſenium usque, ne unica quidem febrium ſpecie, multo minus diverſis, pluribus, variisque decubuerunt aut laborarunt. Unde potius temperamenta cholerica & ſanguinea, præ reliquis prona exiſtunt ad febres, cum utique ſpecialis promptitudo ad motus exercendos in hoc negotio requiratur.

Nullatenus tamen reliqua temperamenta in totum excludimus a ſubjecto febrium, cum temperamenta puriora atque ſimplicia ſint rariora, ideoque ex varia temperamentorum mixtura, diſpoſitio aliqua concurrere poſſit, aut cauſæ individuales & occaſionales aliquando aliquid conferre ſoleant.

XI.

Praeterea id certiſſimum manet, quod ad minimum non omnia temperamenta, neque omnes ætates ſingulis febrium ſpeciebus æque facile ſubjiciantur, ſed certæ febres certis quoque familiares maneant temperamentis ac ætatibus.

SCHOL.

Hoc intuitu videmus bilioſas atque ardentes cholericis, benigniores acutas ſanguineis, quartanas melancholicis principaliter familiares eſſe. Ex eodem fundamento ætatis quoque diverſitas conſiderationem ſubit, quod nempe juniores præ ſenibus facilius afficiantur febre, & ſi ſenes iisdem corripiantur, hi longe difficilius graviusque illis decumbant, imo haud raro ſub intermittentibus ſimplicioribus plane ſuccumbant.

XII.

Obſervarunt aliqui, quod etiam ſexus ſequior præ virili, in genere minus ſubjiciatur febribus.

SCHOL.

Id quod ex eodem fundamento minoris activitatis petitum eſſe videtur, nec generaliore conſiderationis dignitate caret, licet in hoc ſexu merito temperamentorum quoque reſpectus ſit habendus.

XIII.

XIII.

Subjectum specialissimum febrium neque cor, aut alia corporis pars solida, neque sanguis aut alius humor, solitarie dici aut constitui potest.

SCHOL.

Motæ circa hanc rem quæstiones ortum duxisse videntur ex defectu veræ medicæ considerationis, veræ formalitatis febris. Haud enim dici potest, quod sub febre, generaliter considerata, ulla corporis pars sit excepta ab universo negotio; cum enim totum negotium absolvatur motibus secretoriis & excretoriis, pro his absolvendis autem solidæ & fluidæ partes conspirare debeant, in genere etiam omnes huc concurrere debent.

De reliquo tamen cor, tanquam primarium circulationis sanguinis instrumentum, & sanguis, ut humor universalissimus, omnium manifestissime motuum alterationes patiuntur, omnium sensus incurrentes, quas reliquæ minus manifestæ atque palpabiles in toto corpore organisque secretoriis & excretoriis sequuntur.

XIV.

Causa materialis, propter quam febris accenditur, est varia, pro diversitate speciei febrium.

SCHOL.

Crudior nempe materia & minus activa, in febribus chronicis ac intermittentibus: subtilior vero, magisque activa, imo aliquando agilissima, in acutis atque continuis: semper tamen ita comparata, ut præsentia illius, toti œconomiæ animali, vel quoad partium solidarum texturam, vel quoad fluidarum mixtionem, (quæ mixtionem solidarum simul pedissequam habet) vel quoad actionum vitalium, aut rationalium, turbationem, damnum aliquod notabile, aut fonticum atque funestum, vel proxime vel successive contrahere possit, ideoque naturæ æstimationem legitimam mereatur.

XV.

Causa finalis febrium, est materiæ morbificæ eliminatio, aut quantum naturæ vires permittunt, correctio, & præparatio,

tio, ut œconomia animalis salva servetur, & mixtionis omnimoda turbatio avertatur & praecaveatur.

SCHOL.

Hæc naturæ intentio, si obtinetur, effectum febrium eventumque salutarem comitem habet; sin minus, de naturæ insufficientia ad materiam præsentem, vel quantitate, vel qualitate ipsius motus superantem, aut turbatione in motibus salutariter susceptis, per animi pathemata, aut therapiam, amethodos institutam, testimonium affert.

XVI.

Causa efficiens est ipsa natura.

SCHOL.

Hæc enim, (prout in physiologicis jam demonstratum est) tanquam principium agens, vitæ & corporis proprii conservationi invigilans, motus illos secretorios & excretorios non modo pro rei necessitate extra ordinem auget, sed eò quoque dirigit, ut materia eliminanda ad debita excretionum organa perveniat. Ad quem actum exequendum instrumentum suppeditant variæ corporis partes solidæ fibrosæ molles, quippe quæ motibus exequendis aptissimæ sunt, quorum tamen motum fluidæ sequuntur, & ita cum illis conjunctim secretionibus & excretionibus inserviunt.

Febres acutæ simplices ac benignæ.
Febris Ephemera.

I.

Ephemera est febris acuta continens, unum solummodo diem durans, sine horrore febrili, cum æstu præternaturali, capitis dolore, respiratione brevi & quasi oppressa, invadens, atque ordinarie sudore largiore iterum intra nychthimerum transiens, post sanguinis orgasticam commotionem ortum capiens.

SCHOL.

SCHOL.

Eſt itaque hæc omnium febrium breviſſima ſpecies, & reſpectu periodi, quam ſervat, acutiſſima, præterea tamen, reſpectu eventus, minime funeſta, ſed leviſſima. Diſtinguit ſeſe ab omni alia febre, ſolo hoc eſſentiali ſigno, quod unicum formet paroxyſmum, non ultra 24. horas durantem, neque poſt illas recurrentem. Unde ſub prima invaſione certo pro tali declarari nequit, ſed a poſteriori demum agnoſcitur.

Continens dicitur hæc febris, quoniam ſub ipſius duratione atque decurſu nulla alternatio, neque remiſſionis, neque intermiſſionis occurrit. Æſtus de reliquo, licet præternaturalis exiſtat, non tamen exceſſivus, aut cum aliis acutis facile æquiparandus eſt.

II.

Subjecta hujus febris ordinarie ſunt individua juniora, & plethorica.

SCHOL.

Juniores enim perſonæ non modo ex naturalibus cauſis, alibi jam indigitatis, magis ad ſtatum plethoricum diſpoſiti ſunt, ſed ſanguine quoque magis activo gaudent, ut ita, accedentibus cauſis occaſionalibus, tanto facilius talis commotio oriri poſſit.

III.

Cauſa hujus febris materialis proxima eſt ſanguis abundans, particulis ſulphureis copioſis refertus.

SCHOL.

Cum enim ex hiſtoria morbi jam pateat, plethoricos potiſſimum ſubjectum ephemeræ conſtituere, exinde facile ac tacite quaſi pateſcit, quod abundans ſanguis cauſam conſtituat, non tamen ſola mole phyſica peccans, ſed ita diſpoſitus, ut accedente cauſa alia, plethora quoque commota accedat: ita ut ab orgaſtica & inteſtina ſanguinis commotione localis ipſius motus etiam augeatur, & ita pulſus quoque mutationem ſubeat, quæ adeo usque increbeſcit, ut reſolutio ſanguinis in ſerum copioſum tenue ſequatur, & ita natura ſanguinem ſub motu auctiore attenuatum, ſudore largiore excernat, atque mediate imminuat.

IV.

Causa occasionalis proxima ordinarie est externa.

Schol.

Hinc utplurimum observatur, quod hæc febris ordinarie sequatur vel corporis universaliores motus exagitatorios, præcipue sub calida tempestate susceptos, & ultra modum continuatos, cursorios videlicet, saltatorios, aliosve: vel particulares, solius quasi sanguinis commotiones orgasticas, ab aëre calidiore excitatas; unde haud raro accidit, hanc febrem excitari a graviore solis æstu, vel totum corpus, vel specialiter nedum caput feriente.

V.

Remotiores ex hac causarum classe possunt solentque esse errores diætetici, brevi tempore ante accessum commissi.

Schol.

Hoc respectu potissimum accusari meretur tam diæta vinosa spirituosa calida, diutius jam usurpata: in specie potuum spirituosorum, inebriativorum ac vinosorum, immediate & proxime facta ingurgitatio.

Synochus simplex.

VI.

Synochus simplex est febris acuta continens, summo mane utplurimum ægrotantes invadens, sine horrore antecedente perceptibili, cum æstu insigni, sine remissione fere æqualiter usque ad finem totius periodi continuante: ordinarie ad primum septenarium excurrens, tuncque critica hæmorrhagia, vel critico sudore cessans.

Schol.

Quamvis hæc febris non sub primo statim initio ad summum deveniat gradum, sed aliquo modo successive incrementum capiat suum, nihilominus tamen continentia typi sese in eo manifestat, quod nullam vel remissionem vel intermissionem paroxysmorum formet, sed æqualiter quasi procedat, donec impetrato fine, quem natura intenderat, iterum æqualiter cesset transeatque.

Est

Eſt autem ille finis hujus febris, ut ſanguinis quantitas ſimpliciter imminuatur; quapropter tacite quaſi hæc febris incipit, ſine prægreſſo notabili horrore aut frigore, cum ad ſolam reſolutionem ſanguinis in ſerum, aut evacuationem ipſius ſinceram, non æque neceſſarium ſit, ut interna organa colatoria expandantur, aut dilatentur, ſed dictus effectus celeriore fortioreque transpulſu per partes ſpongioſas facile abſolvi queat. Qui effectus imminutorius ordinarie circa dies criticos, vel hæmorrhagia largiore, vel largiſſimi ſudoris profuſione, vel per utramque ſeſe manifeſtat, febrique terminum ponit.

VII.

Differt hæc febris aliquando gradu non modo impetus, ſed etiam temporis durationis atque effectus.

Schol.

Quando enim cauſa levior, aut quantitate minor adeſt, tunc aliquando contingit, ut gradus febris ſit lenior, atque periodus brevior exiſtat, unde in tali caſu ad quartum usque diem ſaltem extenditur, & multoties ſolo ſudore largiore, inſtar ephemeræ, terminatur, atque finitur. Quam ob rationem quoque nos ephemeræ plurium dierum nullam injecimus mentionem, cum hæc determinatio aliquam contradictionem involvat, ideoque rectius ſtatuendum eſſe putemus, eam febrim, quam medici alias hoc titulo inſignire ſolent, ſynochum leviorem eſſe.

VIII.

Subjectum hujus febris conſtituunt & juniores, & eximie plethorici, præſertim cholerici, & cholerico-ſanguinei.

Schol.

Juniora enim corpora ad generationem multi ſanguinis ſunt aptiora, quoniam utplurimum non modo voraciora exiſtunt, ſed facili quoque negotio, reſpectu aliarum commotionum corporis & ſanguinis, excedunt. Cholerici vero, & cholerico-ſanguinei præ aliis ſanguine gaudent particulis ſulphureis copioſe referto, ideoque mobiliore & agiliore, nec non majore ad ſuſcipiendos motus, quoad partes ſolidas, promtitudine. Hinc tales febres ſub temperamenti, ætatis, & plethoræ concurſu tanto facilius excitantur.

IX.

IX.

Causa materialis proxima atque primaria est sanguis, quantitate excessiva peccans.

SCHOL.

Hæc enim sanguinis abundantia, physica sua mole peccans, molesta existit viis, per quas sanguis moveri debet, eas infarciendo, distendendo, prægravando, quo ipso partim progressus sanguinis liberior successu temporis impeditur, partim diversis craseos læsionibus ansa præbetur: unde necessitas naturalis postulat, ut ipsius imminutione adæquata ac tempestiva, ejusmodi sanitatis damna præoccupentur.

X.

Remotiores antecedentes causæ petendæ sunt a vitiis diætæ & generis vitæ.

SCHOL.

Cum itaque notissimum sit, plethoricum statum ortum capere ac incrementum ex diæta plena, lauta, vitæque genere otioso, prout hoc sub cap. de plethora fusius explicavimus, hic crambem semel adpositam non recoquimus, sed causas, ibi propositas, tanquam generaliores & remotiores huc quoque adplicamus.

XI.

Occasionales commotionis febrilis causæ proximiores sunt ordinarie, vel excessus inebriativi, vel motus corporis exæstuatorii nimii, vel graviora animi pathemata iracunda.

SCHOL.

Ab his enim omnibus orgastica sanguinis commotio atque expansio producitur, quæ plethoram, physice peccantem, naturæ magis molestam reddit, hancque excitat, ut contra materiam hanc, corpori molestam, motibus extraordinariis insurgat, eosque tamdiu continuet, donec materiam illam ex parte imminuerit, & evacuaverit.

Synochus putrida.

XII.

Synochus putrida est febris acuta continens, malignitatem compli-

complicatam habens ex causa aliena, sanguini inhærente, a natura tam pro imminuendo & resolvendo sanguine abundante, quam pro excernenda malignitatis causa, suscepta, sine omni remissione, ab initio ad solutionem usque decurrens.

Schol.

Quemadmodum vox synochi in genere significat, secundum Galenum, febris continuæ talem speciem, quæ nullis plane distincta est accessionibus aut reduplicationibus: & sub antecedente titulo synocha simplex pertractata fuit, ita in præsenti composita quasi febris indigitatur, ab illa in tantum distincta, quod non equidem ratione typi, sed potius ratione indolis composita adpareat.

Typus enim in utraque febre idem est, uti veteres scriptores, in quorum monumentis potissimum hujus febris mentionem factam esse scimus, testantur, qua de re & Sennertus, & Riverius, aliique legi merentur: causa autem materialis duplex videtur, quarum altera benigna est, altera vero malignitatem spirat, ita ut hæc febris quasi ex benigna & maligna composita dici possit.

Unde authores quoque pro demonstratione ejusdem, utriusque febris, typi, eandem quoque utrique tribuunt atque adscribunt divisionem, in *acmasticam*, quando eodem vigore quo cœpit, nec invalescendo, nec decrescendo æqualiter progreditur: *epacmasticam*, si gradu semper augetur, & de horis in horas æqualiter citra omnem remissionem increbescit: & *paracmasticam*, quando equidem sine intermissione & remissione æqualiter ad statum usque continuatur, sed paulatim de die in diem decrescendo decurrit.

XIII.

Differt hæc febris a præcedente tam gradu, quam duratione.

Schol.

Cum enim duplex hic subsit causa, majorque labor requiratur, omnia febrilia symptomata, & ipse gradus febris, majorem exacerbationem præ se ferunt, quam in synocho simplici, nec minus tota febris longiorem decursum servat, & ad plures septenarios facile durat, cum simplex utplurimum uno septenario absolvatur: facilius enim utique est, ut sub motu illo sanguinis auctiore, sanguis simpliciter vasa perrumpat, ac hæmorrhagia excernatur, aut attritione valida per partes spon-

giosas in ferum tenue dissolvatur, quam ut materia illa sulphurea atque subtilis, colatoriorum poros facile effugiens, simul secernatur, & excernatur.

XIV.

Subjecta hujus febris præ aliis sunt juniores, plethorici & cholerici, peculiari præcipue sanguinis discrasia laborantes.

SCHOL.

Juniores enim præ aliis utplurimum magis ad plethoram sunt dispositi: plethora autem primarium hujus febris constituit fomitem, & ex temperamento major accedit discrasia sanguinis sulphurea, majorque ad motus activitas, unde major etiam febris exacerbatio, quoad gradum & moram, ortum capere potest.

XV.

Causa hujus febris materialis proxima & primaria, eadem est, quam in præcedente designavimus.

SCHOL.

Sanguis nempe excessiva quantitate peccans, nunc specialiter & extra ordinem intestine commotus, qui ad productionem febris synochæ, qua talis, sufficere potest.

XVI.

Quod autem putrida inde synochus evadat, causa specialis est quærenda in discrasia sanguinis conjuncta, humorum temperatam & naturalem miscelam lædente.

SCHOL.

Hæc ordinarie esse solet discrasia sanguinis valde sulphurea, acris ita, ut ab illius præsentia sanguis quantitate peccans, simul valde tenuis, activus, expansus & mobilis evadat, & intestino motu p. n. aucto, ad dissolutionem properante, agitetur: unde sub hac febre non sola sanguinis imminutio, sed simul hujus materiæ sulphureæ secretio & excretio a natura intenditur. Neque diffitemur, quod aliquando speciale quoddam miasma ex aëre attractum, subtile, activum, fermentescibile, ad massam sanguineam accedens, eundem effectum producere possit.

XVII.

Occasionales causæ proximiores eadem sunt cum illis, quas præ-

præcedenti febri assignavimus; quibus præterea sanguinearum evacuationum naturalium suppressiones, aut artificialium neglectiones, adjungimus.

Febris catarrhalis benigna.

XVIII.

Febris catarrhalis benigna est febris continua, utplurimum vere vel autumno, horis vespertinis, cum horrore ægros invadens, quem æstus febrilis excipit satis tolerabilis: sub quotidianis remissionibus, novisque exacerbationibus vespertino tempore recurrentibus, decurrens, ad unum alterumve septenarium excurrens; causamque seroso-lymphalem agnoscens.

SCHOL.

Distinguit se hæc febris a continentibus per remissionem paroxysmorum quotidianam notabilem, & exacerbationem paroxysmorum sine frigore intercedente novo, tanquam omnium continuarum criterio communi. Benignitatem vero suam declarat lenitate febris, atque symptomatum febrilium, nec non eventu ordinarie salutari ac minus funesto.

Ordinarie hæc febris tempora vernalia & autumnalia servat, cum his anni temporibus secretiones & excretiones periphericæ facilius aliquod patiantur damnum, ac impuritates serosæ inde augeantur.

Periodus hujus febris non semper est eadem, dum aliquando ad primum, aliquando ad secundum septenarium durat, prout nempe causæ materialis multitudo, aut minor dispositio brevius aut longius tempus pro sui excretione poscit.

XIX.

Differt hæc febris tam a quotidiana continua, quam a catarrhali maligna.

SCHOL.

Ab illa respectu typi, ratione cujus hæc nostra simplex, illa vero composita existit, & per quotidianos frigoris intercedentis recursus

agnoſcitur. Ab hac, reſpectu cauſæ, ſymptomatum, atque eventus. Cauſa enim in noſtra benigna febri eſt mitior, lenior, neque malignitatem ſpirat, cum in illa materia peccans ſit acrior, ſubtilior, corruptionem majorem minitans: ideoque ſymptomata graviora, majusque periculum producens.

XX.

Subjectum hujus febris primario conſtituunt temperamenta phlegmatico-ſanguinea, aut ſanguineo-phlegmatica.

Schol.

In his enim præ aliis major ſemper adparatus præſto eſt materiæ peccantis feroſo-lymphalis, ad catarrhos, & catarrhales affectus in genere diſponens: tenerior quoque adeſt corporis habitus, qui facili negotio ab aëris injuriis externis alteratur. De reliquo tamen alia quoque temperamenta non penitus ab illius invaſione excluduntur, ſi nempe per cauſarum externarum occaſionalium vehementiorem acceſſum, ordinariarum ſeroſarum excretionum repentinam aut vehementem alterationem, turbationem, aut ſuppreſſionem patiantur.

XXI.

Cauſam materialem proximam conſtituit humor ſeroſo-lymphalis mucidus, in maſſa ſanguinea, aut circa nobilem aliquam partem, hærens, ex illis ſecernendus ac excernendus.

Schol.

Licet enim ex aliqua parte plethoram quoque accuſare liceat ut cauſam febris generaliorem, tamen hæc febris, qua catarrhalis, cauſam agnoſcit principaliter ſeroſo-lymphalem, mucidam, ſalſam, quæ diſcraſiam in ſanguine conſtituit, ſuique tempeſtivam emotionem urget: quæ, cum non ſemper ejus ſit conditionis, ut motibus ordinariis & quotidianis, tam propter quantitatem excedentem, quam ob ſpiſſitudinem, minoremque mobilitatem, obtemperare poſſit, in cauſa eſt, ut propter illam majores & extraordinarios natura ſuſcipiat motus, pro abſtergenda illa & educenda.

Nec

Nec tamen semper & solitarie hæc materia hæret in sanguinea massa, sed aliquando infarctum constituit in pectore, aut capite, & gravedinosa, aut tussiculosa symptomata producit, quæ motus febriles excipiunt. Cum autem hæc materia minus activa atque subtilis existat, febris quoque lenior esse solet, ita ut ante diem undecimum aut decimum quartum raro discedat.

XXII.

Causa antecedens quærenda est in impuritatum seroso-mucidarum & salinarum impedita secretione & excretione.

Schol.

Quodsi enim hæ impuritates semper in sufficiente quantitate, debitoque ordine, prompte excernantur, illarum copia in corpore crescere non potest: cum autem variis ex causis hæc secretio & eliminatio sufflaminetur, non potest non fieri, quin augeantur, aut in certis corporis locis accumulentur, ibique incommoda producant, & sui vegetiorem detrusionem poscant, quæ motibus his febrilibus, a natura susceptis, absolvitur.

XXIII.

Causæ occasionales ordinarie sunt excretionum serosarum suppressiones repentinæ & pertinaciores.

Schol.

Hinc videmus, proxime hanc febrem sæpissime excipere coryzam repente suppressam, sudores largiores repente cohibitos: aut supervenire infarctibus catarrhalibus pectoris, qui ad aliqualem jam excretionem pervenerant, nunc autem impeditiore successu laborant.

Nec minus scabies retropulsa primam sæpissime huic febri ansam præbet, aut tinea capitis & achores in ætate infantili & puerili, si forsan vel refrigeratione externa, vel intempestiva medicatione, per varia unguenta retrocesserint. Quando enim sudoris repentinæ contingunt suppressiones, præcipue corpore prius exæstuato, aut sudores quoque statarii annui quasi critici emanent, tunc sub plus quam tonica externæ peripheriæ strictura serum ad glandulas subcutaneas pro excretione jam

delatum, aut proxime deferendum, ad interiora retropellitur, partesque salinæ, mucidæ, sulphureæ, sanguini iterum admiscentur.

Id quod simili modo contingit ab exanthematum supra nominatorum retrocessione, ut hæc materia postmodum sub auctioribus motibus, propter plethoram, & hanc materiam nocivam a natura susceptis, tractu plurium dierum excernatur.

Febris cholerica.

XXIV.

Febris cholerica aut biliosa est febris acuta continua, cum horrore incipiens, quem æstus insignis sequitur, tempora exacerbationis ordinarie summo mane servans, evacuationes biliosas comites habens, ad inflammatoriarum speciem pertinens, symptomatibusque gravioribus stipata, ac periculosa.

SCHOL.

Quod hæc febris sit continua, elucet ex permutatione exacerbationis paroxysmorum, nulla intercedente intermissione, sed solum aliqua remissione, quæ tamen satis brevis esse solet.

Evacuationes biliosæ huic febri familiares sunt aliquando anotericæ solum per vomitus biliosos, aliquando catothericæ solum per diarrhœas ejusdem indolis concurrentes. Quodsi autem utriusque generis evacuationes simul contingant, & valide succedant, choleræ morbi titulus huic febri specialiter tribuitur: quæ evacuationes, si promte ac tempestive succedant, bonum eventum promittunt: sicut nimis tarde aut parce succedentes, funestum magis exitum arguunt. Ad inflammatoriarum speciem hanc febrem pertinere, ideo declaramus, quod partim causa materialis ad inflammationes producendas aptissima sit, partim horripilationes sæpissime sub leviore corporis motitatione recurrentes, (alias febribus inflammatoriis quasi propriæ) hic etiam utplurimum concurrant, partim quod post mortem, si cadavera aperiantur, intestina aut ventriculus inflammata ac sphacelata deprehendantur.

Gravitatem & periculum hujus febris declarant symptomata graviora, sub æstu vehementi, siti intolerabili, maximis capitis doloribus, præ-

præcordiorum anxietate cardialgica, vomitibus, diarrhœis, somni defectu, deliriis accedentibus: quæ tamen pro differentia gravitatis causæ quoque differre solent.

XXV.

Subjectum generale præ aliis constituunt cholerici, & cholerico-sanguinei, præcipue juniores.

Schol.

Hi enim particulas sulphureo-salinas, pro copiosa bilis generatione idoneas, abundanter in sanguine fovent, & præ aliis facillime tam ad iracundiam vehementiorem, quam ad motuum vehementiorum susceptionem proniores ac promptiores existunt, nec non respective plethoricum statum fovent.

XXVI.

Subjectum speciale est vel ventriculus, vel duodenum, vel intestina reliqua tenuia.

Schol.

Non quidem hic statuimus, dictas partes tanquam subjectum ipsius febris in se spectatæ, sed potius læsionis, a causa materiali proxima inductæ, quam aliquando ventriculus solus, aliquando duodenum, aliquando pars utraque, neque exceptis reliquis intestinis tenuibus, patiuntur, prout nempe in una aut altera illarum fixiorem formaverit sedem.

XXVII.

Causam proxime antecedentem, eamque continentem hujus febris, ponimus in leviore tunicæ interioris dictarum partium phlogosi, aut inflammatione superficiali.

Schol.

Testantur hoc symptomata ardoris & sensus molesti cardialgici circa interiora, cum faucium ariditate, & siti intensa, nec non deliriis.

XXVIII.

Causa materialis proxima antecedens est bilis in ventriculum aut intestina effusa, & tunicæ interioris substantiæ porosæ sese insinuans, nerveamque sensu molesto afficiens.

Schol.

SCHOL.

Hanc causam materialem præsto esse, nullum restat dubium, cum de illius præsentia immediata testentur biliosæ evacuationes, per superiora aut inferiora contingentes: ita tamen, ut in hac febre non adeo magna adsit bilis acrimonia caustica: aut alia materia simul in canali illo membranaceo præsens, acrimoniam bilis obtundens ac involvens, promtamque substantiæ membranosæ aggressionem impediens.

XXIX.

Causa occasionalis proxima ordinarie est vehemens iracundia, vel sub ciborum ingestione, vel proxime post illam, ante plenariam illorum digestionem, perpessa.

SCHOL.

Bilis enim tunc temporis in ventriculum & duodenum effusa, naturalem quidem possidet suum acorem, sed citius involvitur cibis, quam ad ipsam dictorum viscerum substantiam pertingit, & quamvis levior aliqua ipsius portio eò pertingat, hæc tamen superficialiter magis substantiam membranosam afficit, eamque magis exstimulat, ut motus excretorii promtius inde sequantur: ita ut causa materialis effectus minus caustici & inflammatorii in hac febre sit præsentia ciborum ac potuum, bilis acredinem involventium, atque læsionem continuitatis impedientium.

E quibus ita positis ac consideratis, facile quoque elucescit causa & nexus symptomatum essentialium, hanc febrem comitantium. Quemadmodum enim bilis in qualitate & quantitate naturali ad duodenum delata, semper stimulum quotidianum pro excretione alvina præbet, ita majore quantitate effusa, qualitatem tamen naturalem retinens, leviterque membranam nerveam afficiens & vellicans, motus in illa excitat tractorios & spasticos, unde motus peristalticus augetur, &, si ordinem ad inferiora servat, diarrhœam biliosam, si ordine inverso procedit, bilem versus pylorum & ventriculum propellit, vomitusque biliosos producit. Quodsi autem motus peristalticus modo sursum, modo deorsum vergat, (id quod utplurimum a copia bilis dependere solet) utraque excretio vegete procedere potest, & in morbo cholera procedere solet.

Febris

Febris biliosa ardens, seu causus.

XXX.

Causus est febris acuta continua inflammatoria gravissima, a bilis acrioris in primis viis effusione ac detentione ortum ducens, nullas evacuationes biliosas comites habens, gravissimis symptomatibus gravissimoque periculo stipata.

SCHOL.

Causus, sive ardens hæc febris, dicitur a summo æstus febrilis gradu, horrorem antecedentem excipiente, & conjuncto ardoris molestissimo sensu in partibus interioribus, unde gravissimam febrium biliosarum speciem constituit. Convenit cum præcedente ratione typi, dum similiter continua existit: ratione causæ generalioris, cum æque ac illa bilem causam materialem agnoscat. Differt autem ab illa gravitate symptomatum, quæ a gravitate causæ, tam continentis, quam materialis antecedentis, dependet: & utplurimum eventum funestum atque lethiferum comitem habet. Specialiter autem ab illa differt evacuationum biliosarum suppressione, dum bilis neque sursum, neque deorsum in hac febre ejicitur, sed pertinacius in primis viis incarcerata detinetur.

Inflammatoriam hanc febrem vocamus easdem ob rationes, quas sub antecedente titulo adduximus: acuta vero summo jure dicitur, cum ægrotantes non solum acute invadat, sed acute quoque jugulet, iique sæpe die quarto moriantur, ac raro septimum attingant diem.

XXXI.

Subjectum generale hujus febris constituunt personæ plethoricæ temperamenti cholerici, vel cholerico-melancholici.

SCHOL.

Quantum plethora & temperamentum cholericum ad febrem biliosam in genere contribuant, sub præcedente titulo jam dictum est: unde nunc tantum addimus, cholericos ad spasmos quoque proniores

 esse,

esse, æque ac melancholicos: atque ex hoc fundamento potissimum deducendas esse evacuationum biliosarum pertinaciores suppressiones, quæ tanto promptius succedunt, si ambo temperamenta simul concurrant.

XXXII.

Subjectum speciale idem existit, quod in antecedente febre declaravimus.

XXXIII.

Causa proxime antecedens & continens est actualis dictarum partium arrosio, & profunda inflammatio.

Schol.

Hac ex causa occurrit prima inter hanc & præcedentem febrem differentia: sicut enim in illa levior & superficialis inflammatio & phlogosis occurrit, ita in hac actualis læsio continuitatis præsto est: quæ, cum in partibus nobilioribus, & maxime sensibilibus sedem habeat, in causa est, ut major deinde sequatur sanguinis affluxus, ejusque, ob continuitatis læsionem, extravasatio & stasis, quæ ab acrimonia bilis acida in coagulationem, & facillimo negotio in corruptionem sphacelosam ruit.

XXXIV.

Causa materialis antecedens proxima est bilis acris & caustica, in ventriculo aut intestinorum tenuium canali hærens.

Schol.

Diximus in præcedente titulo, bilem in intestina ultra modum effusam, esse causam materialem proximam febris cholericæ, sine notabili respectu ad ejus acrimoniam. In causo autem adest longe major, & consideratione digna acrimonia acida & caustica corrosiva, minor vero materiæ ipsius effectum corrosivum impedientis præsentia, quin potius talis materia accedat in loco læsionis, quæ acorem bilis adhuc majorem reddere valet.

Id quod satis manifeste concludere licet e diverso invadendi modo; causus enim producitur, quando ægri ira excanduerunt vehementissima post ciborum ingestorum concoctionem, multo magis post illorum distributionem, & vacuis quasi existentibus intestinis.

Hic

Hic enim bilis effusa, vel per se acrior, substantiam ventriculi aut intestinorum promte & sine impedimento aggreditur, cum nulla in illis præsto sit materia, cui involvi possit, vel reliquiis ciborum potuumque acescentibus permiscetur, acoremque majorem contrahit acidum corrosivum, idque tanto facilius, tantoque gravius, quo magis cibi potusque ingesti fermentativæ & acescentis indolis extitere.

XXXV.

Causæ occasionales proximiores hujus febris sunt iracundæ commotiones animi gravissimæ, post ciborum concoctionem perpessæ: & errores diætetici aliquando simul commissi.

Schol.

Quodsi enim tunc temporis bilis in duodenum effundatur, quando a chymosa & chylosa materia liberum & vacuum existit, materia biliosa acrior & caustica tanto promtius substantiam intestinalem aggreditur, eique læsionem continuitatis affert. Ex altera parte suum quoque conferunt symbolum cibi aut potus fermentativi proxime assumti, ex fructibus horæis, vinis dulcibus, aut cerevisiis valde fermentescibilibus, ad acorem pronis. Horum enim reliquiæ, si cum bile conveniunt, acidam ejus acrimoniam adaugent, eamque penitus corrosivam reddunt, ut instar summi caustici substantiam intestinalem arrodere possit. His non immerito quoque adnumeramus corporis perfrigerationes, post prægressus ejus exæstuationes forsan perpessas, quippe quæ stricturis spasticis, detentioni materiæ biliosæ tanto majorem ansam præbent.

Febris scarlatina.

XXXVI.

Febris scarlatina est febris acuta continua, exanthematica benigna, a colore scarlatino, quo totum corpus perfunditur externum, nomen gerens, horrore febrili invadens, sub æstu continuo, ad unum septenarium decurrens, & post ardorem in cute cessantem, squammulas tenuissimas furfuraceas

ſecedentes relinquens, a ſanguinis abundantia & aliquali acrimonia ortum trahens.

SCHOL.

Decimus, hanc febrem acutam atque continuam eſſe, dum ad modum acutarum & continuarum, impetu ſatis vegeto, licet non enormi, decurſum ſuum brevi ſpatio unius ſeptenarii, imo aliquando ſemiſeptenarii abſolvit, nullaſque paroxyſmorum intermiſſiones format, ſed jugi continuitate, intercedente ſaltem remiſſione, decurrit.

Exanthematica autem dicitur, quoniam ſub hac febre excretio quædam peripherica contingit in ſuperficie cutis, poſt cujus efflorefcentiam, per aliquot dies continuatam, febris remittit atque ceſſat. Exſerit ſeſe hæc excretio non equidem per diſtincta quædam exanthemata puſtularia, aut maculoſa, ſed rubore intenſo æqualiter diffuſo, tam per totam faciem, quam per reliquam corporis peripheriam, cum aliquali habitus externi turgeſcentia æquabili, & ardore quaſi pruriginoſo.

Benignam hanc febrem declaramus, quoniam ſymptomatibus, malignitatem teſtantibus, ordinarie haud ſtipata exiſtit, nec ægrotantes hac febre ſuccumbunt.

XXXVII.

Subjectum hujus febris conſtituunt perſonæ plethoricæ, temperamenti ſanguinei, aut ſanguineo-cholerici, & ætatis puerilis, aut primæ juvenilis.

SCHOL.

In hac enim potiſſimum viget ſtatus plethoricus, & ſanguis floridior exiſtit, qui ad commotiones orgaſticas, atque febriles pronior eſt, præcipue ſi temperamentum cholericum concurrat, quippe quod particulis ſulphureis ac agilibus in ſanguine magis abundat.

Nec minus diſpoſitio habitus corporis hic multum contribuit: cum enim ſanguinis tenuitas, & partium ſpongioſarum mollities & laxitas inter ſe conſpirent, tanto facilius contingit, ut ſub accedente motu febrili, ſanguis quaſi univerſaliter ad peripheriam pellatur, & cum ſanguine

guine simul subtilior salino-sulphurea impuritas advehatur, quo tanto promtius per poros cutaneos sub motu illo jugiter continuato transpirare & exhalare possit.

XXXVIII.

Causa materialis proxima esse videtur sanguis, partim quantitate abundante in genere peccans: partim in specie nimis tenuis; & leviore acrimonia sulphurea aut salina imbutus.

Schol.

Id quod adparet, tam ex subjectis plethoricis, quam ex ardore, summoque rubore, quo pannum scarlatinum cutis æmulatur, & denique ex ipso effectu ultimo, quo febris & efflorescentia peripherica tandem transpiratione paulo largiore, aut in maxime adsuetis hæmorrhagia narium critica terminatur, & sub illa auctiore transpiratione cuticulam quasi in furfures leniores solvit, ejusque secessionem relinquit.

XXXIX.

Causam remotiorem antecedentem constituunt omnia, quæ partim plethoram augere, partim eandem commovere, partim denique impuritates salinas sulphureas augere possunt.

Schol.

Referimus itaque ad hanc classem causarum errores diæteticos, circa ejus plenitudinem lautamque indolem commissos: sanguinis exæstuationes, tam a potibus calidioribus, quam a motibus corporis exagitatoriis, & aëris externi calore dependentes: hæmorrhagicarum excretionum adsuetarum suppressiones; unde videmus, illa subjecta potissimum hac febre corripi, quibus in prima ætate narium hæmorrhagiæ emansère, aut in sexu fœminino menses suppressi fuère.

Febris papularis.

XL.

Febris papularis, quæ ab aliis quoque purpura urticata *vocatur, est species febris acuta atque benigna exanthematica, a san-*

a sanguinis commotione extraordinaria oriens, exanthemata papularia (quasi cutis utrica tacta fuerit) cum ardore & pruritu summo, formans.

SCHOL.

Acutam vocamus hanc febrem, quoniam acutarum modo ægros invadit horrore, leni quidem, quem æstus excipit, cum capitis gravativo dolore, ac inopinata faciei ac peripheriæ corporis intumescentia, & brevi satis periodo etiam decurrit: dum ultra quatuor dies raro durat, frequentius vero breviori adhuc tempore decursum suum absolvit.

Febrim ipsam quod attinet, ordinarie illa ita levis & brevis existit, ut fere nomen febris non mereatur, cum utplurimum totus affectus paucis horis, sex nempe aut duodecim, absolvatur. Interim, cum aliquando contingat, ut febrilem typum affectus assumat, & aliquot paroxysmis repetitis recurrat, quos tunc quotidie servare solet, & per tres quatuorve dies continuare, ad febrium classem relatus est, de qua tamen dicere fas est, quod ratione typi vaga vocari mereatur.

Benignam vocamus, quoniam ordinarie adeo benigna est, ut ægri orthostadii, ad minimum per intervalla, esse possint, neque unquam fere sub illa moriantur, licet hoc non negandum sit, quod, sub frivole admissis refrigerationibus, anxietates præcordiorum pariat. Interim Nenterus hanc febrim, se aliquando & epidemicam, & malignam observasse, notavit: id quod propria observatione hactenus confirmare non possumus, interea tamen observationis veritati quidquam detrahere nolumus, cum in specie epidemicæ constitutionis concurrentis mentionem faciat, ubi tamen negare non possumus, ex ipsa relatione historica probabiliter concludendum esse, hanc febrem magis inflammatoriam fuisse, exanthematum autem illorum concursum magis pro accidentali, quam essentiali, habendum esse.

Exanthematica hæc febris audit, quoniam sub hoc affectu, exanthemata, in cute adparentia, adspectui se sistunt, in forma tuberculorum, aut etiam vibicum, longiorum ac latarum, indistinctæ magnitudinis, coloris pallidioris, interstitiis tamen depressis rubentibus, pruritum ac ardorem inferentia, quasi urtica recente corpus tactum fuerit.

XLI.

XLI.

Subjecta huic febri obnoxia sunt itidem corpora plethorica, & præ aliis juniora.

SCHOL.

Quamvis quidem juniores utplurimum huic adfectui subjiciantur, nihilominus etiam haud raro provectioris ætatis personæ, si plethoricæ fuerint, hac febre corripiuntur, præcipue habitum corporis possidentes inter laxiorem & strictiorem quasi intermedium, qualis sanguineo-cholericorum, & sanguineo-melancholicorum est. In his enim sanguis satis adhuc tenuis est, ut in partes spongiosas impelli possit, cum tamen aliqua dispositio major in his temperamentis occurrat, ad spasticas constrictiones subeundas, hinc facilius vibices illæ, tanquam particularis stricturæ intercurrentis indicia ortum trahunt. Quod enim exanthemata elevata distincta, modo majora, modo minora formet, id dependere existimamus a motu partium solidarum quasi mixto: dum nempe ab interioribus sanguis movetur ad exteriores, in his autem spastica strictura intercurrens, non tamen æqualis, nec fortior concurrit, ita, ut quædam cutis exterioris fibræ relaxatæ, aliæ vero strictæ existant, quarum illæ elevationes ac vibices concedunt, hæ vero depressa spatia formant.

XLII.

Causam materialem bujus febris eandem agnoscimus in genere, quam in priore accusavimus, quantitate tamen & gradu minorem ac leviorem.

SCHOL.

Id ipsum docet subjectorum conditio, quæ tam de sanguinis abundantia, quam de ipsius aliquali discrasia sulphurea testantur.

XLIII.

Neque alias accusare possumus causas occasionales, quam quæ sub præcedente febre indigitatæ fuerunt.

Febres

Febres contagiosæ & malignæ.

I.

Febres contagiosæ & malignæ sunt febres acutæ & continuæ, quæ vel ex epidemica aëris constitutione populariter grassantur, vel ex specialissima materiæ peccantis indole, gravioribus, ac utplurimum lethalibus symptomatibus, citra respectum individualis dispositionis concurrentis stipatæ, & propter materiam, putridam corruptionem minitantem, susceptæ sunt, ac facile, imo ordinarie, per contagium vel universale vel particulare, aliis subjectis communicantur.

Schol.

Acutas & continuas has febres esse, asserimus, quoniam ex morborum historia notissimum est, chronicas & intermittentes febres, neque malignitatem, neque contagium, (quod tamen præcipuum malignitatis febrilis indicium est) comitem habere: quamvis enim a quibusdam intermittentibus quoque aliqualis malignitas adscribatur, id tamen sensu saltim latissimo adplicari potest, & potius de harum febrium anomalia, quam de vera illarum malignitate dici debet. Licet enim intermittentes sæpissime epidemicæ sint, & populariter grassentur, sola tamen epidemia non malignitatem testatur, sed hujus præsentia partim ex contagio, partim ex gravissimorum symptomatum concursu ac deleterio, in putredinosam corruptionem tendente, eventu communiore præsumitur.

Sunt autem symptomata, febris malignitatem declarantia, varia, satisque multa, quorum non omnia semper in omnibus subjectis, sed in aliis pauciora, in aliis plura, occurrunt, eoque ipso majorem minoremve malignitatis gradum declarant. E quibus tamen maxime prælucent virium prostratio insignis, in primo statim morbi initio, citra caussas manifestas occurrens: Vigiliæ pertinaces, atque hinc deliria graviora: variæ excretiones, præsertim sibi invicem contrariantes: pulsus debilitas & inæqualitas: lipothymiæ: convulsiones: insensibilitas citra neces-

cessaria, ita ut ægrotantes sub æstus exacerbatione neque sitim, neque capitis dolores, vel quocunque tempore, neque excretiones ordinarias advertant.

Affectus soporosi & comatosi: plurium exanthematum, specie diversorum, concursus: exanthematum, licet ordinariorum, vel præmatura & impetuosa eruptio, vel minus constans duratio, aut facilis ac vaga retrocessio: sub quibus omnibus præcordiorum anxietates, animi desperabunda dejectio, & rerum alias æstimatione notabili prosecutarum inadvertentia & neglectio, concurrere solent, nec minus secretionum & excretionum debitarum defectum junctum habere.

II.

Febres contagiosæ semper sunt malignæ.

Schol.

Cum enim ipsum contagium ad principaliora malignitatis febrilis signa referatur, nullum restat dubium, semper malignitatem adesse, ubicunque contagiosa febris indoles animadvertitur.

III.

Febres malignæ non semper sunt contagiosæ.

Schol.

Notandum est merito de hisce febribus, quod equidem valde frequenter, verum tamen non semper, & pari respectu sibi invicem junguntur atque concurrant.

Malignitatis enim causæ alio tempore esse possunt universaliores atque communes, in ipsa causa materiali proxima totius febris hærentes, tunc quoque contagium causantes, quæ alio tempore plane individuales sunt, & a particulari humorum discrasia, ejusque cum illa causa universaliore concursu, dependent.

Unde e g. febris catarrhalis, quæ sporadice aliquando grassatur, & toto genere benigna existit in plurimis subjectis, hoc non obstante, eodem tempore certo individuo uni aut alteri, maligna ac deleteria esse potest, ob specialem hujus individui dispositionem cacochymicam, aliamve morbosam in corpore ante accessum febris præexistentem, & neque per contagium allata, neque per contagium ulterius propagata observatur.

IV.

Differunt hæ febres malignæ inter se notabiliter gradu malignitatis.

Schol.

Aliæ enim harum febrium ab essentia sua malignæ dici merentur, quippe quæ ex sua essentia, semper & sine exceptione malignitatem suam declarant, quotiescunque occurrunt: ad quarum classem merito pestem, febresque pestilentiales, & post has, petechialem veram referimus: de quibus notorium est, quod non modo gravissimis symptomatibus malignitatem testantibus, sed maxime quoque funesto & deleterio eventu in quamplurimis personis indolem suam prodant.

Aliæ vero mitioris indolis existunt, ita ut de illis statuere fas sit, quod equidem ex causæ materialis indole, ad malignitatem pronæ existant, facile sub causarum, materiam malignam exaltantium concursu revera malignæ evadant, verum his causis deficientibus, frequenter etiam satis benigne, & sine specialis malignitatis indicio occurrant atque decurrant: licet in comparatione ad reliquas benignas, simpliciter tales, propter hanc dispositionem malignarum titulum mereantur. Ad harum classem merito referimus febrem petechizantem, purpuram, variolas atque morbillos, de quibus quotidiana experientia loquitur, quod, si malignitatem exserant, ordinarie talem exaltationem & exacerbationem causæ, vel a regimine & methodo, vel a peculiari aëris epidemica constitutione experiantur.

V.

Differunt porro hæ febres respectu præsentiæ exanthematum.

Schol.

Sunt enim ex illis, quæ semper exanthematibus stipatæ sunt, nec unquam sine illis occurrunt, & ex parte ab illis denominationem suam habent: quorsum referenda est pestis, febrisque pestilentialis, in quibus vel anthraces, vel bubones, vel maculæ petechiales adparent: febris petechialis, variolæ, purpura atque morbilli.

Siquidem ex altera parte febres quoque malignæ & contagiosæ occurrunt, quibus exanthemata vel plane non solennia, vel ad minimum

mum æque infrequentia existunt: & huc referimus febrem petechizantem, exinde nomen suum habentem, quod maculæ petechiales quandoque adsint, aliquando vero absint, præsente tamen eadem febris essentiali specie & typo: pertinent huc quoque tam catarrhalis maligna & Hungarica, seu castrensis, a loco natali, modoque primæ communicationis & propagationis ita dicta, quam febres compositæ, malignitatem aliquando conjunctam habentes.

VI.

Subjecta, his febribus in genere præ aliis facilius obnoxia, graviusque decumbentia, sunt personæ, quoad ætatem juniores, plethoricæ, & quoad temperamentum floridiores & activiores.

Schol.

Ut enim taceamus pronitatem ac facilem proclivitatem ad suscipiendum motus, qua juvenes & activæ personæ gaudent præ senioribus, & segnioribus, juniores, etiam majore ordinarie laborant plethora, quæ per se motus extraordinarios solidarum ac fluidarum partium minus tolerat, iisque impedimento esse solet; tanto magis autem in statu præternaturali, ubi materia peccans præsto est, corruptionem corpori minitans, suique tempestivam excretionem postulans, hanc summe necessariam excretionem ultra modum retardat, impedit ac sufflaminat, ut tanto graviores noxæ inde emergant: unde vulgus æque ac Medici observare solent, corpora illa apparenter robusta, quadrata & succi plena, graviori periculo sub ejusmodi febribus subjacere.

Ratione temperamenti floridioris & activioris, hic maxime in considerationem veniunt sanguinei, sanguineo-cholerici, & sanguineo-phlegmatici; hi enim omnes spongioso gaudent corporis habitu, & sanguine mobiliore. Quod autem floridi, & spongiosi habitus personas huc referamus, id ex duplici fit ratione: quoniam hæc corpora, propter pororum fibrarumque laxitatem magis disposita sunt ad receptionem materiæ peccantis miasmaticæ, cum aëre advenientis, per corporis peripheriam, & licet non solitarie per poros hæc materia corpus ingrediatur,

ſed etiam mediante inſpiratione atque ſaliva deglutita advehatur, ſub motuum ſecretoriorum validiorum (quos quidem prompte ſuſcipiunt) continuatione, ob eandem fibrarum mollitiem & laxitatem, citius atoniam incurrunt, & virium motricium debilitatem patiuntur, unde iterum ſecretionum & excretionum debitarum ſucceſſus infringitur, materia noxia diutius, quam par eſt, in corpore detinetur, cum humoribus circumpellitur, iisque tanto promptius labem corruptionis affricare poteſt.

VII.

In ſpecie tamen certæ ætates, certis quoque harum febrium ſpeciebus præ aliis ſubjacent.

SCHOL.

Hoc intuitu variolæ atque morbilli in ſpecie morbi infantiles ac pueriles vocantur, cum longe frequentius faciliusque infantes puerosque corripiant, quam adultiores: cum e contrario reliquæ hujus cenſus febres, ſine tali ſpecialiſſimo reſpectu ætatis, homines corripiant.

VIII.

Cauſam materialem proximam febrium malignarum & contagioſarum in genere conſtituit miasma aliquod peregrinum.

SCHOL.

Sub hoc miasmatis titulo intelligimus materiam aliquam peregrinam, & mixtioni animali plane contrariam, ordinarie in corpore non exiſtentem, ſed aliunde advenientem, ſeque humoribus noſtri corporis immiſcentem.

IX.

Materiæ hujus miasmaticæ indolem magis a poſteriori & ab effectu, quam a priori explicare & declarare poſſumus.

SCHOL.

Cum enim quotidie videamus, contagii materiam ab uno corpore alteri communicatam, non eſſe viſibilem, multo minus palpabilem, ſed inſciis ac invitis, non advertentibus hominibus, corpus intrare; eandem præ-

præterea probabilissime pauca, imo paucissima quantitate, ad corpus deferri: multorum tamen atque graviorum motuum authorem evadere: & tandem effectum suum proximum, (si in corpore maneat) corruptione, vel actu putredinoso-fermentativa, vel inflammatoria, vel exulceratoria exserere, prout nempe specifica miasmatis morbosi constitutio id concedit.

Exinde merito colligimus, materiam miasmaticam esse 1. tenuissimam, atque halituosam, ut sub halitus subtilioris ac incomprehensibilis forma corpus intrare possit.

2. Quod sit indolis activæ, & modo agilioris, modo agilissimæ, ut paucissima licet quantitate admissa, semel vel ad humores, vel ad partem quandam nobiliorem delata, nec tempestive iterum expulsa, ipsius corruptionem dissolutoriam certissime post se trahat, aut minetur.

3. Quod in specie sit corruptoria, & mixtioni animali e diametro contraria atque noxia, & nisi in corpore vivo, ad minimum tamen in mortuo, putredinem promptissime producens.

4. Quod hæc materia peccans per artem humanam non sit corrigibilis, aut alterabilis, sed solis motibus secretoriis & excretoriis, tempestive tamen, constanter, & placide adornatis, expugnabilis.

X.

Hæc materiæ morbificæ consideratio sufficere potest ad scopum medico-therapeuticum.

Schol.

Etiamsi hujus materiæ texturam specificam, & physicam a priori exquisite determinare non valeamus, nullum tamen exinde redundat damnum in curationem harum febrium: hæc enim ipsius, quam suppeditavimus, contemplatio notanter Medico indicat, quid ipsi circa illam agendum, quidve omittendum aut evitandum sit: nec ullo modo majus respectu therapiæ emolumentum ipsi accrescet, etsi physicam ipsius texturam ac indolem perspectissimam haberet, cum ad minimum ob brevitatem temporis, & activitatem materiæ, ejusque tenuitatem summam, nullam ipsius correctionem aut alterationem materialem ac essentialem suscipere, aut obtinere posset.

XI.

Causam remotiorem materialem quærimus merito in putridis terræ exhalationibus, aëris athmosphærico communicatis, & per consequens in aëre particulis peregrinis miasmaticis referto & inquinato.

SCHOL.

Ordinarie enim videmus, contagiosas atque malignas ejusmodi febres non omni tempore, aut anno, grassari, sed certam aliquam aëris constitutionem sequi, sive illa specialis constitutio universaliores, sive particulares causas antecedentes agnoscat, quæ tamen in eo inter se conveniunt, ut generaliter ad motum intestinum putridum disponant.

XII.

Ad universaliores ejusmodi causas concurrentes referimus tempestates pluviosas, ulidas, & simul calidas, aut potius tepidas, ventorumque vegetiorum & ficciorum defectum.

SCHOL.

Cum enim superfluæ humiditates vehiculum motus fermentativi constituant, a calore autem particulæ sulphureo salinæ partim suppeditentur, partim commoveantur, hinc deficientibus ventis, has particulas cito difflantibus & dispergentibus, oritur earundem quasi stagnatio in aëre, majorque intestina commotio: unde, si postmodum cum aëre, sine quo vivere non valemus, nostra aggrediantur corpora, in illis humorum alterationes, & mixtionis similes corruptiones post se trahunt.

Hinc non minus loca ulida, humida, ventorum calidiorum tractui exposita, majorem dispositionem habent, ut febres malignæ atque contagiosæ frequentius in illis observentur.

XIII.

Causam magis specialem & particularem antecedentem constituunt effluvia contagiosa, ab aliis corporibus putridis, jamjam præsentibus, emanantia.

SCHOL.

SCHOL.

Hujus generis ſunt effluvia cadaverum putridorum in genere, vel in ſpecie morbo ſimili contagioſo & maligno extinctorum; qua ratione videmus, febres ejusmodi malignas frequentius ortum capere poſt clades & cædes graviores caſtrorum, ſi præcipue corpora occiſa vel nimis diu, tempeſtate exiſtente calida, inſepulta maneant, vel non ſatis profunde ſepeliantur, etſi ſana de cætero fuerint corpora. Multo magis certiusque autem hoc contingit, ſi febres putridæ malignæ antea jam in caſtris graſſatæ fuerint.

Peſtis, & febres peſtilentiales.

XIV.

Peſtis eſt febris ſumme acuta, maligna atque contagioſa, exanthematibus peculiaribus ſtipata, a miasmate peregrino putredinoſo ſubtiliſſimo oborta, quod mixtionem animalem putredinoſa corruptione proxime deſtruere valet, epidemice graſſans, & plurimos ægrotantium jugulans.

SCHOL.

Peſtem in genere ad febres pertinere, ſatis evincunt phænomena circa illam occurrentia, & excretiones, quas cum febribus communes habet, periphericæ: etiamſi enim aliquando exempla legantur de peſte ſine febre, hæc vel ad plane extraordinaria pertinent, vel plane dubia ſunt, cum plurimæ obſervationes de peſte, cum & ſub febre oberrante, teſtentur.

Summe acutam hanc febrem eſſe, teſtatur acuta ipſius invaſio, brevisque ipſius periodus, qua ægri utplurimum ex improviſo peſte corripiuntur, graviter decumbunt, & pauciſſimis diebus vel evadunt, vel iisdem imo paucis horis, ſuccumbunt, & moriuntur.

Malignitatem peſtis teſtantur ſummum contagium, lethalis ac ſumme funeſtus apud plurimos eventus, graviſſima ſymptomata, malignis febribus in genere familiaria, hic autem gradu majora: Exanthemata alias minus conſueta & inſolita, anthraces nempe, bubones, & maculæ petechiales extraordinariæ & inſolitæ magnitudinis.

Quod

Quod a materia miasmatica peregrina putredinosa ortum capiat, & epidemice grassetur, id apparet ex effectu putredinoso, quem semper inducit, vel in corpore vivo sub carbunculis pestilentialibus, in sphacelum abeuntibus, vel in defunctis sub putredine, mox post mortem invalescente, & rigorem emortualem impediente: sicuti generationem pestis a miasmate adventitio, nec unquam domestico, magis testatam facit, rarior ipsius, per DEI gratiam, existentia, & quod nusquam sua sponte ex intrinsecis domesticis quasi, & in humoribus generatis causis, sed post suppeditatas aliunde causas, per effluvia aliena aëri, & per aërem corpori communicatas, oriatur.

XV.

Febris pestilentialis ab ipsa peste stricte dicta, differt non essentia, sed gradu.

Schol.

Hinc febris pestilentialis titulus tali competit febri acutæ & malignæ, quæ non modo instar pestis a simili miasmate oritur, sed periodo breviore reliquas continuas febres longe antecellit, respectu exanthematum, symptomatum, & lethiferi eventus, proxime ad pestem accedit, tardiore tamen gradu, & diutiore duratione notabilibusque paroxysmorum formationibus a peste ipsa sese distinguit.

XVI.

Subjectum pestis & febrium pestilentialium, respectu ætatis, sexus, aliarumque circumstantiarum, difficulter est determinabile.

Schol.

Videmus enim, his affectibus corripi sine discrimine, juniores æque ac seniores, infantes ac pueros, viros & fœminas, virgines ac maritatas, gravidas, & uterum non gerentes: nec temperamentorum plane distinctus concursus hic observatur, quamquam negari nequeat, quod facilius miasma contagiosum recipiatur, ac majore difficultate superetur a temperamentis laxioribus, spongiosis, plethoricis, & cacochymicis, cujus phænomeni ratio ex antecedentibus facile patet.

XVII.

XVII.

Causam materialem constituit miasma pestilentiale, per contagium aliunde communicatum.

Schol.

Id quod obtingit, quando a corporibus peste correptis, tam vivis, quam eadem oppressis & putrescentibus, effluvia ejusmodi maligna putrida exhalant, aëri permiscentur, & cum aëre, etiamsi illum non totum inquinent, tanquam commodissimo vehiculo, ab uno corpore ad aliud, ab una domo ad aliam, & ita ad plura loca successive vehuntur.

Et quamvis non negandum sit, hoc pestilentiale miasma non semper cum aëre immediate ad alia loca deferri, sed etiam mediantibus vestimentis laneis ac lineis, aliisque utensilibus, aut mercibus aliorsum transportari, tamen rationi consentaneum esse arbitramur, quod ad minimum potissimam partem, mediante aëre, primo ad illas merces, eaque utensilia perveniat miasma illud pestilentiale: cum non omnes illæ res, quibus adhæret, & cum quibus transportatur, ejus sint conditionis, ut immediate per contactum ægrotantium, sudorem, contrectationem, aut alia hujus generis via, inquinari potuissent.

Febris petechialis, & petechizans.

XVIII.

Febris petechialis est febris acuta continua maligna, & exanthematica, maculis rubris, ictuum pulicum instar, ab aliis exanthematicis sese distinguens, ob causam malignam excitata, frequentissime lethifera.

Schol.

Hanc febrem de acutarum & continuarum classe esse, nullum subest dubium, declarante id ipsius periodo, & typo.

Exanthematicam illam esse, testantur maculæ, in superficie cutis, præsertim circa collum, humeros, manuumque carpum, aliisque corporis locis, efflorescentes, formam ac faciem morsuum pulicum referentes, a quibus stigmatis tamen defectu distinguuntur.

Malignitatem suam ordinarie declarat, tam ipso contagio, quo facillime

cillime aliis communicatur, quam generaliter eventu deleterio, quo in plurimis ægrotantibus ſtipata exiſtit, & denique ſymptomatibus gravioribus, aliis malignis communibus.

XIX.

Febris petechizans eſt ſpecies acutarum continuarum, & malignarum, non exquiſite maligna, nec ſemper & exquiſite exanthematica, a leviore cauſa, quam petechialis vera, ortum ducens.

SCHOL.

Contradiſtinguimus merito hanc febrem veræ petechiali, varias ob differentias, circa utramque occurrentes. Præter ea enim, quod ordinarie cum catarrhali maligna pro eſſentialiter una habeatur, occurrit 1. differentia gradus malignitatis, quippe quæ hic longe levior exiſtit, quam in petechiali: 2. diverſitas humoris, ſpecialiter a miasmate morboſo affecti, dum hic potiſſimum lympha, in petechiali autem primario ſanguis, ſubjectum cauſæ conſtituit: 3. differens frequentia exanthematum, quæ ad petechialem eſſentialiter, ad petechizantem quaſi accidentaliter pertinent, ita ut petechiæ in petechiali emanentes, poſitivum damnum inducant; quod in petechizante non obſervatur, dum plurimi ægrotantium exanthemata non experiuntur, & tamen non minus feliciter febrem ſuperant, haud raro autem contingit, ut proventus macularum occaſionalibus cauſis ſit adſcribendus: 4. differentia quoque eventus lethiferi: quamvis enim utraque febris periculo non careat, gravius tamen, & quaſi univerſale periculum premit petechialem veram, præ petechizante.

XX.

Subjecta utriusque hujus febris ordinariè ſunt eadem, quæ §. VI. declaravimus.

SCHOL.

Sic enim corpora quoad habitum exteriorem laxiora, & molliora, ex una parte miaſma illud morboſum facilius admittunt, atque recipiunt, ex altera autem propter fibrarum mollitiem ejus promtiori expulſioni, & excretioni non ſufficiunt, unde diutius in humoribus moram agendo, facilius illorum mixtionem deſtruere poteſt.

Nec

Nec minus ſtatus plethoricus ad difficiliorem miasmatis excretionem, & ſeceſſionem ab humoribus confert: dum materiæ movendæ multitudo motibus non reſpondet, eosque tardiores efficit: aut ſi cauſæ, orgaſmum ſanguinis & plethoræ commotionem excitantes, vel ex diæta prægreſſa, vel ab animi pathematibus, vel a medicamentis, accedant, materia miasmatica tanto firmius humoribus irretitur, & via excluſionis præcluditur.

XXI.

Cauſam materialem proximam febris petechialis ponimus in miaſmate ſubtili ſalino-ſulphureo, maſſæ ſanguineæ ex aëre communicato.

Schol.

Hujus materiæ effectus in ſanguine eſt diſſolutorius & fermentativus inteſtinus motus, ſanguinem ita inteſtine exagitans, ut quaſi portiunculæ ab illo ſecedant, & ſub cute ſtagnationes minores forment, ſub quibus tamen miaſma illud malignum ſimul ad cutem defertur, & per illam ejicitur. Et quamquam hæc materia, quoad eſſentiam, in genere cum miaſmate peſtilentiali convenire poſſit, notorie tamen differentia gradus activitatis aut ſubtilitatis intercedit, quæ quidem in corpore noſtro eandem eſſentialem energiam diſſolutorio-putredinoſam exſerere valet, ſed tardiore ac leniore gradu incedit; id quod adparet ex leniore invaſione, diutiore duratione, tam totius febris, quam ſymptomatum periculoſorum, exanthematum ſimplicitate, & minore ſtrage, quam in comparatione cum antecedentibus edit, licet effectus in genere ſit valde ſonticus & periculoſus, & ſpecialiter, ſi morbus naturam ſuperet, putredinoſus diſſolutorius.

De reliquo minus cum quibusdam ſolliciti ſumus, an cauſa hæc materialis ſpecialiſſimam aliquam poſſideat figuram, ſalibus acribus, acidis & corroſivis ſimilem, fibras ſanguinis diſcindentem, totamque ipſius maſſam atque compagem hoc pacto diſſolventem, & corruptionem maſſe humorum producentem: an vero verminoſæ, aliusve indolis exiſtat; cum ficta talia atque ſuppoſita ſaltim pro ſtabiliendis certis hypotheſibus inſerviant, nequaquam autem ſufficiant, ut exinde certus verusque aliquis nexus indicationum curatoriarum, cauſis adæquatus, elici valeat.

XXII

In petecbizante aut catarrbali maligna eandem quidem ſupponimus materiam miaſmaticam, ſed partim pauciorem, aut gradu activitatis debiliorem: partim ſpecialiter magis lympba & ſero, quam ipſi ſanguini inbærentem.

SCHOL.

Adparet hoc exinde, quod hæc febris principaliter ſit catarrhalis, & cauſas catarrhalium agnoſcat, in hanc vero malignam & exanthematicam quaſi degeneret, ex acceſſu materiæ miaſmaticæ, & malignitatem ſecum vehentis: unde quoque excretio exanthematum vaga eſt, ita ut modo plane deficiat, modo adſit, modo etiam ſub purpuræ forma adpareat.

XXIII.

Cauſam occaſionalem ſæpe conſtituunt variæ corporis alterationes, ab aëris viciſſitudinibus perpeſſæ.

SCHOL.

Sic v.g. in cauſa eſſe poteſt enormis æſtivus calor, eumque excipiens repentinum frigus. Cum enim ſub calore eximio humores noſtri corporis valde exagitentur, atque abhinc in particulas ſalino-ſulphureas facile reſolvantur, quæ tanquam noxiæ tempeſtivam ſui excretionem poſtulant, acceſſus frigidæ auræ, hanc excretionem, per corporis peripheriam contingentem, impediendo, damnum, mixtioni animali adfert particulas illas in maſſam humorum retrudendo, quæ, ſi cum effluviis miaſmaticis concurrant, communem cum illis cauſam faciunt, tantoque graviora damna ſanitatis producunt.

Sic etiam pluvioſæ & frigidulæ tempeſtates, vernali & autumnali tempore familiares, ad affectus & febres catarrhales in genere diſponunt, quibus ſi ſpecialia miaſmata & effluvia jungantur, catarrhales malignæ, ſeu petechizantes, inde ex complicatione cauſæ, originem ducunt.

Variolæ.

XXV.

Variolæ ſunt febris acuta continua & exantbematica ſpe-

ſpecies, exanthemate puſtulari apoſtematico-ulceraſcente, ab aliis exanthematicis ſeſe diſtinguens, per contagium facile propaganda.

SCHOL.

Loquimur hic de variolis veris, & ſtricto nomine ita dictis, de quibus univerſalis obſervatio teſtimonium præbet, quod ſub febrili typo atque periodo continuarum & acutarum decurrant; quamvis in uno altero ve ſubjecto gradus hujus febris adeo mitis ſit, ut vix ægrotare varioloſos infantes dicere fas ſit.

Contagioſas eſſe variolas, iterum quotidiana obſervatio docet, dum non modo ab Ill. Stahlio notatum eſt, totum variolarum proventum in genere Afris deberi, easque ab illis ad Europæos per contagium translatas eſſe, ſed toto die videmus, quod variolæ, quando graſſantur, ordinarie per contagium alterius propagentur, hac tamen intercedente differentia, ut ordinarie unus homo ſemel ſaltim per vitam hoc contagio adficiatur, & valde rarum ſit, pluries ab illo unum eundemque hominem affici.

Exanthema puſtulare eſſe dicimus, ab ipſius figura externa, qua ſeſe diſtinguit a morbillorum figura ſemilenticulari, febre papulari, & maculis petechialibus: cum autem ſub puſtulari forma aliquam cum purpura miliari habeat convenientiam, notandum eſt, has puſtulas varioloſas, in principio eruptionis quidem minores eſſe, de die in diem vero majores fieri, die ſeptimo in ſuppurationem abire, tandem ruptas eſcharam formare, & plerumque veſtigia exulceratæ cutis poſt ſe relinquere, id quod purpuræ nunquam familiare exiſtit.

XXV.

Diſtinguuntur variolæ a quibusdam in diſtinctas, & confluentes: infantum, & adultorum: benignas & malignas.

SCHOL.

Verum equidem eſt, variolas veras modo apud infantes, modo apud adultos occurrere: modo diſtinctas, & diſtincte per corpus diſtributas, modo confluentes & inſigni copia adeſſe: modo benigniores, modo maligniores adparere: verum licet omnes hæ circumſtantiæ medici attentam conſiderationem mereantur, nequaquam tamen diverſas efficiunt

 vario-

variolarum ſpecies, in hiſtoria morborum multiplicandas, manent enim ſemper eſſentialiter eædem variolæ, & febris continua exanthematica.

Reſpectu enim ætatis non differt morbus, ſed ſubjectum morbi, quod etiam reſpectu temperamentorum differre poteſt: quemadmodum ratione diſtinctionis aut confluxus variolarum ſymptoma ſaltem differt, quæ differentia utplurimum a cauſis occaſionalibus, regiminis, medicationis, tempeſtatis, ſtatus plethorici, rarius autem ab eſſentia morbi dependet.

Malignitatem & benignitatem quod concernit, hæc comparativa eſt; licet enim variolæ alio atque alio tempore benignæ adpareant, nunquam tamen omni malignitate intrinſeca carent, ita ut ab occaſionalibus cauſis turbatæ, malignitatem non exſererent, licet alio tempore, citra talem occaſionalium cauſarum acceſſum, epidemice quaſi hanc malignitatem ſecum ferant.

XXVI.

Subjectum variolarum generale exiſtunt ordinarie, præ aliis, infantes & pueri: extra ordinem, adulti & ſeniores.

SCHOL.

Dicuntur itaque variolæ morbus infantilis, quoniam experientia & quotidiana obſervatio teſtis eſt, non modo infantes, ac pueriles ætatis perſonas longe frequentius, ſed longe facilius quoque illis decumbere, quam adultiores aut ſenes. Id quod potiſſimum adſcribendum eſſe videtur, partim copioſiori lymphæ in hac ætate præſentiæ, in qua potiſſimum miaſma illud varioloſum hoſpitatur: partim laxitati & mollitiei cutis, quæ faciliorem variolarum eruptionem & ſuppurationem concedit: partim denique libertati animi, tunc temporis magis vigenti, ſub qua motus ſecretorii & excretorii liberius & majore tranquillitate ſuccedunt. Interim non adeo raro contingit, ut etiam adultiores, imo ſenes, variolis ægrotent, ſub quibus tamen ſemper comparative majori periculo ſubjacent, gravioribusque ſymptomatibus premuntur, eoque ipſo teſtantur, hunc morbum ætati infantili magis congruum exiſtere.

XXVII.

Subjectum variolarum ſpeciale eſt habitus corporis externus, & in ipſo cutis.

SCHOL.

Schol.

Hic nempe pustulæ illæ ulcerascentes ordinarie sedem suam non modo habent, sed habere debent; materia enim variolosa ad ulcerascendum disposita, nullibi commodius tutiusque excerni potest, quam per glandulas subcutaneas, quippe quæ exulcerationem illam præ nobilioribus atque internis partibus facilius tolerare possunt. Si autem extra ordinem contingat, ut internæ nobiliores partes, tanquam sensibiliores, ejusmodi ulcusculis occupentur, nemo non videt, periculum longe majus subesse propter structuræ, teneritudinis, & officii nobilitatem, qua hæ partes præ illis gaudent.

XXVIII.

Causa variolarum materialis neque in sanguinis materni impuritatibus, infanti in utero communicatis, neque specialiter in sanguine, funiculo umbilicali inhærente, ulla veritate, nedum probabilitate, quæri potest.

Schol.

Supponunt equidem aliqui virorum celebrium, proximam ac materialem variolarum æque ac morbillorum causam a sanguine materno menstruo dependere, & infanti sub gestationis tempore communicari, unde tamdiu in sanguine, vel in aliqua corporis particula latitare creditur, donec sub motu tali extraordinario humorum in actum deducatur, huncque specialissimum effectum exulceratorium & suppuratorium producat.

Alii specialiter hanc causam deducunt ab illa sanguinis particula, quæ forsan in funiculo umbilicali hæret, & sub hujus abscissione post partum, non plenarie ab obstetrice exprimitur, sed in vasis umbilicalibus retinetur, eamque sedem sibi servare creditur, donec fortuito casu abhinc in massam humorum deferatur, ibique tragœdiam suam ludere possit.

Si vero omnes circumstantias accuratius pensitemus, facile harum hypothesium infirmitas elucet: cum enim notissimum sit, vitam nostram, si ingestiones ciborum excipiamus, unice secretionibus & excretionibus partium

partium heterogenearum e corpore & massa humorum, conservari, actumque vitalitatis in eo consistere atque absolvi, nec unicam aliquam corporis partem concipi posse, per quam non quotidie, imo per momenta, sanguis & alii humores transpelluntur, ideoque illæ secretiones & excretiones sine intervallo, diu noctuque celebrantur; quis quæso sibi conceptum formare valeret, quod hæc materia variolosa sæpe per totum vitæ curriculum, ad senium usque ultimum, hic ita quieta manere possit, ut nullam plane noxam in corpore producat, quin potius sub excretionibus illis universalibus, & varii generis, simul e corpore eliminetur atque ejiciatur, aut ad minimum ita subigatur, ac imminuatur, ut effectum suum tragicum postmodum edere nequeat.

XXIX.

Unde potius nos cum aliis probabile esse affirmamus, hanc etiam causam miasmaticam esse, & vel ex aëre, vel per aërem, ad corpus humanum transferri.

SCHOL.

Elucescit hoc maxime partim ex eo, quod variolæ adeo facile per contagium ulterius propagentur; partim quod maximam partem epidemice grassentur, nec non a speciali aëris conditione leviores aut graviores reddantur.

Unde hanc materiam magis a posteriori consideramus, & ex effectibus quos edit, illius conditiones & qualitates colligimus, in eo consistentes: quod sit 1. subtilis, penetrans, agilis atque activa, fermentescibilis, ejus specialissimæ indolis, ut semel humoribus admixta, salinam exulceratoriam corruptionem, eamque repentinam, illis imprimat: 2. quod sedem suam tam in sanguine, quam potissimum in lympha inveniat, atque hanc ob rationem infantibus familiarior sit præ aliis: 3. quod specialem sui alterationem & correctionem non subeat, ita ut sine damno in corpore manere possit, sed 4. absolute sui excretionem e massa humorum postulet atque requirat.

XXX.

Causas graviorum symptomatum merito frequentius in

regi-

regimine & medicatione quaerendas esse statuimus, quam in materia variolosa sibi relicta.

SCHOL.

Utut non negemus, aliquando materiam variolosam ita constitutam esse, ut ab illius indole gravissima symptomata oriantur, hoc tamen in comparatione sane admodum raro contingit. Longe autem frequentius est, quod variolarum inordinata ac turbulenta eruptio, confluxus, retrocessio, cum omnium reliquorum funestissimorum symptomatum syndrome, vel a regimine nimis calido, vel ab exhibitione intempestiva potuum vinosorum ac spirituosorum, aut remediorum alexipharmacorum calidiorum, volatilium: aut a perfrigerio externo ortum capiant.

Morbilli.

XXXI.

Morbilli itidem sunt species febrium continuarum exanthematicarum, contagiosarum, infantes ac pueros prae aliis infestans, sub elevatione lenticulari rubra in cute sese prodens, cum secessione furfuracea cuticulae, sine ulceratione, breviore tempore decurrens: a simili causa miasmatica oriens.

SCHOL.

Non opus est, ut illa, quae de variolis dicta sunt, denuo repetamus, cum febris cum illa quoad typum conveniat, licet periodum breviorem servet, (dum ordinarie ad summum undecim dierum spatio decurrunt) subjecta quoque coincidant: Unde solum ratione exanthematis notamus, morbillos pustulas nullas formare, neque in ulcerationem cutis abire, sed sub sola cutis elevatione lenticulari, juncta rubedine, apparere, qua secedente, cuticula squammularum instar secedit & abscedit.

XXXII.

Causa materialis morbillorum similiter est materia miasmatica, cum aëre allata, & corpori communicata.

SCHOL.

Id quod iterum elucet e facili per contagium communicatione, &

epidemica invasione: interim negari nequit, quod hæc materia peccans, in comparatione ad variolas, vel paucior sit quantitate, vel lenior qualitate, i. e. quod acrimoniam minorem possideat, tantaque agilitate non gaudeat, ut humoribus exulceratoriam indolem ac dispositionem imprimere valeat. Unde fit, ut elevationes lenticulares, sub morbillis adparentes, leviori sua acrimonia cuticulam saltim afficiant, salva relicta cute substrata, ut squammulæ saltem furfuraceæ secedant, postquam pruritus & ardor præcesserint. Nec minus subtilior & tenuior esse apparet hæc materia, quoniam transpiratione per cutim facilius evacuatur atque excernitur: ut inde hariolari liceat, morbillorum causam sedem suam magis in sanguine & sero tenuiore habere, quam in lympha, strictiore sensu sumta.

Variolæ spuriæ.

XXXIII.

Variolæ spuriæ, aut nothæ, sunt species exanthematis pustularis, externa figura & magnitudine variolas veras æmulantis, infantibus ac pueris familiaris, febrem aliquando quasi nullam, aliquando leviorem junctam habens, paucis diebus sine ulceratione cedens.

SCHOL.

Haud equidem hic loci, ubi de febribus malignis sermo est, locum meretur hic adfectus: cum tamen ratione nominis communis aliqua ratio subsit, ut ipsius mentionem faciamus, pauca de illo erunt dicenda.

Notandum autem est, has variolas plane non easdem esse cum veris: quamquam enim aliqua febris, aut potius febrilis commotio, sæpius concurrat, nihilominus illa neque maligna, neque contagiosa deprehenditur: exanthema ipsum quoque extrinsecus quidem variolas æmulatur, essentialiter vero ab ipsis discrepat: dum pustulæ vel majores quidem sunt, quam purpura, & magnitudinem variolarum incipientium attingunt, sed acuminatæ pauco humore refertæ, minores veris manent, (unde die Spitz-Pocken vocantur) & sine suppuratione desiccantur. Vel magnitudinem quoque variolarum verarum superant, humoreque

moreque multo ſcroſo-aqueo plenas puſtulas formant, quæ itidem ſine ulceratione rumpuntur, ideoque nomen der Wind- und Waſſer-Pocken reportant: vel denique corneam quaſi duritiem attingunt, & ita citra rupturam exſiccantur, & decidunt, quas vulgus die Stein-Pocken nominare ſolet.

Tota denique periodus, & modus decurrendi, diſcrimen facit harum variolarum a veris, dum neque conſueta variolarum tempora in genere, neque critica in ſpecie ſervant, & ſine periculo, ſeptem aut octo dierum ſpatio decurrunt.

XXXIV.

Subjectum harum variolarum ſunt infantes ac pueri.

Schol.

Admodum enim raro contingit, ut adultiores his exanthematibus corripiantur: interim tamen aliquando differentiam habitus corporis, laxioris aut ſiccioris, obſervare licet in pueris, ſecundum quam hæ variolæ acuminatæ, aut aqueæ prorumpunt.

XXXV.

Cauſam materialem harum variolarum in materia miaſmatica, aërem inficiente, ponere non poſſumus: ſed ut peculiarem quandam ac individualem impuritatem humorum conſideramus.

Schol.

Negativæ propoſitionis ratio fundata eſt in eo, quod hæ variolæ ſpuriæ neque epidemice graſſentur, neque per contagium propagentur, ſed ſporadicæ ſint: neque omnibus quaſi individuis, ſicut veræ, infeſtæ exiſtant: neque tandem certum illum effectum ſuppuratorium aut ulceratorium cum eroſione cutis poſt ſe relinquant. Rectius itaque judicamus, cauſam materialem proximam conſiſtere in aliqua individuali humorum diſcraſia ſalſa, pauca tamen & levi, quæ ſine inſignibus motibus a natura ad colatorium cutis excernitur: unde etiam videmus, infantes, niſi valde teneri fuerint, ſub illis vix ægrotare, ſed ſub leniter diapnoici regiminis obſervatione illas facile tolerare ac ſuperare.

Purpura maligna.

XXXVI.

Purpura maligna est febris acuta, continua, exanthematica, malignæ species, graviter ægrotos afficiens, per pustularum miliarium, humore limpido, aut spissiusculo albo repletarum, efflorescentiam, ab aliis exanthematicis sese distinguens; ab acrimonia caustica lymphæ potissimum inhærente, ortum ducens.

Schol.

Distinguimus merito hanc purpuram tanquam malignam, partim a chronica illa, quæ vel cum leviore aliqua febrili commotione, vel sine illa, individua de cætero sana corripere, eaque per plures septimanas aut menses infestare solet: partim ab illa, quæ sub specie febrium catarrhalium, de humorum discrasia falsa, aut commotione orgastica nimia complicata testatur, & tam ratione symptomatum, quam respectu eventus, in comparatione ad hanc, jure meritoque benigna audit.

Malignitas hujus purpuræ sese declarat partim gravitate symptomatum, dum ægrotantes insigni lassitudine, viriumque prostratione, præcordiorum anxietatibus, sudoribus copiosissimis, lypothymiis, nausea vomibunda, imo quandoque vomitu, spasmis & convulsionibus afficit: partim periculo, funestoque eventu, quem utplurimum comitem habet: partim etiam ipso contagio, quo aliis frequentissimo infesta existit, & facili negotio communicatur.

Pustulæ ipsæ miliares dicuntur, quoniam externa figura & magnitudine semina milii æmulantur, & asperitatem in summa cute efficiunt: quarum humor contentus de acrimonia sua caustica, partim pruritu, punctura atque ardore, quem in cute efficit, partim effectibus spasticis & convulsivis, quos sub retrocessione, aut insufficiente exclusione, in partibus nervosis producit, sufficiens testimonium præbet.

XXXVII.

Distinguitur hæc purpura ordinarie in rubram *&* albam, *quarum hæc periculosior æstimatur præ illa.*

Schol.

SCHOL.

Cum enim materiæ peccantis excretio, ejusque ad peripheriam cutis propulſio, absque ſanguinis motu debito ac proportionato, ad cutem abſolvi nequeat, hinc fit, ut ſanguinis quoque portio ſubtilior intimius ſub cutim per vaſa arterioſa capillaria ſimul adpellatur, totaque cutis, cum inferiori puſtularum ambitu, rubeat, & ita purpuram rubram dictam efficiat, cujus puſtulæ tamen in apice æque albeſcunt, humoremque limpidum continent.

Ubi autem, ex defectu ſufficientis appulſus ſanguinis, ambitus puſtularum, & cutis ſimul palleſcit, atque albeſcit, ibi purpura alba dicitur: id quod partim contingit a primo initio eruptionis, partim ſub ipſius progreſſu, ita ut rubedo peripheriæ ad tempus præſens diſpareat, & ita ex purpura rubra, alba evadat, in utroque caſu periculi plena.

In priori enim mox ab initio defectus motuum ſecretoriorum & excretoriorum ſufficientium adparet, unde craſſior quidem materiæ peccantis portio lento gradu excernitur, ſubtilior autem, & quæ magis activa & acris exiſtit, circa partes internas nobiliores atque nervoſas remanet, ibique effectus ſpaſticos & ſatis tragicos edit: In poſteriori autem caſu, ubi ex rubra demum alba evadit purpura, retroceſſionis indicium adeſt, quæ vel a refrigerio externo, vel ab animi pathematibus, ſpaſticas ſtricturas inducentibus, proficiſci ſolet. E quibus rite penſitatis, facile adparebit fundamentum prognoſeos de majore periculo purpuræ albæ, præcipue ſi rubræ ſuccedat.

Quod autem aliquando dicatur, purpuram rubram & albam ſimul & eodem tempore adfuiſſe, id non intelligendum eſt, quaſi duplex hujus adfectus ſpecies eſſentialiter diſtincta adfuerit; ſed dependet hoc aſſertum ab inſcitia & minore exercitatione ægrorum, adſtantium, aut denique medicorum, ſummum morbi periculum adfectantium, dum revera rubra purpura adeſt, ſed hinc inde puſtulæ quædam, humorem ſpiſſiorem ac mucidiorem, ſtrictius albicantem, includentes, adparent, reliquæ vero tenuiorem limpidam magis atque diaphanam lympham ſeroſam continent.

XXXVIII.

Subjectum hujus adfectus exanthematici ordinarie præ

 aliis

aliis constituit ætas junior, & temperamentum spongiosum molle sanguineum, & sanguineo-phlegmaticum, quibus communiter in specie adnumerantur puerperæ.

SCHOL.

Ordinarie quidem dictæ ætatis & constitutionis individua facilius purpuræ malignæ subjiciuntur, ob humoris lymphalis majorem abundantiam, facilioremque discrasiam: interim tamen, si specialis quædam epidemica constitutio adest, & morbus hic epidemice grassatur, sine respectu harum circumstantiarum varia subjecta invadere solet: ita tamen, ut ad minimum pro majore affectus fomentatione dictæ circumstantiæ contribuant: id quod tanto magis facit simul concurrens status cacochymicus, & humorum discrasia falsa.

Puerperas quod concernit, hæ pro subjecto hujus purpuræ principali, qua tales, declarari nequeunt: quamvis enim in se verum sit, puerperas frequenter purpuram in genere, & hanc in specie experiri, id tamen essentialiter a partu & puerperio non dependere videtur, cum satis multæ adsint puerperæ, quibus tale quid non contingit: unde potius causæ occasionales, sub puerperio accedentes, accusandæ veniunt. Ad quarum classem pertinet partus laboriosus, sanguinem valde exagitans: vina aromatisata, aut remedia calidiora alexipharmaca sudorifera, post partum exhibita: regimen positive diaphoreticum, sub statu plethorico injunctum: lochialis fluxus detentio & suppressio: dispositio hæreditaria, a matribus in filias propagata; quæ omnia fomitem huic affectui majorem præbent.

XXXIX.

Causa materialis proxima purpuræ malignæ itidem est materia quædam miasmatica, subtilis, acris, caustica, & fermentescibilis, lymphæ potissimum inhærens.

SCHOL.

Subtilem ac halituosam esse hanc materiam, testatur facilis ipsius communicatio per contagium, æque ac modus excretionis periphericæ: quod autem acris & causticæ salinæ indolis sit, lymphæque potissimum inhæreat, id adparet ex sensu illo summe molesto, rodente, ardente, pungente,

gente, & cuticulæ erosione, æque ac ex effectu summe noxio convulsivo & spastico, si forte retrocedit, aut nimis segni opera excernitur.

Hæc itaque materia, humores acrimonia sua salina, subtiliter simul sulphurea inquinans, motuque auctiore intestino accedente, in mixtione sua turbans, præsentia sua nervosas quoque teneriores partes afficiens, naturam exstimulat, ut motus tales extraordinarios, pro tempestiva illius excretione suscipiat, eamque tanquam acrimonia sua & humoribus, & partibus internis nobilioribus nervosis valde inimicam, ad peripheriam propellat, ubi tenerrima ipsius portio sub sudore & madore, specialissimum odorem acido - sulphureum spirante exhalare potest, reliqua vero portio mucescenti lymphæ permixta, cum hac ex sanguine ad glandulas subcutaneas deponitur, ibique pustulas miliares format, cuticulam ipsam elevando, subtiliter arrodendo, ejus secessionem furfuraceam promovet, sub qua tandem, si bene cedit, iterum disparet, & utplurimum temporibus criticis absolvitur.

XL.

Causæ remotiores antecedentes & occasionales potissimum quærendæ sunt in prævia dispositione ac pronitate lymphæ ad impuritatem mucidam aut salsam.

SCHOL.

Hæc enim, sicut originem ducit atque fovetur a vita sedentaria, potuum defectu, excretionum præcipue periphericarum suppressionibus, diætæ acrioris, tam salinæ, quam sulphureæ abusu, ita, si causa illa proxima miasmatica accedit, huic præcipuum fomitem insinuationis, inhæsionis, & difficilioris exclusionis præbet.

Febres compositæ.

I.

Febres compositæ dicuntur, quæ ratione periodi ad acutas pertinent, & respectu typi, partim de continuis, partim de intermittentibus participant.

SCHOL.

Hæ febres revera ex sua essentia semper sunt continuæ atque acutæ,

tæ, dum nullam intermiſſionem aut ceſſationem paroxyſmorum plenariam formant, ſed ſolum remiſſionem illis quoque familiarem habent: in eo autem ab acutis, & acutis ſimplicioribus diſcedunt, quod ſingulas paroxyſmorum exacerbationes novum frigus antecedat, & intercedat.

II.

A ſpeciali typo, quem ſervant hæ febres, ſpecialem reportant denominationem.

Schol.

Quo magis itaque recurſus paroxyſmorum cum novo horrore ad typum quotidianæ ſimplicis ſemel de die accedit, talis febris nominatur quotidiana continua.

Quando vero paroxyſmorum exacerbationes diebus alternis recurrunt, tertiana continua dicitur.

Si autem inter novum frigoris febrilis recurſum & paroxyſmi exacerbationem duo intercedant dies intercalares, quartana continua talis febris vocatur.

III.

Subjecta harum febrium eadem aſſerimus, quæ febribus continuis ſimplicioribus aſſignavimus.

IV.

Cauſam materialem proximiorem, æque ac paulo remotiorem, itidem in genere eandem eſſe declaramus, a qua continuas ſimpliciores deduximus.

V.

Cauſam occaſionalem mutationis typi veroſimiliter quærimus, vel in annorum tempeſtate ac tempore, vel in motuum febrilium ſpeciali conſuetudine.

Schol.

Primum conjicere licet exinde, quod tales compoſitæ febres, ſecundum typi diverſitatem utplurimum iisdem temporibus occurrant, atque in ea incidant, quibus alias ex aëris conditione intermittentes illæ, cum quibus compoſitionem patiuntur, occurrere ſolent: unde fit, ut e. g. tertianæ

tertianæ continuæ, tempore vernali, vel incipiente autumno, quartanæ autem continuæ, circa autumnum adultum occurrant, & tunc quasi epidemice grassentur.

Alterum exinde apparet, quando non præsente tali anni temporum conspiratione, sporadice saltem occurrunt, & in omnium circumstantiarum exploratione, innotescit, quod individua his febribus laborantia, alio jam tempore, intermittentibus ejusmodi febribus jam infestati fuerint, unde natura hisce motibus vel diu, vel sæpe adsueta, nunc ingruente febre continua, eorundem motuum febrilium consuetorum reminiscitur, causa licet adæquata non præsente, & incompletas quasi paroxysmorum alternationes format.

Febres duplicatæ.

I.

Febres duplices dicuntur, quarum paroxysmi intra consuetum illud tempus, quo semel recurrere solent, bis recurrunt huncque typum semel cœptum continuant.

Schol.

Sic quotidiana duplex dicitur, quando intra viginti quatuor horas, bini paroxysmi plenaria decurrunt, ita ut v. g. unus illorum tempore matutino ingruat, & ante meridiem absolvatur: secundus post meridiem ejusdem diei ingruat, & versus vesperam finiatur.

Tertiana duplex agnoscitur, quando singulis diebus unus quidem paroxysmus occurrit atque absolvitur, alterni tamen paroxysmi, ratione horarum invasionis, sibi invicem respondent: ita, ut v. g. primus paroxysmorum æque ac tertius, horis antemeridianis, secundus autem cum quarto, post meridiem, ægrotantem invadant.

Quartana duplex dici suevit, quando loco duorum dierum intercalarium, uniusque febrilis, inverso plane ordine, una dies libera manet, reliquis duobus autem semper febris recurrit, quæ tamen utplurimum horas pomeridianas, quartanæ simplici solennes, servare solet.

II.

Febres duplicatæ differunt a compositis.

SCHOL.

Compositæ enim ex sua essentia semper ad continuarum pertinent classem, licet ratione horroris intercedentis, intermittentem aliquo modo mentiantur. Duplicatæ autem, modo veræ intermittentes sunt, modo compositæ esse possunt.

Quando itaque vera & plenaria intermissio, & febrilis paroxysmi cessatio, ad novum usque horrorem intercedit, tunc simpliciter quotidianam, tertianam aut quartanam duplicem constituunt. Quandocunque autem nulla adest intermissio, sed continuitas febris in aprico est, horror autem febrilis singulas paroxysmorum exacerbationes intercedens, typo tali duplicato recurrit, tunc quotidiana, tertiana, aut quartana duplex continua, merito vocatur: de quibus præterea notandum, quod sæpius malignitatem comitem habeant.

III.

Subjecta certa harum febrium in specie determinare haud licet.

SCHOL.

Quamvis enim cholerici, & ad iracundiam proni, a quibusdam ut talia declarentur, quoniam ad motuum turbas proclives existunt, nullatenus tamen hoc a solo temperamento in specie dependet, sed quotidiana experientia docet, longe plures cholericos a febribus hisce liberos manere, quam ab illis corripiuntur: unde potius hæc febrium mutatio in causarum occasionalium variarum accessu fundamentum suum habere videtur.

IV.

Causæ duplicationis febrium utplurimum sunt occasionales, eæque variæ observantur.

SCHOL.

Causas ipsius febris in se spectatæ, hic non repetimus, cum illæ generaliores sint, vel continuæ, vel intermittentis, ad cujus classem respectu typi generalis pertinet. Reduplicatio autem paroxysmorum speciales utique agnoscit causas: quas ordinarie vel in erroribus diæteticis: vel in animi pathematum exacerbationibus: vel in debitarum excretionum neglectionibus & suppressionibus: vel denique in turbulentis medi-

medicationibus, ſub febribus ſimplicibus commiſſis atque perpeſſis, quærendas eſſe, conſtans obſervatio docet: ita ut hinc paulo rarius ſit, febres ejusmodi duplicatas videre, quæ non ex ſimplicioribus prægreſſis in has degeneraverint, niſi forſan aliquando materiæ peccantis nimia copia aut ſpecialis diſpoſitio, mox ab initio febris, huic ſchemati anſam dederit.

Febres chronicæ.
Febris lenta.

I.

Febris lenta eſt febris chronica, continuarum typum proxime ſervans, ex febre antecedente alia continua, rariſſime ex intermittente, orta, atque in hanc degenerata, lento quidem gradu procedens, ægros tamen valdopere debilitans, atque ſudoribus largioribus enervans, & quaſi ad tabem deducens.

SCHOL.

Antequam ad ipſas intermittentes febres tranſeamus, merito illas chronicas conſideramus, quæ quaſi in medio inter continuas & intermittentes poſitæ ſunt, *lentam* nempe, & *hecticam*. De quarum priore hic loci notamus, lentam illam a Medicis dici eam ob rationem, quod neque periodo, neque impetus gradu, acute procedat, ſed lento ſatis paſſu incedat, interim tamen ſub illo lentore vires ægrotantium indies ita enervet, ut merito ein ſchleichendes und zehrendes Fieber vocetur.

Chronicam autem hanc febrem declaramus, quoniam, licet ratione typi ad continuarum claſſem revera pertineat, & ſpuriam quaſi continuam conſtituat, reſpectu periodi tamen ab illis abludat, & ad multas ſeptimanas, unum alterumve menſem duret, atque decurſum ſuum protrahat.

Febrem conſectariam aut ſecundariam hanc lentam vocamus, quoniam admodum rariſſime per ſe oritur, ſed ordinarie ortum trahit ab aliis febribus prægreſſis, ſive illæ ſimpliciter acutæ continuæ, ſive compoſitæ, ſive intermittentes denique vehementiores fuerint.

II.

Subjecta hujus febris utplurimum ſunt individua teneriora, ſenſibilia, & ad cholericum temperamentum magis inclinantia.

SCHOL.

Hinc videmus, faciliori negotio infantes ac fœmellas in febrem lentam delabi, ſi alia acuta continua laboraverint febre, quia partim debiliores, partim ſenſibiliores exiſtunt.

III.

Cauſæ hujus febris generaliores eædem ſunt cum illis, a quibus febris antecedens ortum duxit.

SCHOL.

Cum enim hæc febris ex illis nata ſit, liquido apparet, reliquias quaſi primæ febris hic ſubeſſe, propter quas, tanquam leviores aut pauciores, lenti, ſed continui motus ſecretorii & excretorii a natura continuantur, eum in finem, ut viſcera nobiliora a labe quadam imminente, quam a reliquiarum illarum febrilium translatione accipere poſſent, liberentur & præſerventur.

Si autem aliquando, (quod tamen rariſſime accidit) citra prægreſſas ejusmodi febres oriatur, cauſæ tamen materiales cum illarum cauſis eædem erunt, licet gradu quantitatis aut qualitatis diverſæ, ideoque minorem motuum ſecretoriorum & excretoriorum gradum requirentes, aut, ſi forſan aliquando quantitatis & qualitatis ejusdem cum illis eſſent, ſubjecta ad minimum vel robuſtiora, vel minus activa invadentes, in quibus a natura motus contra materiam noxiam vel minore impetu ſuſcipiuntur, vel materia peccans faciliori negotio in corpore toleratur.

IV.

Cauſæ ſpecialiores & proximiores, quæ tranſitum illum aliarum febrium in hanc promovere poſſunt ac ſolent, utplurimum ſunt occaſionales.

SCHOL.

Huc referri debet regimen diapnoicum ſub primariis febribus, vel a Medico non ſufficienter injunctum aut obſervatum, vel ab ægris ipſis

ipsis neglectum atque posthabitum: quando nempe sub paroxysmorum remissionibus madorem provenientem per immoderatas ventilationes, stragulorum remotiones, corporis jectigationes, potus frigidi immodestas ingurgitationes reprimunt atque impediunt.

Nec minus præpostera febrium primariarum tractatio medica, quando nempe, præsertim apud teneriores ægros, febres ejusmodi continuæ aut compositæ multis alexipharmacis, bezoardicis calidioribus sub æstus paroxysmo tractatæ, aut variis tentaminibus per venæsectiones, alexipharmaca, adstringentia, opiata turbatæ fuerunt: aut intermittentes vehementiores, neglecta vera causa, hujusque remotione per adstringentia saltem suppressæ, non vero curatæ sunt.

Febris hectica.

V.

Hectica febris est febris chronica, ad intermittentium typum magis inclinans, tabidam corporis consumtionem successive inducens, ordinarie visceris alicujus nobilioris læsionem vel scirrhosam, vel ulceratoriam pro fundamento habens.

SCHOL.

Chronicam ac diuturnam hanc febrem esse, evincit quotidiana observatio, dum omnibus notissimum existit, hanc febrem non modo per plures septimanas aut menses, sed multos per annos durare, ægrosque illam ferre. Quod ad intermittentium typum magis inclinet, & de harum magis indole sit, id monstrant notabiles illæ alternationes & intermissiones paroxysmorum, quibus in specie post pastum ægri affliguntur: licet enim hectici nunquam sanitate gaudeant illæsa, tamen non omni tempore febre afficiuntur.

VI.

Differt hæc febris ab antecedente febre lenta.

SCHOL.

Confunduntur sæpius hæ febres a medicis, dum communiter pro febre essentialiter una eademque venditantur, iisque sola diversitas gra-

dus adscribitur, & lentæ minor, hecticæ vero consummatus gradus tribuitur, in quo tamen a veritatis via aberratur. Licet enim utraque febris chronica existat, & quædam symptomata adsint communia, nihilominus tamen differentia quoad periodum, typum, causas, & eventum notoria utramque intercedit.

Periodus enim in hectica multo longioris durationis existit, quam in lenta, cum notissimum sit, hecticos veros per multos annos febrim hanc tolerare, & munia sua, licet cum molestia, obire posse, cum e contrario lenta febris, quamvis diutius præ reliquis continuis & acutis decursum suum ad aliquot septimanas continuet, nunquam tamen ad multos menses, longe minus autem annos, durare soleat.

Nec minus typus febris aliter se habet; dum lenta febre laborantes ab ipso paroxysmo fere continue infestantur, & ad labores subeundos inepti redduntur; hectici vero utplurimum exacerbationes qualescunque post pastum, aut notabiles alterationes, temporibus anniversariis patiuntur, & contabescentiam quoque corporis magis successivam præ illis experiuntur.

Causa vero proxima hecticæ febris non est febris aliqua antecedens, in hanc solitarie transiens, sed potius est continens quædam, semperque præsens causa, sedem suam habens in nobiliore quodam viscere corporis interno.

Eventum quod attinet, ejusque prognosin, notandum est, lentam febrem ordinarie, si modo recens fuerit, non admodum difficulter sanari, cum vera hectica potius ad febres incurabiles pertineat: lenta quoque sæpius in pristinam cardinalem febrim transformetur, hectica autem in aliam nunquam mutetur.

VII.

Differt non minus hectica ipsa in se spectata, respectu gradus.

SCHOL.

Aliter enim se gerit hectica incipiens, quæ sæpe adeo lenis ratione symptomatum existit, ut præter languorem extraordinarium ægrotantes vix quidquam conquerantur, & difficulter satis dignoscatur: aliter vero sese habet in progressu, dum manifestioribus febrilibus alternationibus sese prodit, quæ per multos sæpe annos protrahuntur, etiamsi ægroti non-

dum

dum lecto, aut ad minimum saltem per intervalla, affixi teneantur. Aliam denique faciem præbet, quando plane consummata existit, ægrosque continue lecto adfixos tenet, ubi vires indies decrementum capiunt, tabesque corporis de die in diem ad visum quasi increbescit. De qua graduum differentia tamen notari debet, quod aliquando individua occurrant, in quibus transitus ille ab uno gradu ad alterum, haud magnum temporis spatium requirit, sed præsente gravi læsione partis cujusdam nobilioris, pauco sane tempore cursum suum absolvit.

VIII.

Subjecta hujus febris, ratione ætatis, esse possunt varia, respectu reliquæ conditionis autem observantur individua teneriora & sensibiliora.

SCHOL.

Respectu ætatis enim videmus, tam pueros, quam adultiores & senes in hecticam delabi, imo ex una ætate ad alteram hecticam traduci: cum causæ, quas hectica agnoscit proximas, ita comparatæ sint, ut sine respectu certæ ætatis, varia invadere queant individua.

Ratione temperamenti autem sensibiliora corpora ipsi magis subjiciuntur & teneriora, unde videmus, facilius sæpiusque fœminas illa laborare, & temperamenti cholerici aut melancholici personas: nec tamen illæ excluduntur, quæ de sanguineo temperamento sub his simul participant, cum talia individua partim ratione texturæ corporis, partim respectu animi, & moraliter sensibiliores deprehendantur.

IX.

Subjectum causæ in hectica constituunt ordinarie partes internæ nobiliores, viscerum titulum in media, & infima corporis cavitate gerentes.

SCHOL.

Id maxime adparet, quando post obitum hecticorum cadavera secantur, & ordinarie vel in pulmonibus, vel in hepate, liene, renibus, glandulis mesaraicis, imo quoque intestinis, ac utero irreparabilis aliqua labes, vel substantiam, vel officium illarum partium notorie lædens deprehen-

prehenditur. Unde etiam aliqui medicorum ansam ceperunt, ut hecticam distinguerent in pectoralem & abdominalem: ubi tamen notamus, pulmonalem aut pectoralem hecticam nihil differre a phthisi, sed cum hac idem esse: hincque strictiori sensu & nomine hecticam semper esse abdominalem.

Facit interim hæc distinctionis cognitio multum in praxi, ut Medicus tanto cautius procedat in ipsa cura, ne forsan tussi hecticorum occurrendo impingat, & tussim siccam hypochondriacam, scirrhis in abdomine contentis familiarem, pro phthisico-pulmonali habeat, & per usum remediorum travmatico-pectoralium, scirrhosam indurationem magis obfirmet, aut expectorantium abusu, copiosum humorum affluxum ad pulmones citra necessitatem invitet, ibique novum malum inducat.

X.

Causa hectica febris primaria & continens consistit in dictorum viscerum læsione ulceratoria, vel actu jam præsente, & increbescente, vel ad minimum ob scirrhosam dispositionem proxime imminente.

Schol.

Certissime enim hectica febris oritur, ubi actualis visceris cujusdam nobilis ulceratio præsto est, id quod videmus in pulmonum, hepatis, renum, aliarumque partium internarum ulceratione, quam semper & sine exceptione hæc febris comitatur: quale quid aliquando, licet longe rarius, in pancreate, glandulisque mesenterii contingere solet.

Quemadmodum vero actuales ejusmodi ulceratoriæ læsiones semper & indubitate hecticam febrem comitem habent, ita quoque citra actualem talis læsionis præsentiam hectica febris adesse non solum potest, sed solet, ubi dispositio proxima ad facile subeundam ulcerationem alicujus visceris præsumitur: cujus census sunt infarctus viscerum majores, eorumque obstipationes, quibus succedunt indurationes scirrhosæ. Notum enim est, quod in visceribus contingant ejusmodi collectiones, tam ipsius sanguinis purioris, quam aliarum materiarum viscidiorum, quarum partibus fluidioribus & mobilioribus cito & repente discussis, craf-

crassior portio remanet, quæ scirrhosam talem indurationem siccescentem subit, non ita promte in corruptionem actualem transeuntem, quæ tamen, si forsan tenuiores & agiliores humores accederent, certissime in corruptionem ulceratoriam transire posset.

Sub his circumstantiis natura damnum tale in visceribus sentiens, suscipit, quidquid in ejus potestate est, nempe motus humorum, & specialiter sanguinis, quem ad partem affectam magis adpellit, & portionis ibi infarctæ, aut hærentis, dissipationem intendit, aut, si hanc perpetrare nequit, ad minimum reliquam visceris portionem a simili labe præservare studet, quapropter motum susceptum transpressorium & appulsorium sanguinis continuat, & jugi successu perennat, non tamen pari aut simili impetu, quo uti solet in dissipanda stasi inflammatoria, cum hæc præ illa periculum magis præceps & instans minetur, sed minore quidem, constante tamen gradu causæ, ad corruptionem lentiorem proclivi, invigilat.

Cum vero hic motus sanguinis transpressorius in tantum præter naturalem gradum auctus, non sine omni sensibili totius motus circulatorii mutatione & exacerbatione fieri possit, hinc utique contingit, ut patientes calorem quoque præternaturalem sentiant, qui tamen secundum proportionem causæ proportionatus & lenis existit.

XI.

Differens viscerum conditio, & humorum in illis occurrentium specialis constitutio, ut causa differentis gradus atque successus febris hecticæ, considerari meretur.

Schol.

Notandum enim est, quod infarctus & scirrhosæ collectiones, de quibus superius diximus, non semper & ubique ejusdem existant indolis, aut periculi præsentanei, sed quod utique differant ratione viscerum eorumque officii, aut structuræ, in quibus hærent. Occurrunt enim aliquando, & quidem haud raro, ejusmodi collectiones nodosæ atque scirrhosæ numero plures in pulmonibus, sub sectione cadaverum reperiundæ, quarum præsentiæ sufficiens testimonium in vita neque adfuit, neque progressus in ulcerosam corruptionem secutus est. Cum

enim pulmones magis nudo ſanguinis motui tranſpreſſorio, attenuatorio, & calefactorio, nec non ſanguinis cum lympha accedente intimiori permixtioni inſerviant, quam actuali ipſius depurationi ſecretoriæ, hinc fit, ut tranſitus illorum nodorum haud ita promtus ſit in actualem ulcerationem, quam in aliis viſceribus glandulofis, aut ſi in ipſis pulmonibus, poſt rupturam vaſorum, extravaſatio ſanguinis & hujus corruptela contigerit.

Viſcera abdominis e contrario, & ex his principaliter hepar, variorum humorum circulationi ac tranſitui inſerviunt, ſiquidem ſanguis, bilis, lympha, ſerum per illa vehuntur, atque in illis reſpective ſecernuntur & depurantur. Unde ſi in horum ſubſtantia tubuloſa infarctus aut collectio talis contingat, ex variorum illorum humorum præſentia atque concurſu, aliquando etiam ſpeciali diſcraſia concurrente, præſentius quoque damnum & periculum corruptionis imminet, & ſimul tanto præſentius febri hecticæ janua panditur.

XII.

Antecedens bujus febris cauſa aliquando exiſtunt affectus dictorum viſcerum prægreſſi inflammatorii aut apoſtematici.

SCHOL.

Si enim horum plenaria reſolutio, aut mundificatio forſan obtineri non potuit, poſtmodum ulceroſæ tales læſiones oriuntur, ſanationem non admittentes, quibus tamen ipſa natura, ne impetuoſe incrementum capiant, continuato, leni tamen, motu humorum abſterſorio & præſervatorio quaſi occurrere conatur, ſub motibus huic febri familiaribus.

XIII.

Magis adbuc remota cauſa ſunt, omnes ejuſmodi occaſiones, quibus ejuſmodi collectionibus ſcirrboſis aut infarctibus gravioribus prima anſa ſuppeditatur.

SCHOL.

Huc merito referimus omnis generis conſtrictiones, vel a refrigerio externo, repente poſt corporis exæſtuationes perpeſſo, vel ab ingurgitatione potuum frigidiſſimorum, glaciatorum, vel a medicatione præ-

præpoſtera aliarum per adſtringentia, vel ab animi gravioribus pathematibus ortum trahentes.

Febres intermittentes.

XIV.

Febres intermittentes ſunt febres chronicæ, continuis, ratione typi, contradiſtinctæ.

SCHOL.

Sicut enim continuæ ſola remiſſione gradus æſtus febrilis, ejusque nova exacerbatione, ſe manifeſtant, ægrumque continue ſub virium comparativa debilitatione detinent; ita ex oppoſito intermittentes hunc ſuum titulum gerunt, eam ob rationem, quod non ſolum primum paroxyſmum cum frigore, horrore, aut partium extremarum rigore & tremore, & mox ſubſequente æſtu febrili incipiant, ſed eundem quoque ad finem ita perducant, ut abſoluto paroxyſmo ægri plerumque & ordinarie ad orthoſtadiam iterum perveniant, lectum dimittant, & cæteris paribus, rebus ſuis præeſſe poſſint, donec eodem modo ſequens novus paroxyſmus illos ad decumbendum cogat, ubi utplurimum integri dies, unus vel plures intercalares, quibus ægri de paroxyſmo plane nihil ſentiunt, intercedunt.

XV.

Harum febrium, ſecundum ſpecialiſſimam typi differentiam, variæ dantur ſpecies.

SCHOL.

Prout nempe unius, aut plurium dierum intercalarium numerus ſingulos paroxyſmos intercedit, dividuntur in *quotidianas*, *tertianas*, & *quartanas*.

XVI.

Cauſſa ſpecificæ differentiæ typi, tam a materiæ peccantis conditione, & ſede, quam a naturæ agendi conſuetudine generali dependet.

SCHOL.

Solet equidem circa hanc febrium intermittentium materiam ordinarie quoque quæſtio formari, quænam ſit cauſa ſtatorum atque certorum

torum temporum recurſus paroxyſmorum? quam plures in ſpecifico fermento, vel materiæ peccantis ſpecifica fermenteſcibili indole ponunt; putantes, hanc materiam ſanguini communicatam, in illo motum fermentativum materiali contactu excitare, eumque tamdiu continuari, donec ea fermenti febrilis portio ſub finem paroxyſmi ejecta ſit: cum autem non tota materia peccans uno paroxyſmo ſubigatur, aut excernatur, reliquæ portiones itidem per vices ad ſanguinem accedere creduntur, novumque motum fermentativum excitare putantur, unde alternationes paroxyſmorum explicari poſſe contendunt.

Verum, licet primo intuitu probabilia hæc adpareant, & ad explicationem recurſus paroxyſmorum ſimpliciter conſiderati aliquatenus quadrare poſſent, nullatenus tamen ad explicationem ſtati temporis dierum atque horarum recurſus ſufficiunt. Unde nos potius cauſam ſtatorum illorum temporum paroxyſmorum recurrentium, certique ordinis, partim in conditione materiæ peccantis, partim in ipſo principio agente, id eſt, natura, ejusque conſuetudine movendi, quærimus.

Materiam itaque quod attinet peccantem, rationi conſentaneum eſt, quod *quotidianarum* cauſa materialis proxima, de bile magis participans, acrior, & magis nociva ſit, ſi diu in corpore detineatur, quam *tertianæ* cauſa proxima potius in cibis dyſpeptis, aut cum nauſea aſſumtis, conſiſtens: utriusque autem febris cauſa ſedem in primis viis habeat, per quas, ſi præparata atque diſpoſita fuerit, promte excerni poteſt. *Quartanæ* autem febris cauſa materialis, tam quantitate paucior, quam qualitate lenior exiſtit, & præterea ſedem ſuam non in locis ad promtas excretiones aptis, ſed remotioribus viſceribus, eorumque tubulis habet.

Natura autem, uti ſæpius dictum eſt, motus contra materiam peccantem adornat ac ſuſcipit, ex æſtimatione noxæ, & facilitate ſucceſſus motuum, nec non conſuetudine generali movendi agit: unde materiam citius aut vehementius nocituram quotidianis motibus aggreditur, ſicuti contra alteram minus nocituram alternis diebus inſurgit, ita tamen ſemper motus adornat, ut per vices hanc materiam e primis viis ejiciat atque eliminet, per quas facillimo negotio hanc excretionem celebrare poteſt.

Quod

Quod autem in quartana longe tardius, leniusque motus suos instituat, id maxime inde dependet, quod in genere melancholicorum motus in statu naturali sint tardiores, humores quoque spissiores, viæ magis strictæ & longinquiores existant, unde natura impossibilitatem celerioris progressus videns, & motibus tardioribus adsueta, diutius repetitis insultibus id agit, quod in alio casu majore alacritate agere solet.

Febris quotidiana.

XVII.

Febris quotidiana est febris chronica intermittens, intra viginti quatuor horas semel paroxysmum, cum frigore & æstu febrili decurrentem formans, causam in primis viis hærentem agnoscens.

Schol.

Quod chronica sit hæc febris, demonstrat ipsius periodus, dum per septimanas aliquot, & ultra certos septenarios, durare solet.

Intermittentem esse, declarat typus, continuarum typo oppositus, quando plenarias, inter singulos paroxysmos intermissiones format, ægroque orthostadiam concedit, ad novum usque sequentis paroxysmi accessum, singulumque paroxysmum, novo intercedente frigore, incipit.

Quod ex intermittentibus sit quotidiana, nec alia, docet specialissimus paroxysmorum recurrentium ordo, quippe qui singulis diebus semel recurrunt, & in alterum usque diem tempus intercalare permittunt.

Quod causa materialis in primis viis hæreat, evincitur ex nausea, conatibus vomendi, imo vomitibus, aut diarrhœis, huic febri sub paroxysmis ordinarie quasi solennibus: æque ac ex methodo curatoria, qua optime removetur, si nempe hæ excretiones per artem tempestive adhibeantur.

XVIII.

Subjectum febris quotidianæ præ aliis constituunt temperamenta activiora, cholericum puta, aut cholerico-sanguineum.

SCHOL.

Hæc enim temperamenta in genere ad susceptionem motuum extraordinariorum magis prona ac proclivia sunt: & cum utplurimum causa biliosa subsit, hæc etiam temperamenta, ex faciliori ad iram proclivitate, ad hanc febrem disponuntur. Interim constitutio epidemica aliquando facit, ut alia quoque individua simul hac febre corripiantur, licet modo dicta semper præ aliis facilius hoc fatum experiantur.

XIX.

Causa materialis proxima febris quotidianæ est saburra vitiosa, inprimis viis hærens, & diutius ibi persistens, negotium digestionis & nutritionis successive turbans.

SCHOL.

Est hæc saburra vitiosa utplurimum mucido-viscida, cum biliosa ex parte permixta, e reliquiis quasi ciborum ingestorum, post qualemcunque illorum digestionem orta, quæ pro antecedente causa maxime agnoscit errores diæteticos, commissos circa ingestionem ciborum crudiorum, mucidorum, viscidorum, a quibus cruditates & saburra vitiosa primarum viarum ortum capit: quibus deinde proximam ansam suppeditat commotio iracunda accedens, ut tanto facilius febrilis commotio sequatur.

Febris tertiana.

XX.

Febris tertiana est chronicarum intermittentium species, quæ typum suum specialem declarat alternatione paroxysmorum diebus alternis, ita ut semper duos inter paroxysmos, unus remaneat ac intercedat dies intercalaris.

SCHOL.

Signa hujus febris, quæ chronicam & intermittentem illam designant, generaliter eadem sunt, quæ in antecedente notata sunt, duratio nempe periodi ad aliquot septimanas, & plenaria paroxysmorum ad orthostadiam usque ægri, intermissio.

Typum

Typum quod attinet ſpecialiſſimum, ex ſignis pathognomonicis conſtat, hanc febrem, quo magis legitima eſt, alternis diebus recurrere, novosque paroxyſmos formare, qui tempore matutino, intra horam nonam & duodecimam circiter, recurrere ſolent.

XXI.

Subjecta hujus febris præ aliis eſſe ſolent ſanguinei, aut ſanguineo-cholerici.

Schol.

Hi enim facilius nauſea corripiuntur, nec non tanquam paulo mollioribus fibris motricibus gaudentes, facilius tono ventriculi laborant debilitato: & cum de cætero facile ingluvie ac voracitate peccent, facilius quoque cauſam materialem hujus febris coacervare poſſunt.

XXII.

Cauſam materialem proximam hujus febris itidem ordinarie conſtituunt cruditates primarum viarum, in ventriculo aut duodeno hærentes, atque negotium nutritionis turbantes.

Schol.

Convenit hæc febris cum antecedente generaliter ratione materiæ peccantis, ſedisque quam hæc occupat, ita tamen, ut tertiana magis immediate producatur ab illis cruditatibus primarum viarum, quæ immediate ſub paſtu in his locis coacervantur, & ipſam digeſtionem proxime celebrandam turbare poſſunt, ſive actu tales fuerint, quæ qualitate ſua noxia primas vias prægravant, & concoctionem difficiliorem reddunt, ſive quæ in ſe haud dyſpepta exiſtunt, ſed cum nauſea, aut intercurrente iracundia aſſumuntur, & ita a natura tanquam moleſti, noxii, aut inutiles æſtimantur. Teſtantur hoc ipſum excretiones his febribus ſolennes, vomitoriæ nempe & dejectoriæ, cum reliquis motibus quaſi præparatoriis, huc ſpectantibus, quibus materiam peccantem tempeſtive ejicere conatur. Unde videmus, quod febricitantes ejusmodi non ſolum præſentis materiæ faſtidio ac nauſea afficiantur, ſed quod deſuper novam quoque ciborum ingeſtionem, tanquam primis viis jamjam oneratis minus convenientem, abhorreant.

XXIII.

XXIII.

Symptomata principaliora, quotidianæ & tertianæ utplurimum familiaria, fere eadem sunt, & testantur de motibus naturæ, tunc temporis circa ventriculum susceptis, qui magis materiæ præsentis evacuationi, quam novæ ingestioni inservire valent.

Schol.

Manifestant & exserunt sese hi motus per cardialgias illas nauseabundas, & conatus vomendi, in primo principio quidem sæpius ob minorem materiæ peccantis dispositionem incompletos, eo tamen tempore ordinarie evenientes, quo alias cibos capere solent, aut eum, qui molestus fuit, assumserunt: qui tamen successu temporis completi fiunt, quando natura pro materia peccante immobiliore, vel emolliendа, vel diluenda, viisque lubricandis, vehiculum quasi commodioris egestionis adfert, majoremque humiditatis copiam, ex ipsa humorum massa desumtam, congerit atque affundit, eoque ipso excretionem per ventriculum aut intestina facilitat.

Hunc enim in finem, qui ordinario & quotidiano humorum motu obtineri nequit, sub frigore febrili pori externi corporis spastice stringuntur, & humores a peripheria versus interiora extra ordinem compelluntur, quo ipso febrilis paroxysmus initium capit, majorque humoris serosi affusio ad ventriculum & intestina contingit, quo materia peccans ibidem hærens emolliatur, & promte per alterutram viam extrudatur, prout nempe vel materia peccans in superiore aut inferiore primarum viarum regione hæret, vel subjecta magis aut minus evemeta existunt.

XXIV.

Transitus frigoris febrilis in æstum secundum cicumstantias præsentes est necessarius.

Schol.

Quamvis actus naturæ, quo humores versus interiora cogit, respectu illius materiæ, in primis viis hærentis, subigendæ & excernendæ citra mutationem frigoris in æstum præternaturalem quadantenus sufficere possit, tamen sanguinis sub hoc rerum statu dispositio ad spissitudinem, natu-

naturali necessitate sui attenuationem postulat, quæ aliter obtineri nequit, quam per motum auctiorem ac celeriorem transpressorium per partes spongiosas & carnosas, partim auctiore respiratione, partim fortiore pulsu obtinendum. Unde non modo totus corporis ambitus incalescit, atque turgescit, sed sub continuata & repetita illa transpressione per partes tam exteriores quam internas, secretio partium heterogenearum & impuritatum contingit, & ipsa sanguinis depuratio simul obtinetur, quæ finito paroxysmo per excretionem urinæ & sudoris maxime manifestatur.

Febris quartana.

XXV.

Quartana est febrium chronicarum intermittentium species, sese distinguens ab aliis per dierum intercalarium duplicaturam, ita ut semper inter primum & secundum paroxysmum duo intercedant liberi dies.

SCHOL.

Hæc febris ex omnibus intermittentibus chronicæ titulum meretur, dum diutissima est ratione periodi, quam non modo per septimanas, paucosve menses, sed per semestre aut annuum sæpius spatium, imo ulterius adhuc continuare solet. Reliqua ex pathognomonicis jam sunt notissima.

XXVI.

Subjecta huius febris utplurimum sunt temperamenti melancholici personæ, aut de illo potissimum participantes.

SCHOL.

Cum enim melancholici ex naturali sua indole sanguine spissiore laborent, ac habitu corporis densiore ac strictiore difficilius ad motus extraordinarios excitantur, præcipue vegetiores & alacriores: verum ad tardiores & pertinaciores: & cum illa dispositione gaudeant respectu humorum, facilius quoque ad varios viscerum infarctus & obstructiones dilabuntur.

XXVII.

Causa materialis proxima febris quartanæ potissimum

consistit in sanguinis & humorum spissitudine ac lentore, in viscere quodam abdominis primario infarctum leniorem producente.

SCHOL.

Quando enim a causa modo dicta talis levior infarctus, in hepate, liene, aut mesenterii glandulis præsto est, natura contra illam, itidem motibus insurgit, sed longe lenioribus, ast diutius continuatis, quam in prioribus, ita ut sub hac febre magis quasi nudus humorum motus attenuatorius, quam specialis ipsius depuratio occurrat. Unde etiam huic febri notabiles excretiones minus solennes observantur, sed natura magis viscerum deoppilationi succurrere videtur. Quamobrem natura eo quasi contenta existit, quod sanguinem lentiore quoque, sed continuato diutius motu restrictorio ad partes internas comprimat atque repellat, & sub frigore diutius ibi coacervatum detineat, sub qua detentione pori & meatus viscerum distenduntur, & magis patuli redduntur, nec non ipsa materia peccans, in ipsis stagnans, lenta & viscida emollitur, & sub accessu motuum tractoriorum in hipochondriis ad absterfionem & divulsionem quasi successivam disponitur; his ita per aliquod tempus continuatis, succedit alter ille motus, a centro ad peripheriam tendens, ita tamen proportionatus, ut causæ substratæ saltem sufficiat.

XXVIII.

Causæ antecedentes & occasionales ordinarie tales sunt, quæ a longinquo quasi, dispositionem ad infarctus & obstructiones producunt.

SCHOL.

Hoc nomine ipsum temperamentum melancholicum huc referri debet, ob naturalem sanguinis dispositionem spissiorem, viarumque proclivitatem ad stricturas. Nec minus diæta crassior & crudior prægressa, præcipue e piscibus, carnibus fumo induratis, aliisque cibis vappescentibus symbolum confert, a quorum usu mucidæ & viscidæ impuritates humorum augentur, quæ successive materiam infarctuum & obstructionum in viscerum ductibus & tubulis suppeditant.

Id

Id quod tanto promptius fuccedit, fi fub tali victu vita fedentaria cum fpeculationibus, timore, mœrore conjuncta, accedat: aut fi excretiones naturales, præcipue fanguineæ, menftruæ & hæmorrhoidales per artificia adftrictoria, aut animi pathemata turbentur: aut denique ab aëre autumnali, fub quo hæc febris maxime familiaris eft, excretionum periphericarum præclufione, impuritates variæ in corpore coacervatæ, humorum lentefcentiam producant.

XXIX.

Et typus & gradus febris quartanæ refpondet ordine naturali, caufæ febrili, ejusque conditioni.

SCHOL.

Cum enim haud adeo multa quoad quantitatem materia fecernenda & excernenda fanguini inhæreat, natura tali motu contenta eft, qui attenuatoriæ, & quidem modeftæ difcuffioni fanguinis, intus hactenus detenti, fufficit atque refpondet, nec proportionem qualitatis materiæ movendæ fuperat, fed fanguini fpiffiori, difficulter alias mobili, adæquatus exiftit. Unde dependet calor ille languidior febrilis, fub æftu adparens, fub quo fanguis ita movetur, ut ipfe non modo fucceffive attenuetur, fed femper quoque aliqua portio illius materiæ, in vifcere hærentis, fimul abripiatur, & fucceffu temporis tota illius moles confumatur: quod, cum uno quafi impetu peragi aut obtineri nequeat, natura faltem ad paucarum horarum tempus huic negotio vacat, & reliquo tempore interpofito, ab illo actu quiefcit, donec diebus intercalaribus præterlapfis, denuo actum priorem repetat, & pari gradu continuet.

Requirit præterea rei & circumftantiarum neceffitas, ut motus ejusmodi leniores fub hac febre fufcipiantur, quoniam caufa, uti dictum eft, in obftructione aut infarctu quodam vifceris, in abdomine contenti, confiftit, vifcera autem illa ita conftituta funt, ut fimultaneos, vehementesque fanguinis impulfus, in ftatu etiam naturali, citra metum infarctus majoris, minus tolerare poffint, nec non fanguis melancholicorum, & de hoc temperamento potiffimum participantium (quibus hæc febris præ aliis familiaris effe folet) jufto fpiffior, & ad motus citatiores ineptus eft, partesque fpongiofæ & porofæ minus patulæ, fed magis ftrictæ exiftunt: unde haud mirandum eft, quod natura hic cir-

cumſpecte agat, regulasque ſanæ rationis obſervet, dum lenioribus illis motibus materiæ ſtagnantis divulſionem & abſterſionem quidem intendit, ſed ſimul majorem infarctuum ſucceſſum ſtudioſe evitare conatur, interea tamen, ne tota ſua intentione fruſtretur, id quod uno ſimultaneo actu perpetrare nequit, pluries repetitis, & diutius continuatis motibus & actibus compenſare intendit.

Febres anomalæ, corruptæ, & ſymptomaticæ.

I.

Febrem anomalam vocamus, quando in typo febrili notabilis aliqua irregularitas occurrit, qua a magis conſueto ordine paroxyſmorum abludit, licet generaliorem unius febris typum ſervet.

SCHOL.

Sic quotidiana anomala eſt, quando equidem ſingulis diebus unum ſaltem paroxyſmum format, eundem vero haud ſtatis ac conſuetis horis matutinis incipit, ſed vel horis pomeridianis, vel vagis per totam diem, quotiescunque revertitur, modo anticipando, modo poſtponendo, ægrum invadit: id quod etiam in tertiana & quartana quandoque contingit, iisque anomalæ titulum acquirit.

II.

Febris corrupta dicitur, quando febris aliqua ſive intermittens, ſive continua, quæ antea per tempus regularis, typica & legitima fuit, ita degenerat, ut plane a typo conſueto declinet, & modo hujus, modo alius febris typum aſſumat, aut in aliam plane ſpecie febrem mutetur, ſub qua tamen non minus corruptionis teſtimonia, per ſymptomata inſolita adparent.

III. Cau-

III.

Causæ tam febrium anomalarum, quam corruptarum, utplurimum sunt occasionales & accessoriæ.

SCHOL.

Dependet enim talis transmutatio febrium ordinarie vel a regimine ægri, quando vel errores diæteticos graviores sub febrili paroxysmo commisit: vel refrigeriis frivolis excretiones periphericas turbavit: vel animi pathematibus immoderatis motus inordinatos reddidit: vel denique a medico per varias artes motuum secretoriorum & excretoriorum turbationes passus est.

IV.

Symptomaticæ febres sunt, quæ cum alio morbo aut affectu cardinali conjunguntur, ita ut ab illo affectu necessitate physica, aut nexu causali non dependeant, sed per accidens, & a causa accidentali, illi superveniunt.

SCHOL.

Accedunt ejusmodi febres, & commotiones febriles sub vulneribus gravioribus,ita ut non a vulnere in se spectato, sed ab animi percussione vel iracunda, vel terrifica oriantur, dum vulnus tale sæpissime sine febre præsto est, & esse potest.

Ejusdem indolis sunt quoque febres puerperarum lochiales & lacteæ, quippe quæ non a puerperio qua tali dependent, aut ad illud pertinent, dum plurimæ puerperarum ab illis immunes manent: illæ autem illis sucjiciuntur, quibus vel lochialis fluxus supprimitur, vel lactis generatio impeditius succedit.

Eundem quoque numerum subeunt febres infantum plures,quæ dentitioni, levioribus affectibus pectoris, alvi adstrictionibus, ac flatulentiis retentis aliquando superveniunt: cum hi adfectus æque facile & frequenter citra febris concursum superentur.

Unde, cum omnes hæ febres, distinctas quoad essentiam species febrium haud constituant, satis esse putamus, quod paucis, in quo consistant, atque ab aliis differant, indicaverimus: eoque ipso totam febrium materiam, & pathologiæ specialis sectionem primam obsignamus.

SECTIO II.
DE
MORBIS EX VITIO HUMORUM PARTICULARIUM.
CAPUT I.
DE
MORBIS a VITIO BILIS.
Icterus.

I.

Icterus est defœdatio habitus corporis externi, colorem vividum mutans in flavum, a bile, per motum ipsius inversum, cum sanguine ad cutem delata, flavumque colorem ipsi imprimente.

SCHOL.

Adparet hæc defœdatio cutis in toto corporis ambitu, quando tota cutis, imo album oculorum, flavedine crocea tingitur, dictusque color, vividum alias a sanguine dependentem, superat & supprimit: quæ coloris mutatio merito inverso bilis motui adscribitur, cum illa secundum naturæ leges ad intestina ex sanguine & cystide follea promoveri debet, quæ nunc contra has leges a centro ad peripheriam fertur.

II.

Distinguitur ordinarie icterus a practicis, in flavum, & nigrum.

SCHOL.

Dependet hæc differentia a mutatione coloris speciali, dum flavus dicitur, quando color flavus cutem imbuens, vel moderate vel saturate talis existit, & manet, ita tamen, ut flavedo crocea quasi remaneat: niger autem vocatur, quando hic color flavus mutatur in obscuriorem, & nigredi-

gredinem quasi intermixtam habet, ut inde teter aliquis color nigrescens, terreus, lividus, in facie & reliquo corpore emergat; quæ coloris mutatio quoque in urina deprehenditur. Unde adparet, icterum nigrum ordinarie pedissequam esse flavi, summumque & ultimum hujus gradum, de quo etiam observatio practica testatur, quod rarissime, imo nunquam, sine flavo prægresso oriatur, & quando accedit, ordinarie mortis præsagium esse soleat.

III.

Subjecta icteri præ aliis, ratione temperamenti, sunt cholerici, & de cholerico potissimum participantes.

Schol.

Et quidem hoc ex naturali dispositione tam materiæ biliosæ, in corpore & humoribus præsentis, quam ad motus iracundos facilius subeundos. Si autem reliquæ causæ antecedentes, in viscerum læsionibus strictoriis aut obstipatoriis considerentur, non æque solum subjectum morbi ad dicta temperamenta restringi, sed potius ad alia quoque temperamenta, diversasque quoad ætatem aut sexum personas extendi potest.

IV.

Subjectum speciale maxime constituit corporis peripheria.

Schol.

In hac enim, & quidem speciatim in cute, coloris defœdatio sese manifestat, ita ut neque album oculorum, neque digitorum aut unguium apices ab illa immunes maneant, sed effectum inversi motus bilis experiantur.

V.

Subjectum causæ constituunt organa & viscera, secretioni & excretioni bilis consecrata.

Schol.

Hoc nomine in considerationem venit hepar, & ductus bilarii, in quibus vel stricturæ, vel obstructiones hærent, eorumque officium lædunt: nec ipsa massa sanguinea, quatenus nempe a bile in illam translata, depravata & inquinata existit, ab hoc titulo libera manebit.

VI.

Causa materialis proxima est bilis, in sanguine p. n. hærens, & ad cutim delata.

Schol.

SCHOL.

Quando nempe vel e massa sanguinea varias ob causas non sufficienter separata fuit, ideoque in massa sanguinea copia abundat: vel post separationem factam, de novo humoribus & sanguini permiscetur, & motu extraordinario ad cutis peripheriam vehitur, ibique per cuticulam transparendo, colorem alienum inducit.

VII.

Causa antecedens proxima consistit, vel in repentina materia biliosa cum humoribus perfusione: vel in ipsius denegata & impedita secretione, & in locum naturalem depositione.

SCHOL.

Prius efficit, ut citius ad peripheriam sub sanguinis circulo detrudatur, quam ex ipso secerni potest, id quod tanto promtius succedit, si de reliquo bilis quantitate excessiva in corpore peccet, aut per diætam valde pinguem, oleosam, spirituosam, sulphureas particulas in copia suppeditantem, augeatur.

Alterum in causa est, ut nimis diu cum sanguine circuletur, & sub hac per partes extremas circumagitatione successive hic deponatur, donec remotis impeditæ secretionis & excretionis causis iterum resorbeatur, & ad locum naturalem promoveatur: quæ causæ differentia causam quoque constituit Icteri, vel repentino impetu, vel successivo progressu oborti.

VIII.

Remotiores antecedentes causæ, partim in materiæ peccantis conditione, partim in organorum ipsius secretoriorum & excretoriorum dispositione sunt quærendæ.

SCHOL.

Materiam peccantem quod concernit, hæc tam quantitate, quam qualitate laborare potest; dum quantitate excessiva, vel quoad partes constitutivas in tota humorum massa abundat, vel in vesicula fellis copiose collecta hæret, vel in primis viis, ventriculo aut duodeno particulariter collecta atque effusa in copia præsto est, atque hoc modo, vel propter sui copiam tardius, quam par est segregatur, vel e vesicula fellea & hepate ipsi sanguini, hepar transeunti, data causa occasionali, immediate reaffunditur,

ditur, vel in primis viis cum chylo permixta, sanguini cito atque repente communicatur.

Respectu qualitatis autem spissitudo bilis, ejusque viscositas aliquando in culpa est, ut tardius, quam par est, ex hepate in cystidem felleam deferatur, unde a sanguine transfluo facile iterum absorberi potest, & sub illius motu circulatorio ad alias partes defertur: quæ bilis viscositas & spissitudo aliquando tanta esse deprehenditur, ut ipsam ejus fluxilitatem demat, ejusque coagulationi calculosæ ansam præbeat.

Organa secretionis & excretionis bilis, quod attinet, si in illis causam icteri antecedentem quærere velimus, hepatis obstructiones a sanguinea aut viscosa materia hic occurrunt, nec non stricturæ ipsius, & quasi condensationes, ut in ductibus ita obstructis aut angustatis, secretio bilis succedere nequeat. Non minus aliquando particulares occurrunt casus, ubi ductus bilarii in hepate, aut ductus cysticus, & cholodochus, calculis aut tophacea quadam materia obstruuntur, & ita motus bilis vel ad cystidem, vel ad duodenum plane intercipitur, unde non nisi bilis reaffusio & regurgitatio in sanguinem evenire potest, præsertim si plures dictorum meatuum in hepate a tali materia obstructi fuerint: quam tamen causam specialem ejusque præsentiam medicus ex certis signis diagnosticis declarare nequit, sed saltem ex frequentiori faciliorique morbi recursu, ejusve refractaria continuatione conjicere potest.

IX.

Occasionales causæ utplurimum dependent a gravioribus animi pathematibus, ira, terrore & mœrore.

Schol.

Ab iracundia enim, præsertim sub, vel circa pastum perpessa, tota humorum massa in majorem rapitur motum, sub quo partes quoque biliosæ tam e primis viis, quam ex ipso hepate eidem permiscentur, & ad minus naturalia & inconvenientia loca ducuntur.

Sub terrore autem partes solidæ magis afficiuntur atque stringuntur, id quod adparet ex motu illo horripilatorio non solum, sed actuali constrictorio & restrictorio partium musculosarum & cutanearum, to-

tius corporis actuale refrigerium inducente, ſub qno non ſolum exteriores partes ita ſtringuntur, ſed ſtrictura illa latius quoque ſeſe diffundit, ita ut perterriti eundem ſtricturæ, horripilationis & frigoris ſenſum in intimis corporis partibus perſentiſcant. Ubi non dubitandum, quin ipſum quoque hepar ab eadem afficiatur, & mediante hujus ſubſtantia membranoſa ſtricta, ductus bilarii ſimul ſtringantur, motusque bilis inverſus ad maſſam ſanguineam, per hepar transgredientem, inducatur, & ſic bilis ad ſanguinem reducta, hujus circulatorio motu ad peripheriam corporis pervenire poſſit: unde etiam haud rarus exiſtit icterus, a terrore repentino obortus. Mœrorem tandem ob effectum, quem in humoribus facile edit, inſpiſſatorium, hic excludere nefas eſſet.

X.

Non minus ad hunc cauſarum ordinem referendus eſt adſtringentium præpoſterus uſus.

SCHOL.

Sicut ſtricturæ ſpaſticæ ab animi pathematibus in viſceribus inducuntur, ita ſane idem præſtare valent adſtringentia in febribus, diarrhœis, aut hæmorrhagiis, intempeſtive adhibita, intercedente ſolum hac differentia, quod animi pathemata ordinarie citiorem, adſtringentia autem talia tardiorem exſerant effectum; unde haud raro accidit, ut multi medicorum hanc icteri cauſam non agnoſcant, quoniam non ſemper immediate & cito poſt talia artificia ſuccedit: quorſum etiam pertinet illa hæmorrhagiarum artificialis cohibitio, quæ per impoſitionem & applicationem linteorum, aqua vel aceto madidorum & frigidorum, in regione hepatis obtinetur: unde ſpecialiſſime in hac parte talismodi conſtrictio nimis quam tonica efficitur, & tam huic, quam aliis affectibus, hinc pullulantibus, via ſternitur.

XI.

Icterus niger ab iisdem generalioribus cauſis dependet.

SCHOL.

Cum enim ſupra jam indigitatum ſit, icterum nigrum flavi conſectarium, ultimumque gradum eſſe, ſufficit, hic loci monere, quod ſpeciali-

cialiter ad faciliorem flavi coloris in nigricantem, mutationem aliquid faciat major temperamenti melancholici concurſus aut præſentia, cui ſanguis ſpiſſior & minus dilutus antea jam ſolennis, colorem magis fuſcum nigricantem conciliat, a quo, ſi bilis flavedo accedit, facile ille color, icterum nigrum manifeſtans, procedit Reliquas cauſas quod concernit, vel complicatio ſupra recenſitarum cauſarum, ſive plurium, ſive omnium, ſive graviorum, vel conſummata & irreparabilis hepatis aut lienis ſcirrhoſitas tanquam ſpecialior icteri nigri cauſa accuſanda erit.

Diarrhœa bilioſa.

XII.

Diarrhœa bilioſa eſt alvi excretio aucta præternaturalis & doloroſa, a bile copioſa & acri ortum habens, ſub qua materia bilioſa præcipue excernitur.

Schol.

Diſtinguit ſe hæc diarrhœa ab aliis alvi profluviis, tam ratione materiæ excretæ, quæ hic ſpecialiter bilioſa eſt, & cum ejectione materiæ flavæ, aut viridis; vel apud infantes, vitellinæ, virideſcentis & grandinoſæ albæ ſe prodit: quam reſpectu ſymptomatum doloroſorum, ardentium, torminoſorum, quæ hic ſemper graviora ſunt, quam in diarrhœa seroſa.

XIII.

Subjecta bujus diarrhœa, reſpectu temperamenti, ſunt cholerici puriores: ratione ætatis frequenter infantes, mammas adhuc emulgentes.

Schol.

Ratio eſt, quoniam temperamentum cholericum ſemper præ aliis bile abundat, & præterea ad vehementiorem iracundiam bilisque eructationem pronius exiſtit. Ætas autem illa infantilis, quamvis per ſe ad iracundas tales commotiones nondum diſpoſita ſit, tamen facile lacte nutricis inquinamenta talia bilioſa communicata accipit.

XIV.

Subjectum ſpeciale conſtituunt inteſtina.

SCHOL.

Et quidem tam tenuia, quam crassa; primum enim ingressum bilis capit in duodenum per cholidochum, & hinc per reliquum intestinorum canalem transit, in quo præcipue tunicam villosam, nerveamque acrimonia sua lædit.

XV.

Causa materialis proxima est bilis.

SCHOL.

Non equidem, quatenus in massa sanguinis hæret, sed quatenus citra modum præternaturalem majore, quam par est, quantitate in duodenum effusa, acrimoniam vel possidet, vel acquirit, & abhinc per reliquum intestinorum canalem diffusa, tunicis sese insinuans, earum fibras stimulando & vellicando moleste ac graviter afficit.

XVI.

Causam materialem ex parte antecedentem, ex parte concurrentem constituere potest, alia acris materia.

SCHOL.

Saburra nempe vitiosa, a cibis acrioribus fermentescibilibus & acescentibus, similibusve potibus, vel successive collecta & accumulata, vel proxime jam contracta, quæ cum bile acriore concurrens, tanto graviora symptomata producere apta est, quæ citra hunc causarum concursum leniora esse possunt.

XVII.

Occasionalis causa ordinarie in adultis est iracundia pregressa.

SCHOL.

Sub hac enim bilis tam ex hepate, quam cystide fellea, mediantibus motibus spasticis, citius movetur, & ad intestinum duodenum promovetur.

XVIII.

Apud infantes tenellos, præcipue lactantes, neque hæc causa occasionalis, neque immediata bilis per ductum cholodochum in duodenum effusio, accusari potest.

SCHOL.

Quamvis enim aliquo modo in his commotiones iracundæ adpareant,

reant, & ejulatus pro illarum indicio explicentur, tanti tamen momenti vix sunt, ut talis inde emergeret effectus: unde potius dicendum, quod hic materia biliosa aliunde ad primas vias deferatur, quando sub lacte materno aut nutricis, impuritatibus biliosis inquinato, ipsis communicatur, & cum lacte acescente permixta in tenellorum intestinis dictum effectum exserit, qui aliquando ad tantum evehitur gradum, ut instar acidi corrosivi tam extrema ani, quam ipsa linteamina corrodat & friabilia reddat.

XIX.

Sub omnium harum causarum materialium concursu merito considerationem quoque meretur causa efficiens, nempe natura.

SCHOL.

Quamvis naturam non accusemus ut ipsius læsionis effectricem (cum ipsa læsio a causa materiali dependeat) tamen natura molestiam ardoris & acrimoniæ in partibus nervosis, & per illas sentiens, propter ipsius noxam præsentem & imminentem, contra materiam peccantem motibus insurgit, quibus tanquam instrumentali causa, partim humorem serosum, pro vehiculo commodioris ejectionis, congerit, & in intestina affundit, partim motum intestinorum peristalticum extra ordinem auget, ipsamque excretionem in effectum deducit.

CAPUT II.
DE MORBIS EX VITIO LYMPHÆ ET SERI.
Cachexia, & chlorosis.

I.

Cachexia & chlorosis est defœdatio ac depravatio externi habitus corporis, quoad colorem & consistentiam, cum mutatione adspectus floridi in pallidum, aut flavescentem.

 SCHOL.

Schol.

Affectus hi, tacentibus licet ægris, quasi ipsi loquuntur, ac sese manifestant, dum in utroque illorum faciei color pallidus, habitus corporis turgidulus atque tumidus quasi œdematosus apparet, (als wenn das Fleisch und die Haut von Wasser aufgequellet wären) in eo tamen a tumore œdematoso differens, ut magis pendula & laxa, quam actu tumida sit externi habitus corporis constitutio: dum e contrario sub hydropicis tumoribus strictius dictis, partes spongiosæ a tumore magis extolluntur, & renitentiam aliquam acquirunt.

II.

Differentia quidem inter utrumque adfectum vulgo statuitur, quæ tamen magis accidentalis, quam essentialis, existit.

Schol.

Notandum enim est, quod in chlorosi stricte dicta punctum quasi differentiæ ponatur in pallore, magis ad flavedinem inclinante, & quasi aliquantum bilis dilutæ intermixtæ monstrante. Unde, cum hoc quasi ex accidenti contingat, ratione reliquæ indolis autem, causarum, subjectorum etiam generaliter consideratorum, imo ipsius curationis, maxima convenientia adsit, utrumque hic conjungimus adfectum.

III.

Subjecta constituunt in genere personæ temperamenti phlegmatici atque sanguinei: fœminæ præ viris, & speciatim virgines.

Schol.

Temperamenta molliora & laxiora, propter majorem humoris lymphatici & serosi abundantiam, & abhinc pendentem fibrosarum partium mollitiem, ad extraordinariam relaxationem aptiora existunt.

Sexus sequior præ virili varias ob causas, a genere vitæ, aut excretionum sanguinearum turbis dependentes, huic vitio subjicitur: ubi notandum, quod ita dicta chlorosis nunquam sexui virili tribuatur, sed solum ad sexum fœmininum restringatur: ita quidem, ut in hoc etiam sexu non omnibus competat, sed solum virginibus præ maritatis adscribi soleat: unde

unde quoque morbi virginei, & febris virginum nomen tam apud medicos, quam apud vulgum obtinuit: quod ultimum tamen tantæ certitudinis non exiſtit, quin etiam fœminæ maritatæ eidem ſub cauſæ occaſionalis acceſſu, ſubjici poſſint.

IV.

Cauſa materialis proxima eſt humor lymphaticus, juſto ſpiſſior ac mucidior, intra fibras partium poroſarum cutanearum incarceratus.

SCHOL.

Hic enim partes modo dictas emollit, relaxat, diſtendit, ſimulque fibras inter ſe invicem comprimit, ut puriori ſanguini tranſitum & ingreſſum intimiorem præcludant: unde, dum humor albidus magis ad extrema cutis penetrat, neceſſario color in pallidum mutatur, & totus habitus ab emollitione fibrarum, pendulus, laxus & tumeſcens adparet, ſimulque magis frigidus deprehenditur.

Quodſi vero humor lymphalis non ſimpliciter & ſolitarie hanc cauſam conſtituat, ſed aliquid materiæ bilioſæ ipſi permixtum ſit, color ille pallidus, & quaſi œdematoſus declinat in flaveſcentem, qui chloroſi in ſpecie & ſtricte dictæ tribuitur.

V.

Remotiorem materialem cauſam conſtituit ſerum, diutius cum lympha cohærens.

SCHOL.

Hoc enim, ſi a lympha debito juſtoque tempore aut legitima quantitate haud ſecernatur, lympham in ſe gelatinoſam, ſalſedine ſua accedente, mucidam reddit, ac minus fluxilem, ut cum ſanguine ad peripheriam delata, tanto promtius intra poros hæreat, fibrasque emolliat.

VI.

Antecedens & procatarctica cauſa hujus mali utplurimum eſſe ſolet viſcerum, ſecretioni lymphæ & ſeri dicatorum, oppilatio atque obſtructio.

SCHOL.

SCHOL.

Hoc nomine hepar præcipue, cum aliis partibus glandulosis, huic officio inservientibus, in considerationem venit: quando vel regurgitatorius infarctus sanguinis oppletivus circa venam portæ, vel materiæ mucidæ, aliunde subnatæ atque collectæ, præsentia, quæ meatus ductusque viscerum obliterando & obstruendo, depurationem & sequestrationem dictorum humorum retardat: vel spastica quædam viscerum, aut vasorum strictura angustatoria, transitum liberiorem humorum, atque hoc ipso eorundem depurationem sufflaminans, in culpa est.

VII.

Remotiores in hoc ordine causæ esse possunt ac solent: 1. Excretionum sanguinearum suppressiones: 2. Sanguinis nimiæ profusiones.

SCHOL.

1. Quando evacuationes sanguineæ, in utroque sexu solemnes, supprimuntur, status plethoricus incrementum capit, & oppletiones regurgitatoriæ in visceribus oriuntur: præcipue si tales suppressiones ab adstringentium, sub variis casibus, febrium, hæmorrhagiarum, adhibitorum abusu dependeant, & simul actuales viscerum constrictiones spasticæ concurrant

2. Nimiæ sanguinis profusiones, sive spontaneæ, sive artificiales fuerint, debitum partibus solidis robur tonicum subtrahunt, ut in motu humorum transpressorio, & hinc dependente attenuatorio, deficiant, hincque variæ humorum, quoad crasin, læsiones oriantur.

VIII.

Ad occasionales causas referri merentur tam sexus & vitæ genus, quam errores in victu commissi.

SCHOL.

Sexus rationem habemus, quatenus alterutri evacuationes, hæmorrhoidales, menstruæ, aut lochiales solennes sunt, & turbas patiuntur.

In vitæ genere, potissimum vita sedentaria ac otiosa plurimum contribuit ad humorum lentescentiam, præcipue si cum mœrore, aut vita specu-

ſpeculabunda concurrat. Errores diætetici huc faciunt, præcipue circa qualitatem ciborum & potulentorum commiſſi: quo reſpectu & cibi mucidiores, & potus nimis tenues atque aquoſi, aut nimis pauci, aut ſpirituoſi variis reſpectibus accuſari poſſunt.

Affectus hydropici & oedematoſi. Oedemata, & anaſarca.

IX.

Oedemata ſunt tumores aquoſi particulares extremitatum corporis, renitentes quidem, ſub preſſione tamen foveam relinquentes, pallidi, indolentes, a collectione particulari humoris lymphatico-ſeroſi ſub cute ortum capientes.

SCHOL.

Notandum hic eſt, quod œdemata cum reliquis hydropicis tumoribus, eſſentialiter & quoad cauſas inter ſe conveniant, quoad gradum vero, aut particularitatem locorum, differentiam admittant, atque agnoſcant. Sunt enim œdemata primus ac levior gradus tumorum hydropicorum, ſub tumida, pallida ac molli partium extremarum inflatione ſeſe manifeſtans: quæ, licet non ita pendula & laxa, ſed magis renitens ac ſplendens adpareat, quam in chloroſi, tactui tamen cedit, & poſt digitorum preſſionem foveam relinquit. Quod nomen œdematis tamdiu receptum manet, quamdiu ejusmodi tumor ſub cute in extremitatibus faciei aut artuum hæret.

Aquoſum eſſe hunc tumorem, ideoque ab aliis tumorum ſpeciebus diverſum atque diſtinctum, id elucet ex pallore, humoris lymphatico-ſeroſi præſentiam indicante, cum, ſi ſanguineus eſſet, tumor, rubor etiam adeſſe deberet, ac dolor: ſiquidem differentiam a ſcirrhis declarat fovearum poſt preſſionem veſtigium relictum.

X.

Anaſarca eſt tumor aquoſus pallidus, indolens univerſalior, totum habitum corporis externum quaſi afficiens, ab eadem hu-

moris lymphatico-serosi collectione sub cute oriens, foveasque a digitorum pressione retinens.

SCHOL.

Differt itaque anasarca ab oedemate, non nisi quoad majus & minus, cum oedematis titulus tum demum in hydropis anasarcæ nomen mutetur, quando idem tumor, loco unius alteriusve extremitatis, totum quasi corpus, aut maximam ejus partem ocupat, ita tamen, ut humor serosus, tumidam hanc inflationem producens, inter cutem partesque substratas hærens deprehendatur.

XI.

Nec majus fundamentum agnoscit distinctio in anasarcam, & leucophlegmatiam.

SCHOL.

Quemadmodum enim leucophlegmatia describitur, ut tumor oedematosus totius externi habitus corporis, qui non ad exemplum chloroseos pendulus quasi, sed paulo magis renitens, foveasque leviores a pressione excipiens, nec tamen ad tantum retinentiæ ac nitoris gradum, ut anasarca, perductus, ita facillimo negotio quisque videre potest, leucophlegmatiam essentialiter nihil aliud esse, nisi primum gradum incipientis anasarcæ, ideoque medicinam his minus necessariis distinctionibus & subdivisionibus morborum, ad illorum essentiam non pertinentibus, optime carere posse.

XII.

Subjectum generale horum tumorum idem est, quod sub cachexia & chlorosi adesse declaravimus.

XIII.

Subjectum speciale vel est particulare, vel magis universale.

SCHOL.

Particulare nempe tumoris subjectum in oedemate constituunt partes sub eodem specialiter obsessæ, facies, brachia, manus, crura, pedes. In anasarca magis universale subjectum tumoris constituit tota corporis peripheria, & in illa speciatim cutis & cuticula, quæ maxime ultra naturalem modum expanduntur, tenduntur, ita tamen, ut neque

in

in totum muſculoſas ſubſtratas partes excludere liceat, cum ſæpius cadavera diſſecta, aquas collectas hic etiam hærere, teſtentur.

XIV.

Cauſa materialis proxima horum tumorum eſt humor ſeroſus atque lymphalis, ſub cute extra ordinem ſtagnans, atque in copia collectus.

SCHOL.

Hic enim humor, quando in copia extraordinaria intra fibras cutaneas hæret, has relaxando, earumque tonum debilitando, viam ſternit, ut ſucceſſive ulteriori humoris ingreſſui cedant, tumidamque expanſionem ſubire poſſint: & cum albidi ſit coloris, ſub intimiore ſui penetratione colorem quoque ſimilem, id eſt, pallidum, albidumque cuti expanſæ largitur, ſimulque ſanguinis floridioris intimiorem ingreſſum ſufflaminat.

XV.

Cauſa antecedens proximior eſt lympha muceſcentia extraordinaria, ab impedita ipſius depuratione a ſero adhærente oriunda.

SCHOL.

Notum enim eſt, lympham & ſerum maxime ab invicem per partes glanduloſas ſecerni, & huic ſecretioni omnium evidentiſſime inſervire ipſum hepar & glandulas, tam meſaraicas, quam inteſtinales: pro excretione autem materiæ ſeroſæ, quamprimum ſecretæ, glandulas ſubcutaneas, renesque adeſſe, & ita ſerum a ſanguine & lympha ſecedens, ſub ſudoris & urinæ forma, ordinarie & conſtanter excerni atque eliminari.

Quemadmodum autem pro faciliori & prompta hac ſecretione celebranda, & materiæ fluxilitas, & viarum legitima diſpoſitio requiritur: ita ſufflaminata per dictas partes ſequeſtratione, & ſub diuturniore utriusque liquoris commercio, ſeri muciditas ſalſa lympham antea gelatinoſam ſecum ex partes in mucorem trahit, & ad reſolutionem fluidam, quæ transpreſſione per partes poroſas fieri debebat, ineptiorem reddit: ita, ut mobiliſſima quidem ipſius portio per vaſa lymphatica revehatur, mucidior

autem facta, cum ipso sero intermixta permaneat, viasque excretorias obstruat, & ita sequenti debitæ excretioni obicem ponat.

Quando itaque hæc portio seroso-mucida, & lymphatica incrassata ad partes cutaneas defertur, fibras illarum præsertim in habitu corporis laxiore tanto facilius lædit, relaxat, emollit, atque distendit, ut passive quoque ingressui copiosiori humoris cedant, eumque facilius recipiant. Cum vero poros quoque cutis crassitie & muciditate sua non modo obliteret, sed ad ipsam exhalationem quoque ineptus sit, hic subsistit, atque tumorem format. Quam seri mucidioris in peripheria subsistentiam & stagnationem, propter denegatum regressum, necessario tunc sequitur urinæ simul parcior excretio, imo quandoque plenaria fere suppressio: qua accedente, postmodum materia illa peccans quotidie augmentum capit, & tumor increbescit: unde videmus, tumores illos hydropicos successive & per moram augeri, donec diureseos liberior progressus iterum restitutus fuerit.

XVI.

Remotiorem causam antecedentem internam constituunt viscerum & glandularum, lymphæ, & seri secretioni destinatorum, infarctus graviores aut pertinaciores, obstructiones, imo aliquando indurationes.

Schol.

Quamprimum enim vel a sanguine, copiose ac impetuose ad talia organa secretoria congesto, ductus & tubuli comprimuntur & angustantur, vel a materiis mucidis viscidis ductus obliterantur & obstruuntur, aut aliquando totum organum induratur, tunc sane humoribus depurandis, atque ab invicem sequestrandis, via ac transitus præcluditur, ut ita impuri maneant, multisque heterogeneitatibus scateant, quibus referti, in aliis quoque locis liberiorem sui progressum sibi præcludunt, stasibusque subjiciuntur.

XVII.

Causæ occasionales aliquando intrinsecæ, aliquando etiam magis externæ esse possunt.

Schol.

Schol.

Ad prioris generis causas pertinent errores diætetici, & victus mucositatum genesi ansam præbens: adstringentium in diversis morborum generibus abusus: & evacuationum sanguinearum ordinariarum & naturalium emansiones aut suppressiones pertinaciores.

At alteram vero classem causarum referendæ sunt illæ, quæ externo saltem accessu vel partes extremas solidas lædunt, vel humorem lymphatico serosum, in superficie corporis hærentem, notorie alterant, ejusque mobilitatem demunt: quorum utrumque fieri potest a frigore externo, præsertim quod humiditatem conjunctam habet, ubi a frigore humor condensatur ac inspissatur, & sic ad refluxum circulatorium, aut exhalationem transpiratoriam ineptus redditur, ab humiditate vero externa fibræ partium læduntur & relaxantur, ut humori stagnanti tanto facilius locum concedant, qui demum præsentia sua ac decubitu fibras tanto magis emollit ac distendit, sibique viam patentiorem efficit.

Idem specialiter contingit, si ex alio quodam affectu seroso, humor seroso-lymphalis in superficie corporis hæret, & per illam ejici ac eliminari debet, parique modo ipsius excretio impeditur, ut alteratus, & per amissionem particularum mobiliorum inspissatus intra partium fibras detineatur. Quale quid contingit in tumoribus a scabie, crusta lactea, tinea capitis, retropulsis, per balnea, externas refrigerationes, aut inunctiones mercuriales & sulphuratas, neglecto sufficiente corporis calore externo, & regimine diapnoico susceptas.

Simile quid videre licet a sudoris vel universalioris, vel particularis, suppressione ac retropulsione, quam satis frequenter œdemata sequuntur, & quidem præcipue in pedibus, a sudore pedum particulari suppresso, aut in facie, post transpirationem capitis alias solennem sufflaminatam: quibus œdematibus neque certo aut constanter mederi potest Medicus, nisi per priorum evacuationum revocationem.

Haud secus gravidæ aliquando experiuntur œdemata pedum, quando a mole fœtus, vasa iliaca comprimente, sanguinis & lymphæ regressus a pedibus impeditur, & ita humores serosi sub diutiore mora restagnationis intra cutem colliguntur.

Afcites.

XVIII.

Afcites eft tumor hydropicus particularis, folum abdomen occupans, quod ab humore aquofo, intra ejus cavitatem effufo, & collecto, ultra modum expanditur & intumefcit.

SCHOL.

Non equidem mens eft, quafi afferamus, quod afcites femper folitarie, fine conjuncta anafarca adeffet, aut adeffe deberet, fed potius fecundum receptam loquendi formulam, ftrictiorem faltim fenfum vocabuli indigitamus, bene confcii, ftrictiorem hoc nomine fumtam afcitem fatis raram effe, & communiter utramque conjunctam exiftere, unamque alteram excipere: quamquam aliqui hunc titulum eo reftringant, ut concurfus œdematis quafi univerfalioris exulare debeat. Ubi tamen notandum, quod hæc intumefcentia abdominis aliquando ortum ducat ab humore aquofo, fimpliciter intra abdomen effufo, & fluctuante, aliquando vero humorem, fpeciali facco membranofo inclufum, pro caufa agnofcat, in quo ultimo cafu authores fpeciali nomine Hydropis faccati uti folent.

XIX.

Subjectum generale, fi difpofitionem internam fpectemus, idem eft cum antecedente.

SCHOL.

Ita enim ex naturali difpofitione potiffimum temperamenta phlegmatica & humida, cum fexu fequiore, præ aliis huic quoque hydropis fpeciei fubjiciuntur; cum autem non negandum fit, aliquando etiam caufas violentas adeffe, hunc morbum producentes, in tali cafu refpectus certorum fubjectorum ratione ætatis, temperamenti, aut fexus fane haberi nequit.

XX.

Subjectum fpeciale conftituit abdomen cum integumentis, fpecialiter huc pertinentibus.

SCHOL.

Cum enim fedes collectionis aut extravafationis humoris aquofi fit cavitas

cavitas abdominis, atque abdomen ultra modum tumidum evadat & expandatur, ſpecialiter Peritonæum, abdominis muſculi, panniculus adipoſus, cutis & cuticula hic patiuntur. Hæ enim partes a mole aquarum ſucceſſive aucta, indies relaxantur, tenduntur, & expanduntur, unde etiam proxime ſymptomata moleſta experiuntur, ſicut in conſenſum quoque trahunt partes, reſpirationi dicatas, & ex his præcipue diaphragma, quod ultra modum detractum in motu ſuo naturali impeditur, quo reſpiratio difficilior redditur. De reliquo neque partes internas abdominis contentas hic excludere licet, dum hæ etiam a ſero extravaſato premuntur, imo ſi acrius fuerit, in ſubſtantia læduntur.

XXI.

Cauſa materialis hic etiam eſt humor lymphatico-ſeroſus, intra cavitatem abdominis effuſus, atque p. n. collectus.

SCHOL.

Teſtantur hanc ſpecialem effuſionem & collectionem humoris aquoſi intra cavitatem abdominis, paracenteſes, quibus aquæ aſciticorum evacuantur, partim cadaverum aſcite extinctorum diſſectiones, ſub quibus ejusmodi collectiones, ad multas usque menſuras ſæpiſſime reperiuntur.

XXII.

Cauſa proxima antecedens, ut plurimum eſt vaſis lymphatici unius aut plurium ruptura.

SCHOL.

Quando enim, uti ſub anaſarca dictum eſt, ex ſeri a lympha tardiore ſequeſtratione hinc inde infarctus, præcipue in abdominis viſceribus naſcuntur, facili negotio vaſa lymphatica, ultra modum humore ſtagnant, & cum tenerioris texturæ ſint atque ſtructuræ, facile rumpuntur: quo facto, perpetuum contingit lymphæ ſtillicidium, ut intra cavitatem hæc colligatur: unde etiam fundamentum curationis difficilioris, dubiæque prognoſeos proficiſcitur, etiamſi aquæ præſentes ſemel eductæ fuerint.

Sicut autem aſcites ipſa, aliique hydropes particulares hanc vaſorum lymphaticorum rupturam ordinarie pro cauſa proxima agnoſcunt, ita

ita pedum oedemata, asciti conjuncta, aut supervenientia, (praesertim, si ascites magnum incrementum ceperit) tam a generalibus sub anasarca citatis causis proveniunt, quam aliquando a nudo passivo transitu seri per substantiam partium fibrosarum ortum ducunt: quando nempe serum, in abdominis cavo collectum, per poros peritonaei, & interstitia musculosarum fibrarum, praevia harum emollitione & relaxatione transudat, sibique ipso gravitatis pondere, viam ad crura pedesque sternit; id quod saepissime testatur varius aegrorum situs atque decubitus, quo tumores illi varie modificari solent ac possunt. Notissimum enim est, & quotidie videre licet, quod decumbentibus in lecto aegris, sive resupine, sive in latere alterutro id fiat, praesertim elevatis paulo cruribus, tumor ille a partibus inferioribus pauco temporis spatio retrocedat, & plane dispareat, solumque abdomen cum coxis occupet, donec iterum sedeant, aut pedes extra lectum perpendiculariter detineant, aut quocunque modo erecti incedant, ubi visibiliter quasi aqua illa serosa priorem locum iterum petit, & crura, femora, ac pedes denuo occupat; quam tumoris permutationem a loco uno ad alium aegri pro lubitu facile instituere ac experiri possunt.

XXIII.

Aliquando causa rupturae vasorum lymphaticorum, citra antecedentes infarctus, esse potest occasionalis & violenta.

SCHOL.

Extra dubium enim est, quod v. g. persona juvenis de caetero sana atque robusta, sive sub motu corporis, aut nisu fortiore ac graviore, sive sub acerbiore tussi ferina, violentiam pati possit, ut aliquando vasculum aliquod lymphaticum rumpatur, unde stillicidium lymphae contingit. Et quamvis utique hic casus longe rarior sit, prae reliquis, tamen dabilis est, & facile hariolari licet, tales adfuisse casus, ubi aliquando de cura asciticorum firma per paracentesin dicitur, quae sane ita prompte non succederet, nisi simul credere fas esset, quod in tali casu supposito, facilior quoque & spontanea rupti vasculi consolidatio forte succederet.

Hydrops

Hydrops pectoris & pericardii.

XXIV.

Utraque hæc hydropis species particularis existit a collectione lymphæ serosæ intra cavitatem, vel thoracis alterutram, aut utramque, vel pericardii, facta.

XXV.

Subjectum speciale constituit vel thoracis cavitas, vel pericardium, prout in alterutra parte extravasatio facta est.

XXVI.

Causa particularis hujus extravasationis æque nulla alia est, nisi vasorum lymphaticorum ruptura.

SCHOL.

Cum enim hic locorum organa talia secretionis aut depurationis lymphæ notoria non adsint, ex quorum infarctu & obstructione longinquiore talem collectionem p. n. conjicere liceret, merito talem rupturam supponimus, quæ tamen pro causa antecedente, vel violentiam motus, vel aliquando etiam singularem lymphæ acrimoniam causticam, & hinc pendentem vasorum diæresin, habere potest.

Hydrocephalus.

XXVII.

Hydrocephalus est hydrops particularis capitis sub tumore aquoso, aliquando satis insigni, ab humore lymphali extravasato ortum capiente, sese manifestans.

SCHOL.

Particularem vocamus hunc hydropem, cum neque totum reliquum corpus, neque aliæ ipsius partes, præter caput, ab ipso adficiuntur. Tumorem aquosum esse, testantur signa, ex pathognomonicis nota, a pallore tumoris, aliisque desumta, & ipse humoris aquosi, sub apertione facta, effluxus.

XXVIII.

Distinguitur hydrocephalus in externum & internum.

Schol.

Diſtinctio hæc dependet a loco ſpecialiter affecto, quem tumor occupat, prout nempe vel externa capitis integumenta, vel internæ magis capitis partes lymphatici humoris collectioni locum concedunt.

XXIX.

Subjectum generale hydrocephali, conſtituunt infantes, & quidem maxime recens nati.

Schol.

Cum enim hic affectus ſolitarie a partu antecedente dependeat, primus ipſius ortus ſolitarie apud recens natos contingit: ita tamen, ut poſt primam tenerrimam ætatem, aliquando ad aliquot annos primæ vitæ protrahatur, ac duret.

XXX.

Pars affecta generaliter eſt caput, ejusque partes tam externa, quam interna.

Schol.

Caput externum atque ſupremum, cum ſuis integumentis affectum, eſt in hydrocephalo externo, ubi ſerum collectum intra cranium & pericranium, vel pericranium & cutem ſubſiſtit; internum vero, quando aqua extravaſata ſub cranio, vel ſupra vel infra meninges hæret, & caput in ſtupendam ſæpe molem attollit.

XXXI.

Cauſa materialis proxima eadem eſt, qua in reliquis hydropicis tumoribus præſto eſt, quapropter illam hic non repetimus.

XXXII.

Cauſa proxima antecedens hujus affectus eſt extrinſeca & plane particularis.

Schol.

In hoc enim differt hic affectus hydropicus ab aliis, quod humoris lymphatico - ſeroſi extravaſatio, non a viſcerum internorum, ſecretioni aut depurationi lymphæ dicatorum, læſione aut obſtructione ortum ducat, ſed particularem cauſam agnoſcat. Eſt autem illa ordinarie partus

partus difficilis, aut diuturnus: quando nempe infans vel nimis diu ante exclusionem circa ossa pubis matris capite propendens ac infarctus quasi hæret, ut ex situ tali major humoris decubitus in partes capitis molliores, tam externas, quam internas, fieri possit: vel quando fœtus toto capite quidem extra uterum protrusus, per longum adhuc tempus in eodem situ manet, antequam totum reliquum corpus sequatur.

Compressis enim hoc pacto, ab orificio uteri interno, venis jugularibus, sanguis per arterias carotides internas constanti motu ad cerebrum adpulsus, liberiorem regressum ad inferiores partes non inveniens, majorem seri & lymphæ quantitatem, in partes capitis vicinas non solum, sed & ad ipsam cerebri corticalem substantiam impellit atque protrudit, quæ diutius hic stagnans, vel ipsa lymphatica vasa perrumpit, vel poros magis magisque dilatando, viam sibi parit, porosque ita disponit, ut vel non adeo prompte in debitam constrictionem iterum redigi possint; vel semel facta illa nimia distensione, & manente sub reliqui corporis incremento copiosiore sanguinis & lymphæ appulsu, turgidi ita maneant, aut penitus cum reliquo corpore crescente, magis quoque expandantur, donec fibrarum nimia emollitione & relaxatione tumor ille monstrosus capitis successive proveniat.

Tympanites.

XXXIII.

Tympanites est abdominis intumescentia, ascitem quasi mentiens, tactui quidem ex parte cedens, statim vero recedens, & sub percussione aliqua sonum tympani quasi percussi edens, a nimia flatuum copia ortum capiens.

Schol.

Hic affectus, cui etiam titulus hydropis sicci imponitur, prioribus affectibus hydropicis est rarior, &, si solitarie consideretur, perquam rarus, cum reliquis autem hydropicis complicatus, paulo frequentius occurrens, tumorem formans, qui tactui tam facile non cedit, nec foveas post digitorum pressionem relinquit, sed renitens observatur, & si pressioni digitorum aliquatenus cedat, in momento sine ullius vestigii relictio-

 ne

ne iterum recedit, non aliter, ac si vesica expansa comprimatur, vel corium tympano inductum tangatur.

XXXIV.

Subjectum hujus affectus chronici ordinarie constituunt personæ adultiores & infantes.

Schol.

Licet enim mediam ætatem non penitus excludamus; tamen observatio quotidiana testatur, ætate paulo provectiores frequentius ab illo affectu corripi, simul ac infantes, quando sequestratio lymphæ & seri in glandulosis abdominis partibus retardatur, quoniam hæ ætates magis atoniæ partium solidarum subjectæ sunt.

XXXV.

Partem affectam, aut subjectum speciale, constituunt, partim intestina, partim abdominis musculi & integumenta, partim aliquando reliquus externi corporis habitus.

Schol.

Hæ enim partes vel singulatim, vel conjunctim, inflationem illam tumidam experiuntur, & ab expansione & distensione extraordinaria, quam patiuntur, sensu molesto afficiuntur.

XXXVI.

Causa materialis proxima & immediata sunt flatus.

Schol.

Ab his enim dictas partes distendi, flatusque intra illos inclusos esse, testatur sonus ille sub tactu perceptibilis, tympanum tactum æmulans: qui primo intestina expandunt, & vel illa solitarie distendendo abdomen tumidum reddunt, vel substantiam illorum membranosam penetrando, in cavo abdominis colliguntur, aut denique sub reliquis etiam peripheriæ partibus progrediuntur.

XXXVII.

Causa antecedens proxima est humiditas serosa, aliquatenus mucida.

Schol.

Hæc vel in intestinis, vel extra illa, intra abdominis cavum subsistens,

ſtens, & a calore interno in vapores reſolubilis, antecedenter fibras partium poroſque relaxare, partibuſque ſolidis mollibus atoniam inferre, & poſtmodum in vaporem expanſa, poros diſtenſos & relaxatos tranſire commode poteſt.

XXXVIII.

Remotiores ad hunc affectum diſponentes procatarctica, vel etiam occaſionales cauſæ, eſſe poſſunt varia atque diverſa.

SCHOL.

Huc enim pertinent ex diæteticis, cibi mucidi & flatulenti, & fermentativi: ab his enim oritur materia peccans, poſtmodum proximam affectui ſuppeditans cauſam. Deinde ſymbolum ſuum conferunt alvi pertinaciores obſtipationes & occluſiones, quæ illius materiæ peccantis tempeſtivam excluſionem præcludunt, ejusque collectioni præternaturali occaſionem præbent.

Prægreſſæ quoque paſſiones colicæ vehementiores, per opiatorum uſum nimium aut præpoſterum curatæ; ab his enim ſuccedit partium relaxatio tonica, qua facta, tanto facilius humoribus a calore expanſis cedunt, atque in tumorem elevantur. Nec minus hoc idem ſuccedere poteſt ab externo uſu narcoticorum, v. g. fol. hyoſcyami, lacte decoctorum, & ſub fomentatione abdomini adplicatorum, ubi vis illa ſtupefactoria, cum emollitione humida, ſimul concurrit, & ita duplex affectus generandi fundamentum ſuppeditat.

Hæmorrhoidum, menſiumque anomaliæ & obſtructiones, præſertim a præpoſtera medicatione inductæ, ad cauſas quoque tympanitidis referri ſolent, id quod remotiore reſpectu facile concedendum eſt, dum ab illis facili negotio œdematoſi, & hinc cum illis complicati tympanitici affectus ortum trahere poſſunt: quodſi autem veram ſolamque tympanitidem directe & proxime ab illorum fluxuum anomaliis quis deducere vellet, experientia ſane hypotheſin non confirmaret.

Tympanites ſpuria.

XXXIX.

Tympanites ſpuria nobis audit affectus infantilis, ſub in-

 flatio-

flatione abdominis & hypochondriorum temporaria, cum respirationis difficultate, & febricula sese exserens.

SCHOL.

Quamvis haud nobis cognitum sit, hunc affectum hucusque a Medicis hoc nomine salutatum fuisse, tamen affectus ipse satis notus existit, præcipue hic locorum, ubi in vernacula, das Anwachsen, oder das Hertzgespan der Kinder vocari suevit. Vocamus hunc affectum tympanitidem spuriam, eam ob rationem, quod hæc tumida abdominis infantum inflatio & expansio, ratione formalitatis, & causæ proximæ materialis cum vera tympanitide, præsertim strictiore sensu sumta, quidem conveniat, sed ratione chronicæ indolis ac durationis, nec non respectu causarum remotiorum antecedentium, ut & partis specialiter adfectæ, ab illa differat.

Solet autem quamplurimum infantes repente quasi & insultu acuto invadere, ita ut sub anxia respiratione, æstu plus solito & præternaturali per aliquot dies decumbant: sub quo rerum statu abdomen a præcordiis ad hypochondriorum fines durum atque inflatum, tactum intimiorem digitorum sub costas spurias prohibet, nec cutis externa in medio lumborum digitis commode prehendi potest.

XL.

Subjectum bujus affectus constituunt infantes.

SCHOL.

Affectus hic ordinarie, & utplurimum quasi solitarie, apud infantes primæ ætatis, mox a partu, ad annum circiter unum aut alterum, observatur, & crescente ætate infrequentior existit. Neque tamen in totum deficiunt observationes practicæ, de adultis quoque personis, hoc affectu aliquando laborantibus, quod tamen in comparatione longe rarius obtingit.

XLI.

Pars affecta sunt tam intestina, quam abdominis integumenta.

SCHOL.

De vera tympanitide diximus, quod aliquando etiam reliquum corporis externi habitum occupet, ita ut crura præcipue similem inflationem simul patiantur. In hoc affectu vero idem non contingit, sed sola

ſola regio abdominis expanſionem præternaturalem ad tempus aliquot dierum patitur.

XLII.

Cauſa materialis proxima itidem eſt materia flatulenta, in inteſtinorum canali hærens.

SCHOL.

Hæc enim ab alimentis, infantibus oblatis, facile ſemper præſto eſt, ut a calore interno in vapores reſolvi & attenuari queat, quo inteſtina facili negotio diſtenduntur, ſimulque integumenta externa in conſenſum rapiant: præcipue, ſi vel alimenta flatulenta, ab ipſis infantibus ingeſta, vel a lactantibus fœminis comeſta, ſub lactis communicatione, anſam proximam præbuerint.

XLIII.

Occaſionalem ſæpe cauſam præbet immodeſtus aëris frigidi ac ventoſi uſus.

SCHOL.

Hinc ſæpiſſime hoc malum primordia ſua capit partim a clamoribus & ejulatibus infantum, partim a geſtatione aut obambulatione in aëre frigido ventoſo, ita ut ore aperto ventum ex adverſo obvenientem attrahere potuerint. Quamvis enim ſub reſpiratione aër immediate in pulmones ingrediatur, nihilominus rationi non contrariatur, ſub violento aëris ac ventorum impulſu, per os, aërem quoque per œſophagum in ventriculum ex parte impelli poſſe, præcipue cum teneriores infantes judicio nondum polleant, quo adminiculis debitis in contrarium uti poſſent.

Congeſtiones & ſtagnationes lymphæ & ſeri.

I

Congeſtiones & ſtagnationes lymphæ & ſeri vocamus in genere, quando in una vel altera, aut pluribus corporis partibus, extraordinaria quantitas dictorum humorum quaſi reſtagnans,

stagnans, varios affectus morbosos, qui serosi utplurimum vocantur, hinc inde in corpore producit; ita tamen, ut nulla concurrat aut praesto sit horum humorum extravasatio.

SCHOL.

Locuti hactenus sumus de seri & lymphæ extravasationibus, nec non de ipsius resolutione in vapores, a quibus œdemata & hydropici tumores, nec non tympanites, ortum ducunt. Cum autem lympha & serum non saltem dicto modo per extravasationem læsiones subeant, atque efficiant, sed, si justo diutius cohæreant, variis etiam discrasis subjiciantur, morbosque diversos producant, necessitas quoque requirit, ut hos debito ordine pertractemus.

II.

In affectibus ita dictis serosis communiter lympha quoque aliquem habet concursum.

SCHOL.

Cum enim lymphæ & seri connubium in nostro corpore notissimum sit, dum ex sanguine conjunctim secernuntur, postmodum autem per colatoriorum variam dispositionem a se invicem separantur, haud veritati contrariatur, quod in illis affectibus, ubi sero quidem maxima pars causæ jure tribuitur, lymphæ quoque peccanti aliquis locus concedatur, cum præcipue hoc ad minimum certissimum, & supra jam demonstratum sit, quod serum lymphæ diutius permixtum, huic mucositatem & discrasiam salsam contrahat, quæ ex utraque sui parte demum varias alias læsiones producere valent.

III.

Congestiones & stagnationes humoris lymphatico-serosi non particularibus ipsius motibus absolvuntur, aut contingunt, sed potius a generalioribus sanguinis motibus congestoriis ad certa loca dependent.

SCHOL.

Dum enim hi aliquando celebrantur, atque in corpore contingunt, lympha & serum (præcipue si in corpore abundent) simul in majore copia ad easdem partes adpelluntur, a quibus, si liberiorem sece-

secedendi viam inveniant, nullum ibi damnum aut incommodum oritur, quoniam per poros ductusque patulos colatoriorum libere transeunt: quodsi autem dicti humores vel vias jam obstructas inveniant, vel quantitate harum proportionem superent, vel qualitate & crasi læsi ipsimet colatoria obstruant, sibique viam præcludant, necesse est, ut stagnatione corripiantur, congestiones forment, variisque morbosis affectibus ansam suppeditent.

IV.

Congestiones tales maxime occurrunt in partibus glandulosis & membranosis.

SCHOL.

Hinc ejusmodi stagnationes in diversis corporis locis occurrunt, ubi glandulæ, aut membranæ glandulosæ conspiciuntur ac deprehenduntur, ibique pro diversitate partium & locorum, causarumque concurrentium, diversos producunt affectus. Sic enim in capitis faciumque regione contingentes gravedinem, coryzam & branchum, in pectore tusses, asthmata, catarrhum suffocativum, in primis viis vomitus atque diarrhœas, in visceribus collectiones nodosas, scirrhosasque, in peripheria corporis autem varii generis defœdationes cutis post se trahunt, siquidem hoc in sequentibus pluribus illustrabitur.

Coryza, gravedo, branchus.

V.

Coryza est materiæ seroso-mucidæ plus minus acris ad capitis confinia congestæ fluxus spontaneus & copiosus e naribus, utplurimum cum sternutatione conjunctus.

SCHOL.

Intelligimus itaque sub hoc nomine autocraticum illum naturæ actum excretorium, aut fluxum seroso-mucidæ materiæ plus minus acrioris & copiosæ e naribus, qui aliquando per multos dies, imo septimanas durans, ægris incommodus atque molestus existit, naresque intus & extus arrodendo aut excoriando afficit.

VI.

Coryza distinguitur in benignam & malignam.

SCHOL.

Benignam vocamus, quando adeſt ſine inſignibus aut notabilibus commotionibus febrilibus, & materia excreta notabili acrimonia caret: cum e contrario maligna audiat, ſi materia per nares excreta, notabilem poſſidet acrimoniam ſalſam, nares earumque confinia arrodentem, & excoriantem, conjunctis ſymptomatibus febrilibus & catarrhalibus, de qua ſimul ordinarie obſervatur, quod magis contagioſa exiſtat, quam benigna, atque facilius aliis communicetur.

VII.

Gravedo eſt lympha & ſeri extraordinaria congeſtio & reſtagnatio circa caput & nares, ſine actuali excretione, aut profluvio materia ſcroſa in naribus, cum capitis dolore gravativo atque obtuſo conjuncta.

SCHOL.

Intelligimus itaque ſub hoc titulo impeditum ipſius coryzæ progreſſum, ubi propter minorem, vel materiæ fluxilitatem, vel viarum diſpoſitionem, excretio ſuccedere nequit, ut inde ægri in infima fronte, & ſupra nares ſenſum gravativum, tenſivum, preſſorium experiantur, qui utplurimum ad oculos usque extenditur, ut pondere quaſi compreſſi conniveant, aut lacrymas demittant, vel ad minimum præ humore, ultra ſolitum adfluente, obſcuriores fiant, cum aliquali ſomnolentia conjuncta, etiamſi ſomnus quietus non ſequatur.

VIII.

Branchus potius ſymptomatis coryza titulum, quam ipſius morbi ſpecialis meretur.

SCHOL.

Deſignat enim hoc vocabulum illum congeſtionis gradum, quando hæc non ſolitarie circa nares ſubſiſtit, ſed potius ipſas fauces ad laryngem & pharyngem usque occupat, ac copioſo muci affluxu & effluxu multam ſcreationem, fauciumque irritationem inducit, aut aliquando etiam tonſillarum inflationem ſimul cum deglutiendi difficultate comitem habet: vel ſub fortiore ſcreatu ac tuſſi profundiore œſophagi torſiones & ſubſequentes vomendi conatus, præcipue tempore matutino, concitat.

IX.

IX.

Subjectum omnium horum affectuum generale constituunt partim temperamentum phlegmaticum, & sanguineum, aut ex utroque mixtum, partim ætas infantilis & puerilis, quam ipsa senilis.

SCHOL.

Dicta enim temperamenta præ reliquis omnibus abundant humore lymphatico-seroso, quo sanguis illorum scatet, & simul gaudent habitu corporis molliore & laxo, qui tanto magis dispositus aptusque existit, ut decubitum humorum recipiat, quoniam fibræ illius laxius sibi invicem adponuntur, tantoque facilius humori seroso copiosius allabenti cedunt, adhuc magis dilatantur, & ita passive quoque humorum decubitui viam liberiorem pandunt.

Ætas autem infantilis ac puerilis præ reliquis turget humore lymphatico-seroso, ad augmentationem corporis ex parte tunc demum necessariam, cui accedit generalis humorum commotio congestoria ad caput, huic ætati solennis, sicuti in senili laxitas & flacciditas fibrarum tonique earundem debilitatio occurrit, quæ, si cum antecedente habitu & temperamento simul concurrat, &, ut ordinarie esset solet, minorem ipsius naturæ activitatem & energiam comitem habeat, defectum secretionis & excretionis, majoremque serosæ materiæ in corpore collectionem post se trahit.

X.

Subjectum speciale sunt Membrana pituitaria narium, & faucium confinia, cum aspera arteria.

SCHOL.

Membrana pituitaria, ossis ethmoidei sinus, aliosque huc spectantes, præcipue cingens, nariumque cavitatem involvens, maxime afficitur in coryza & gravedine: in illa relaxatione nimia, unde profluvium illud extraordinarium contingit, in hac obstructione & oppletione, unde tenditur quidem atque expanditur, sed ipsa excretio non sequitur. In brancho autem plurimum patiuntur glandulæ faucium, & asperæ arteriæ, cum uvula & reliquo universo faucium peristromatę molli, ubi tamen ex accidenti partes vicinæ & connexæ simul in con-

ſenſum trahuntur, ideoque meninges cerebri, oculi, œſophagus, & ipſe ventriculus pathemata ſua experiuntur.

XI.

Cauſa materialis proxima eſt materia ſeroſa mucida ſalſa, in extraordinaria copia huc congeſta.

SCHOL.

Accuſamus hanc materiam, quoniam primatum hic ducit, licet materiam lymphalem ex parte ſecum ferat: eſt autem effectus illius partim fibras glandularum, & membranarum, humiditate relaxans, ſenſumque gravativum inducens, partim ſalſedine ſua moleſte afficiens, ſenſumque titillatorium & fibrillatorium cum ſternutatione multa provocans, aut tuſſim, ſcreatum, imo vomitum excitans.

XII.

Cauſam antecedentem conſtituit partim materiæ ſeroſæ mucidæ generalis abundantia, partim ipſius ſecretio & excretio per alia loca denegata.

SCHOL.

Abundantia hæc materiæ ſeroſo-lymphalis mucidæ originem utplurimum ducit ab ætate aut diæta, vel vitæ genere, ubi in ſpecie diæta & victus craſſior, mucida, viſcida, e piſcibus, aliiſque eſculentis dyſpeptis ſymbolum ſuum ad coacervationem talium materiarum contribuunt: quæ tanto magis noxiæ evadunt, ſi ſolenniores per alvum, urinam, aut ſudorem, excretiones per aliquod tempus, aut repente, ſuppreſſæ fuerint.

XIII.

Occaſionales ab extra quaſi accedentes cauſæ variæ eſſe poſſunt, præcipue tamen tales, quæ vel partes relaxando, fibrarum tonum debilitant, vel humorum generaliorem commotionem & congeſtionem ad caput promovent: vel denique excretionem ordinariam materiæ ſeroſo-mucidæ impediunt.

SCHOL.

SCHOL.

Spectat huc habitatio in locis ulidis ac humidis, aërisque humidi abusus, unde particulæ aqueæ in nostris humoribus multum augentur & coacervantur. Nec minus hoc intuitu proxime ad ejusmodi catarrhales affectus disponit frigus externum, præcipue humidum, unde secundum certas tempestates, certaque anni tempora eosdem grassari videmus, humectatio capitis in specie, quam refrigeratio vel comitatur, vel sequitur, quale quid contingit sub capitis lotura frigida aut calida.

Exæstuatio totius corporis & humorum, vel a motibus excessivis, vel a spirituosis potibus nimium ingurgitatis, vel a conclavibus æstuosis, aut ipso æstu solis, quippe quæ congestiones humorum ad caput causantur.

Maxime omnium autem huc faciunt repentinæ porosarum partium, præcipue extremarum, stricturæ, excretiones periphericas supprimentes, præcipue si exæstuationes corporis prægressas immediate sequantur, quo nomine hunc causarum censum subit frigus externum siccum quoque, cui corpus ita dispositum, vel diu, vel repente exponitur, ut sudor impetuose supprimatur, seu ille fuerit universalior, seu magis particularis.

Nec possumus, quin ad causas occasionales, præprimis gravedinosæ stagnationis, referamus abusum pulverum sternutatoriorum, moderno tempore valde solennem, quibus decubitus consuetudinalis ad partes narium materiæ seroso-mucidæ inducitur. Cum autem potissimum materia tenuior sub emunctione excernatur, sæpissime tractu temporis materia residua, tenacior & spissior facta, vias excretorias obsidet, & propter denegatum transitum habitualem sæpe gravedinem affert, repetitionem pulverum sternutatoriorum pro temporaria sublevatione requirentem.

Ophtalmia serosa.

XIV.

Ophtalmia serosa est fluxus seri plus minus acris, ex oculis, cum oculorum rubore ac dolore conjunctus, qui etiam lippitudo vocatur, a seri acrimonia & congestione ortum ducens.

 SCHOL.

SCHOL.

Locuti ſumus in ſectione præcedente de ophtalmia a congeſtione ſanguinea, quam ut inflammatorium affectum, leviorem tamen, deſcripſimus: a quo præſens noſter affectus in eo differt, quod, licet reſpectu ruboris ac doloris aliquam cum eo convenientiam habeat, tamen aliam agnoſcat cauſam materialem proximam, præterea præ illo humidus exiſtat, & lacrymarum acriorum effluxum copioſum conjunctum habeat, nec non utplurimum affectus chronicus eſſe ſoleat.

XV.

Subjiciuntur huic affectui præ aliis ætas infantilis & ſenilis, cum temperamentis de phlegmatico potiſſimum participantibus.

SCHOL.

In ætate infantili enim plus vigent humorum congeſtiones in genere ad caput, lympha quoque copioſius cum ſero adeſt, atque facilius muceſcens, acrimoniam contrahit ſalſam: in ſenibus autem, licet congeſtiones ad caput non adeo familiares ſint, major utplurimum adeſt diatheſis humorum ad muceſcentiam, & diſcraſiam acrem, diſpulſis eorum particulis agilibus & fluidis. Plurimum tamen contribuit temperamenti concurſus, in quo particularum ſeroſo-mucidarum copioſus proventus præpollet, quale phlegmaticum eſt, præcipue ſi aliæ adhuc cauſæ antecedentes accedant.

XVI.

Subjectum ſpeciale ſunt glandulæ lacrymales, & palpebrarum, cum reliquo oculi bulbo.

SCHOL.

Quemadmodum enim glandulæ ſebaceæ Meybomii, æque ac duæ lacrymales, humidum limpidum minus acre, in ſtatu naturali, ſecernunt atque emittunt, quod neque quantitate, neque acrimonia, oculis incommodum exiſtit, ſed humectatione blanda, oculorum motum facilitat, ita in ſtatu p. n. humorem quantitate excedentem non modo, ſed acrem ſimul fundunt, qui & copia, & acrimonia ſua oculis moleſtus evadit, dum con-

continuo ejus effluxu non modo afficiuntur, ſed ruborem quoque & ardorem, cum ſenſu roſionis patiuntur, id quod oculorum tunicis adeo moleſtum exiſtit, ut continuus decubitus ſanguinis huc invitetur.

XVII.

Cauſa materialis exiſtit ſerum acre & ſalſum.

SCHOL.

Sicut in ſtatu naturali lacrymæ illum humorem conſtituunt, qui inter oculi bulbum & palpebras colligitur, nec in tali ſtatu oculis ullo modo moleſtus exiſtit, ita nunc ſub copioſo humorum appulſu, ac diutiore eorundem circa has partes mora & ſtagnatione, ſerum ex ſanguine ſecedit ſalſum, lacrymis ſeſe permiſcens, easque acriores reddens, adeo ut ſub continua defluxione doloroſam ſenſationem oculorum afferat tunicis, imo haud raro eroſione afficiat palpebras, & oculorum canthos, imo ſub ulteriore progreſſu aliquando puncta lacrymalia. Qui ſenſus moleſtus author exiſtit, ut ſanguis majore copia adfluat, vaſcula tenerrima ſanguinem ferentia cruore turgeant, oculi rubeant, atque ardore afficiantur, & lacrymæ, quæ propter copiam, in puncta lacrymalia recipi nequeunt, continuo fluxu palpebrarum limbum tranſcendant.

XVIII.

Cauſam antecedentem ponere licet partim in ſanguinis diſcraſia, partim in ipſius congeſtione ad caput facta.

SCHOL.

Cum enim ex antedictis jam pateat, perſonas phlegmatici magis temperamenti, affectui huic ſubjectas eſſe, facile liquet, in his ſubjectis materiam peccantem, ſerum nempe ad muceſcentiam & ſalſedinem proniſſimum, abundare, ſemperque præſens eſſe, hincque facillimo negotio, ſi cauſæ retardatæ ſeceſſionis ſeri a ſanguine accedant, diſcraſiam ſanguinis ſalſam ortum capere Quibus ſi motus ſanguinis congeſtorius ad caput ſuperveniat, tanto facilius ex ſtagnationis mora in partibus glanduloſis talis acrimonia particulariter major fieri poteſt, cum præſertim quotidiana obſervatio monſtret, lacrymas facillimo negotio acriores magisque ſalſas fieri, ſi modo ſub animi pathematibus triſtibus, ſanguis copioſus adfluat, nosque ad plorandum excitemur.

XIX.

XIX.

Causas remotiores & occasionales utplurimum constituunt vel aliarum excretionum lymphatico-serosarum suppressiones, vel oculorum irritationes sanguinis copiosum decubitum huc invitantes.

SCHOL.

Ita enim haud raro videre licet, tales lippitudines apud infantes, quibus crusta lactea, achores aut tinea capitis, linimentis variis, aut refrigerationibus repentinis suppressæ fuerunt, & quidem notorie ordinem & alternationem servantes, ut repullulantibus illis exanthematibus lippitudo cesset, cessantibus iterum illis hæc recrudescat.

Neque coryza prægressa, & intempestive neglecta aut suppressa hic excludi potest. Sic narium quoque hæmorrhagia suum contribuit symbolum, si largiter antea fluxerit, nunc autem suppressa moliminibus tamen recurrentibus ansam dederit, sub quibus, conspirante, præsertim ætate aut temperamento, lympha cum sero acriore adpellitur.

Sicut spontaneæ, ita non minus artificiales excretiones, si negligantur, idem efficere possunt: unde ad fonticulos quoque aut setacea respiciendum est, an forsan horum neglectus usus lippitudini ansam dederit.

Ultimo loco & aër frigidus, rigidus, & fumi aut exhalationes acriores salinæ, oculis recepti, ad hujus mali concitationem multum conferre possunt.

Cephalalgia serosa.

XX.

Cephalalgiam serosam vocamus dolorem capitis, utplurimum chronicum, satis molestum, qui non æque sanguineas congestiones, sed potius seri stagnationem pro causa agnoscit.

SCHOL.

Locuti jamjam sumus de cephalalgia, tanquam effectu & consectario sanguinearum congestionum, in antecedente sectione, ubi de morbis

bis ex ſanguinis vitio egimus: cum autem experientia teſtis ſit, non omnes capitis dolores ſemper unam eandemque cauſam materialem proximam agnoſcere, ſed hanc pro diverſitate perſonarum, ac individuorum, differentem eſſe, haud inconvenienter actum erit, ſi hic loci eundem quidem affectum, ſed ſecundum diverſam ſui geneſin, conſideremus, & per cauſarum cognitionem veram, fundamentum quoque adæquatæ magis curationis ſuppeditemus.

XXI.

Subjecta bujus cephalalgiæ ſunt illa individua, in quibus ſerum ſalſum, vel naturaliter copia abundat, vel ad minimum facile generatur.

SCHOL.

Hujus indolis primo ſunt phlegmatici, & huic temperamento proxime affines; in his enim ſemper ſeroſi humores abundant, ac propter abundantiam, & minus vegetam, propter fibras laxiores, transpreſſionem, ſecretionem & excretionem, facile in diſcraſiam mucidam, æque ac ſalſam tranſeunt: deinde ex morboſa humorum diatheſi ita dicti ſcorbutici huic affectui magis ſubjiciuntur, quippe qui tam muceſcentia & lentore, quam acrimon ia ſalſa lymphæ & ſeri laborant.

XXII.

Subjectum ſpeciale bujus cephalalgiæ maxime omnium conſtituunt membranæ capitis tam internæ quam externæ.

SCHOL.

Cum enim capitis membranæ ſenſibiles, ex indole nervoſa, exiſtant, haud contra rationem aſſerimus, has præ aliis partibus ab acrimonia quadam, moleſto affici ſenſu, ideoque tam cerebri meninges, præcipue duram matrem, cum pericranio, ſubjectum ſpeciale ſalutamus, ita tamen, ut neque membranam pituitariam, ſinus capitis diverſimode inveſtientem, excludendam eſſe putemus.

XXIII.

Cauſam materialem proximam conſtituit ſine dubio ſerum ſalſum, bic locorum collectum & ſtagnans.

SCHOL.

Serum hic ſtagnare poſſe, facile a nemine negabitur, qui varia excretionis ſeroſæ organa in capite exiſtere, & membranas in ſpecie tranſitui favere, compertum habet. Non ſecus in ſcholis Medicorum evictum eſt, ſerum æque ac lympham haud facilius ſalſæ diſcraſiæ ſubjici, quam ſi extra motum progreſſivum debitum ponantur, & vel ſtaſi, vel ſtagnatione corripiantur. Salſedinem vero acrem ex omnibus partibus noſtri corporis maxime membranoſas & nerveas moleſto modo afficere, per multos caſus æque compertum habemus. Cum itaque omnes dictæ membranæ capitis nervoſæ texturæ ſint, concepta facile erit, quod, ſi ſerum ſalſum hic ſtagnationi, aut actuali ſtaſi ſubjiciatur, roſionis, ardoris, vellicationis, & morſicationis ſenſus inde emergant: dum fibrillæ nerveæ ſalſedine tactæ, tenduntur, & ſpaſtico vibrativo motu ſtringuntur.

Nec minus hujus cauſæ præſentiam arguit ipſius affectus chronica utplurimum duratio: cum enim ſeroſi & lymphatici humores, tali motu quoad gradum non gaudeant, quo ſanguis gaudet, ſed diutius ſemper in uno loco hærere neceſſe habeant; ſane illorum ſtaſes & ſtagnationes, non æque facile ac ſanguineæ reſtagnationes, diſſipari poſſunt, unde cephalalgiæ ſanguineæ reſtagnationes, diſſipari poſſunt, unde cephalalgiæ ſanguineæ, in comparatione cum his, temporariæ dici merentur.

XXIV.

Cauſæ antecedentes partim quærendæ ſunt in erroribus victus, & generis vitæ, partim in excretionum ſeroſarum ſuppreſſione.

SCHOL.

Ex victu & diæta aliquando cauſam conſtituunt, cibi acres ſaliti, copioſe ingeſti, præcipue ſi forſan præter conſuetudinem aſſumti fuerint, aut illorum uſus extraordinarie diutius continuatus fuerit: nec minus illi cibi accuſandi ſunt, qui, licet poſitive ſalſedinem & acrimoniam non ſecum ferant, tamen ad muceſcentiam & lentorem humores diſponunt, & per indirectum, poſt ſtagnationem inductam, diſcraſiæ ſalſæ proventum facilitant.

Ex genere vitæ ſymbolum ſuum confert vita ſedentaria & minus mobilis,

mobilis, præcipue noxia, si cum superius citato victu concurrat, & temperamentum phlegmaticum comitem habeat. Sicut enim sub vita laboriosa omnes generis motu secretorii & excretorii exaltantur, florent, vigentque, ita sub corporis quiete sedentariæ fatiscunt, & labefactantur: ut inde impuritates mucidæ ac salsæ generentur, augeantur, varieque ad partes transferantur.

Ad serosas evacuationes, si respiciamus, quæ suppressæ hunc affectum excitare possunt, illorum variæ prostant: quemadmodum coryzæ diuturniores, aut frequentiores nunc diu suppressæ, merito huc referuntur, dum non modo sub illis materiæ decubitus & congestio, partes solidas ad sui receptionem disposuit, sed nunc collecta, suique excretionem postulans, acrimonia sua partes membranaceas stimulat, vellicat, molestoque sensu afficit.

Nec minus lippitudines prægressæ, nunc suppressæ, aliquando causam constituunt: ut & partim fonticuli aut setacea iterum neglecta, partim aliarum partium ulcerosa profluvia, ne dicam, sudores alias solennes, suppressi, quippe quæ excretiones omnes seri evacuationi favent, & si supprimantur, illius augmentationem, collectionem, & ad caput translationem causantur.

XXV.

Occasionalem causam facile constituit frigus externum, universaliter aut particulariter perpessum.

Schol.

Ita enim satis frequenter contingit, ut superius nominatæ excretiones serosæ ab hac causa supprimantur, quando vel capitis perfrigerationem repentinam, aut continuam, coryzæ aut sudoris capitis suppressio sequitur, vel a pedum refrigeratione perpetua horum sudor supprimitur, & serum excrementitium spasticis stricturis retropellitur. Haud enim deficiunt sufficientia exempla, ubi ex capillitii aut calceamentorum permutatione, vel studiosa sudoris pedum suppressione per adstringentia, tales humoris serosi translationes ortum ceperunt.

Neque excludendæ sunt ab hac causarum classe consolidationes frivolæ ulcerum antiquorum per adstringentia emplastra aut cataplasmata, cum vix dici possit, quantum talia ulcera levis momenti apparen-

tia, utilitatis sæpe præstent, pro conservanda sanitate, unde caute semper sunt tractanda.

Tussis & asthma.

XXVI.

Tussis in genere motus est succussatorius thoracis, ex parte voluntarius, quo diaphragma, & musculi intercostales extra ordinem moventur, ut ex pulmonibus & aspera arteria, materia molesta, vi explodatur.

XXVII.

Distinguitur tussis pectoralis in siccam & humidam.

Schol.

Sicca tussis dicitur, ubi sub illo motu thoracis & pulmonum excussorio, pauca aut nulla materia mucida rejicitur, sed loco illius materia magis tenuis serosa salsa, stimulo vellicatorio molesta, & quidem satis parce, excernitur.

Humida vero audit, quando cum & sub illo motu excussorio, copiosus mucidæ materiæ affluxus atque decubitus ad pectus conjunctus existit, suique præsentiam, tam infarctu pulmonum, sub respiratione distinguibili, quam ipsa rejectione manifestat.

XXVIII.

Asthma est difficilis respiratio, cum sono sibilo, aut roncho, successive invadens, & chronice ægros afficiens, a materia serosa mucida aut salsa, in pulmonibus hærente, oborta.

Schol.

Distinguit sese asthma a tussi facili negotio: quamvis enim tussis aliquando asthmatici quid conjunctum habeat, hoc tamen ordinarie temporarium est, & sub tussis impetuosis insultibus concurrit, sicut illis cessantibus, iterum ad tempus cessat. Verum autem asthma continuum est, quamdiu durat, licet exasperationes sæpissime patiatur, vel a materiæ peccantis coacervatione, id quod maxime noctu fieri solet: nec tussim ordinarie junctam habet, nisi vel in tussim degeneret, vel ex tussi longinqua ortum ceperit.

XXIX.

XXIX.

Asthma itidem distinguitur in humorosum, atque in siccum.

SCHOL.

Asthma enim humidum audit, quod multæ materiæ mucidæ præsentiam in pulmonibus & trachæa indicat, sub majore ronchi atque stertoris sono, ita ut sub respiratione, materia quasi in bullas elevata atque commota audiatur etiam ab aliis.

Siccum vero dicitur asthma, ubi talis sensus stertoris & ronchi deficit, & loco illius sonus acutus cum sibilo, voceque clangosa præsto est, atque de paucitate, aut acrimonia materiæ peccantis testimonium præbet: quemadmodum pluribus signa differentiæ in pathognomonicis indigitata fuerunt.

XXX.

Porro distinguuntur asthmata secundum differentiam gradus.

SCHOL.

Sic enim practici primum & leviorem asthmatis gradum *dyspnœam* vocant, ubi sola respirandi difficultas sine notabili sono sibili aut ronchi ægros afficit, magisque sub corporis motu, quàm sub quiete, molesta existit.

Asthma *καὶ ἐξοχὴν* dicitur gravior ipsius gradus, ubi sonus & sibilus concurrit. ægrique tam sub motu, quam sub quiete, continue respirandi difficultatem patiuntur.

Sicut ultimus summusque gradus *orthopnœa* salutatur, quando difficultas respirationis tanta adest, ut non nisi erecte sedentes respirare valeant ægri.

XXXI.

Subjecta hisce affectibus magis obnoxia præ aliis sunt temperamenti phlegmatici, vel magis talis persona, aut qui acrioribus gaudent humoribus: nec non quoad ætatem vel pueri, vel senes.

SCHOL.

Phlegmatici temperamenti personæ, sicut semper majore mucidorum humorum colluvie scatent, & ad omnis generis collectiones serosas in genere proclives sunt, ita ex generali illo fundamento etiam his affectibus

ferosis subjiciuntur, ita tamen, ut magis tam tussi humidæ, quam asthmati humoroso subjaceant: siquidem paulo ficciora individua magis humores tenues, pauciores, & simul ad acrimoniam concipiendam aptiores habentes, procliviores existunt ad tussim ficcam, ficcumque asthma.

Nec minus hic in considerationem venit ætas; juvenilis enim, in qua vigor motuum adhuc major observatur, proclivior quoque est ad hunc motum excussorium sub tussi, cum ex opposito senilia subjecta, ut magis torpida atque effœta, longe magis asthmate laborent, eamque materiam peccantem validiore motu ad superiores tracheæ partes protrudere, atque per illas extrudere haud valeant.

XXXII.

Subjectum speciale constituit pectus, cum pulmonibus, & aspera arteria, ejusque tunicis & glandulis.

SCHOL.

In glandulis enim atque membranis pulmonum & asperæ arteriæ, occurrit decubitus ille materiæ serosæ & mucidæ, quæ demum bronchiis pulmonalibus ipsis impingitur, & partim pro multitudinis, partim pro discrasiæ speciali gradu diverso, hunc vel illum dictorum affectuum pectoralium producit: totum pectus autem externum cum partibus quibusdam vicinis, sub motu excussorio tussiculoso, aut sub respirationis difficiliore progressu potissimum afficitur.

XXXIII.

Causæ horum affectuum pectoralium tam proximiores, quam antecedentes, eadem sunt cum illis, quas sub antecedentibus denominavimus.

SCHOL.

Materiam enim proximam suppeditat serosa, mucida & salsa colluvies, quæ non minus easdem quoque causas antecedentes generatim agnoscit, quas in antecedentibus fuisse diximus. Neque respectu occasionalium causarum plurimarum hic magna occurrit differentia, quin ad dictos pectorales affectus æque disponant; unde illas repetendo tempus non teri-

terimus, ſed ea ſaltem breviter addimus, quæ ſpecialiter circa ſingulum affectum notanda occurrunt.

XXXIV.

Ad ſpecialem affectuum differentiam tamen varia ſpeciales circumſtantiæ diſponunt, licet eſſentialiter eadem materia peccans præſto ſit.

SCHOL.

Siquidem ſpecifica differentia omnium horum affectuum probabiliter in eo poſita videtur, quod materia peccans mucido-ſeroſa in tuſſi humida, ſuperiorem potius aſperæ arteræ regionem occupet, & in capacioribus ipſius bronchiis hæreat; in aſthmate autem humido magis in ipſis veſiculis pulmonalibus & profundioribus aſperæ arteriæ ramulis locum teneat: unde in illa promtius contingit motus eliſorius & excuſſorius, in hoc vero difficilior motus reſpiratorius, cum ſono atque roncho combinatus.

Quod autem aſthma & tuſſis non ſemper humiditatem notabilem, aut excretionem materiæ mucidæ conjunctam habeant, ſed hanc ob differentiam ſicca aliquando audiant, id dependet ex una parte a multitudine materiæ peccantis diverſæ, ex altera autem, & quidem principaliter, a tenuitate, & ſalſa magis materiæ diſcraſia, cum paucitate ipſius conjuncta: qua motum quidem excuſſorium in tuſſi titillando excitat, quo tamen parum excuti poteſt: in aſthmate autem ſicco ſtricturam potius membranularum & veſicularum pulmonalium cauſatur, unde poſtmodum ſibiloſa & anhelituoſa illa reſpiratio dependet.

Catarrhus ſuffocativus.

XXXV.

Catarrhus ſuffocativus eſt ſumma atque repentina reſpirandi difficultas, & impotentia, ab infarctu ſeroſo mucido copioſo & repentino in ipſis pulmonibus, & muſculorum pectoralium atonia orta, cum roncho, ſtertore, & reſpiratione ſonora ſeſe manifeſtans.

SCHOL.

SCHOL.

Haud minimus eſt hic affectus, ex morbis pectoris ſeroſis, qui propter acutam gravemque invaſionem, ac brevem decurſum, funeſtumque ſæpiſſime eventum, ad acutorum morborum claſſem merito refertur.

Diſtinguit ſe hic affectus a diverſis aliis, utpote ab aſthmate invaſionis modo, dum aſthma humidum ſucceſſive & pedetentim infeſtat ægrotantes, hic autem affectus repente & citra opinionem illos invadit.

Ab aſthmate convulſivo, per materiæ peccantis, & ſubjectorum aut individuorum diverſitatem: dum aſthma convulſivum ſanguinem potius pro cauſa materiali agnoſcit, & ſubjecta plethorica ac juniora invadit, quæ a temperamento cholerico & ſanguineo participant: catarrhus vero ſuffocativus a materia mucida ſeroſa ortum ducit, & ſubjectis temperamenti magis phlegmatici, in ætate vel puerili, vel magis ſenili, familiaris exiſtit.

Ab apoplexia ſeroſa, in qua equidem ſtertor & ronchus, cum repentina invaſione occurrunt, ſed præcipue ſenſus & motus abolitio repentina ſimul concurrit.

XXXVI.

Subjecta catarrhi ſuffocativi ſunt temperamenta magis phlegmatica, & ætas partim infantilis ac puerilis, partim ſenilis.

SCHOL.

In dicto enim temperamento ſemper præſto eſt naturalis diſpoſitio ad humorum ſeroſo-mucidorum copioſam generationem & collectionem, ſicuti in ætate tam puerili, quam ſenili, defectus roboris tonici, & excretionum vegetiorum concurrit, unde in his, ſi præcipue temperamentum modo dictum ſimul concurrat, atque reſpondeat, tanto facilius talismodi decubitus repentini ad pectus oriri poſſunt.

Nec minus huc referimus illos, qui ex morbis prægreſſis concuſſam habent ac debilitatam valetudinem, cum in ipſis æque facile ſecretionum & excretionum debitarum ſucceſſus facili negotio ob virium defectum infringatur.

XXXVII.

XXXVII.

Subjectum speciale sunt pulmones cum aspera arteria, & musculi pectoris, præcipue intercostales.

SCHOL.

Pulmones & asperam arteriam specialiter affici, testatur ronchus & stertor cum respiratione sonora, quæ omnia de infarctu in asperæ arteriæ bronchiis, & pulmonum vesiculis abundanter testantur.

Quod autem musculi pectoris & intercostales præcipue patiantur, id maxime adparet ex minore illa thoracem pro respiratione potentia movendi, quam experiuntur ægrotantes, qui, etiamsi lubentissime vellent, tamen non possunt pro lubitu movere thoracem, sed atoniam & defectum motus voluntarii abundantissime experiuntur.

XXXVIII.

Causa proxima catarrhi suffocativi est insignis toni relaxatio tam in substantia pulmonali, quam in fibris musculorum pectoralium, ad paralyticam ferme resolutionem accedens.

SCHOL.

Hæc viam sternit repentino & copiosissimo infarctui materiæ mucidæ in pulmonibus, & aspera arteria, unde summus suffocationis metus, per ingressus aëris inspirandi impeditionem dependet: in musculis pectoris autem debitum sufflaminat motum & robur, ut officio suo in pectoris dilatatione & coarctatione, sub negotio respirationis, haud fungi queant. Unde quoque est, quod ægri tales propter hanc relaxationem tonicam, latius quoque sese diffundentem, valde debiles, & ad motus voluntarios suscipiendos quasi inepti existant.

XXXIX.

Materialis proxima causa hujus affectus suffocatorii est materia mucida crassior, copiose ad pulmones delata, in ipsis restagnans & hærens.

SCHOL.

Hoc declarat ronchus & stertor, quem cum asthmate humido communem habet noster adfectus, qui tanquam effectus de sua causa

teſtatur: nec non individuorum conditio, quæ ſemper talia ſunt, ut in ipſis ſufficiens, imo abundans materiæ phlegmatico-mucidæ copia præſto ſit: quæ, licet jam dudum in corpore coacervata fuerit & generata, hucusque tamen per varii generis excretiones, ſi non in totum, tamen in tantum excerni potuit, & excreta fuit; nunc autem propter inſignem illam toni relaxationem, repente hic decumbit, pulmones opplet, nec elevari aut excerni poteſt.

XL.

Cauſam remotiorem relaxationis illius quaſi paralyticæ conſtituit multum ſerum aquoſum, in corpore præſens, ſanguini & reliquis humoribus intermixtum.

SCHOL.

Hoc enim, quando humoribus inhæret, atque cum illis per totum circumpellitur corpus, fibras ſolidarum partium copioſius alluendo, emollit, relaxat, eorum tonum debilitat, ne dicam, quod præcipue nervi ſub hoc negotio ſimul patiantur: id quod tanto magis confirmat rei ſucceſſus, dum catarrhus ſuffocativus valde frequenter in apoplexiam ſeroſam degenerat, aut ab ipſa comite aggravatur, vel, ſi etiam curatus fuerit, facili tamen negotio diſpoſitionem ad ſubſequentes affectus apoplecticos, cæteris paribus, poſt ſe relinquit.

XLI.

Cauſam occaſionalem haud raro præbet aliorum adfectuum pectoralium præpoſtera cura.

SCHOL.

Præter quod taceamus generaliores illas occaſionales cauſas, quarum in antecedentibus affectibus jam mentionem fecimus, quæ hic etiam aliquando concurrere ſolent, ſæpius obſervavimus, in culpa fuiſſe abuſum medicamentorum vulgarium expectorantium, & emollientium, ſub aliis affectibus tuſculoſis, vel quaſi aſthmaticis prægreſſis, nimium aut nimis diu adhibitorum, aut præter neceſſitatem continuatorum, quibus adfluxus copioſior materiæ ſeroſo-mucidæ ad pulmones & thoracem invitatus, partiumque dictarum tonus relaxatus fuit, ut tanto facilius dictus effectus inde ortum capere valeat.

Vomi-

Vomitus.

XLII.

Vomitus est evacuatio e ventriculo, materiæ in ventriculo hærentis, impetuosa & violenta anoterica, a motu ventriculi peristaltico inverso, per contractionem ventriculi a fundo ad œsophagum factam, ortum ducens.

SCHOL.

Vomitum evacuationem esse, nemo sane negabit, qui effectum ejus extrusorium variarum materiam semel adspexit: consistit tamen differentia specifica ab aliis evacuationibus, tam in loco, quam modo evacuationis. Anoterica itaque dicitur evacuatio, simul ac impetuosa & violenta, cum evacuatio ventriculi non fiat per canalem intestinorum, sed per œsophagum & fauces, & quidem sub motu extraordinario violentiore tam ventriculi ipsius, quam diaphragmatis, & præcipue musculorum abdominis, ita tamen, ut distincta quoque sit a tussi.

Materiam in ventriculo hærentem excerni diximus sub vomitu, (non tamen excludendo duodenum) sine respectu ad specialem materiæ indolem, cum non solum materiæ noxiæ, & naturæ infensæ, per vomitum rejiciantur, sed sæpe etiam utilissimæ, quales sunt cibi eupepti ac nutritii, & medicamenta.

XLIII.

Distinguitur a medicis vomitus secundum varios respectus, in varias atque diversas species; atque hoc diverso respectu, diversis quoque epithetis insigniri solet.

SCHOL.

Ex hoc fundamento nota existit differentia vomitus ratione materiæ specialiter rejectæ, quatenus bilis, sanguis, aut mucus excernitur, & bilosus, cruentus, aut seroso-mucidus audit: de quorum ultimo hic sermo est, cum de prioribus antea jam fuerit actum.

Porro dividitur in idiopathicum & symptomaticum, quatenus nempe a causa proxima, in ventriculo aut duodeno hærente, excitatur: vel per consensum saltem partium aliarum provocatur: uno verbo, quatenus vel sine omni alio morbo præsens est, vel cum alio morbo,

eoque cardinali, calculo, vulnere, &c. complicatur, eique fupervenit atque accedit: cujus differentiæ figna nullatenus a materia excretionis defumi poffunt.

Differentiam inter fpontaneum, & arte coactum vomitum, hic non attendimus, cum de affectu morbofo loquentes, manifefte fpontaneum intelligamus, non vero eum, qui tanquam remedium morbis opponitur.

XLIV.

Subjecta vomitui obnoxia, non æque certa funt atque determinata.

SCHOL.

Si enim ætatem, fexum, & temperamentum refpiciamus, toto die videmus, vomitum in omni ætate, fexu & temperamento occurrere, licet non negandum fit, quod propter caufæ materialis abundantiam majorem atque præfentiam, temperamentum phlegmaticum majorem ad hunc affectum poffideat, habeatque difpofitionem.

XLV.

Subjectum fpeciale conftituit primario ventriculus & oefophagus, cum glandulis huc pertinentibus; fecundario inteftinum duodenum.

SCHOL.

Ventriculus enim maxime afficitur a motibus fpafticis, atque inverfa & exacerbata periftalfi. Oefophagus hunc titulum fubit, quoniam tanquam ventriculo contiguus, materiæ excernendæ non modo viam præbet, atque concedit, fed ab iisdem quoque motibus afficitur, torfiones patitur. Glandulas quod concernit, eas in tantum pro fubjecto habemus, in quantum liquidum fundunt, pro materiæ ejiciendæ emollitione, & fub ventriculi torfione fimul premuntur. Duodenum autem propter viciniam loci & connexionis in confenfum facile trahitur, ut fimul cum ventriculo moveatur, atque contenta fimul ejici patiatur, id quod potiffimum adparet ex bilis rejectione per vomitum, quippe cujus præfentia in ipfo ventriculo ante vomitum non femper probabilis exiftit.

XLVI.

XLVI.

Causa materialis vomitus antecedens & proxima, partim materia biliosa, partim mucida tenacior, aut plane peregrina, partim seroso-lymphalis existit.

SCHOL.

Hæ enim sunt illæ materiæ, quæ vel excerni debent, vel actu excernuntur, suamque præsentiam testantur, cum autem materiæ illæ biliosæ, peregrinæ, aut mucidæ, vel propter quantitatem minorem, vel propter qualitatem, tam acrimoniæ, quam tenacitatis, haud statim & omni tempore ita dispositæ sint, ut facile ac promte excerni possint, sed sub his respectibus vel sui dilutionem & acrimoniæ temperationem, vel emollitionem & fluxilitatem, vel ad minimum vehiculum ejectionis requirant, artificialia autem remedia naturæ sibi relictæ deficiant, quibus materiam corrigere, atque ad motum excretoriorum præparare possit, humores autem in promtu sint, quibus tale quid, ad minimum ex parte, si non semper perfecte, obtineri potest, hos ad minimum natura adfert, iisque excretionem facilitat. Quo intuitu etiam materiam seroso-lymphalem, in copia sub motibus restrictoriis ad ventriculum congestam, pro illa causa materiali habemus, quæ, si non semper principaliter, tamen concurrendo vomitus excitare solet.

XLVII.

Occasionalem causam constituunt utplurimum, vel nausea antecedens, vel animi patematha, vel refrigerationes externa.

SCHOL.

Ita enim videmus, sæpissime vomitum ortum capere primum a nauseosa impressione, circa ciborum assumtionem formata, quando cibi semis-crudi, vel male præparati apponuntur, vel capillus in ipsis deprehenditur, quæ nauseosa impressio postmodum adeo firmiter aliquando inhæret, atque menti insculpta manet, ut homines per totam vitam eundem cibum vel capere nequeant, vel sub nominatione illius rei, statim iterum iterumque vomant.

Nec minus animi pathemata hic in considerationem veniunt, dum sæpissime contingit, ut post iracundiam aut terrorem, præsertim, si proxime

xime ante ciborum aſſumtionem, aut ſub illa, aut mox poſt illam, homines intime afficiant, vomitus oriantur, unde vulgus expreſſionem ipſi ſolitam deſumere ſolet, der Zorn, oder der Schrecken, ſey ihnen in den Magen geſchlagen: quod aliter interpretandum non eſt, quam quod motus ſpaſtici reſtrictorii, in corporis peripheria oborti, per nervorum conſenſum ad interiora progreſſum fecerint, eoque ipſo humores verſus ventriculum & duodenum compellant.

Idem efficere poſſunt & ſolent refrigerationes externæ, tam pedum, quam abdominis, & in ſpecie regionis epigaſtricæ, præcipue in ſenſibilioribus ſubjectis: nec tamen ſolas refrigerationes externas hic accuſare licet, ſed intrinſecæ quoque hic locum habent, quæ e potuum frigidorum & refrigerantium abuſu dependent, quando nempe a potibus glaciatis, iisque, quos limonade, orgade appellant, ipſe ventriculus immediate afficitur, talesque effectus concitantur.

Diarrhœa ſeroſa.

XLVIII.

Diarrhœa ſeroſa eſt evacuatio catotherica materiæ ſeroſo-mucidæ per alvum, copia & frequentia ordinem naturæ quotidianum excedens, qua ſatis frequenter natura ſalutariter utitur, pro repurgando ab heterogeneitatibus, corpore.

Schol.

Diſtinguit ſe diarrhœa a vomitu, ratione loci evacuationis; licet enim reſpectu materiæ frequentiſſime ſit eadem evacuatio, quæ per ventriculum contingit, minori tamen moleſtia peragitur per inteſtinorum canalem, dum ordinarie hæc ſeroſa diarrhœa haud aliter moleſta exiſtit, quam frequentia deſidendi, qua numerum ordinariæ & quotidianæ evacuationis ſuperat & excedit.

Salutarem eſſe utplurimum hanc evacuationem, naturæ actum autocraticum, nec ſemper pro nudo pathemate habendam, ex variis phænomenis concludere licet, quæ ſatis abunde teſtantur, ſub illa naturam materiarum noxiarum læſiones producentium moliri. Quamvis enim ipſa illa

illa excretio, cum omnibus ejus præparatoriis, in se spectata, ad statum ordinarium & naturalem non pertineat, sed de motu humorum extraordinario testetur, nec non in eo casu, ubi sola toni intestinorum resolutio passiva atque morbosa occurrit, merito pro pathemate vero habeatur, tamen ex alio fundamento & capite connexionis totum negotium, quatenus materiam molestam atque nocivam, eamque merito excernendam & eliminandam supponit & concernit, pro actu quodam naturæ autocratico, secundum rationem legesque naturæ celebrato, est habendum. Quando enim materiam antecedentem vel in ventriculo, vel in intestinis hærentem atque molestam noxiamve sentit, aut ad minimum adesse æstimat, propter illam motus illos extraordinarios instituit, ut sub copiosa humiditate, quam e reliquo corpore adpellit, materia illa vel tenax, vel pauca, vel acris etiam diluatur, emolliatur, temperetur, colligatur, & commodius cum sufficienti vehiculo ejiciatur.

Hunc motum naturæ activum & congestorium tanto magis patefaciunt consueta symptomata, sub familiari extremarum partium refrigeratione, habitu corporis constricto, salivalis humiditatis in ore defectu, in diarrhœa, quæ omnia manifestissimum signum præbent, quod humores generaliter ad interiora restricti atque congesti sint, & quod sub hac generaliori restrictione, & per partes porosas transpressione vegetiore, copiosior etiam humoris serosi secretio in partibus internis contingat. Non minus de activa tali excretione naturæ testimonium adferunt motus illi spastici & tractorii intestinorum, qui sæpius sub torminum nomine, sive dolorum colicorum titulo, superveniunt, aut diarrhœam comitantur: etiamsi enim aliquando vel a bilis concursu, vel a seri acrimonia salsa, per modum vellicationis, dolores intestinorum ortum capere possint, nihilominus sæpius adsunt aut superveniunt, quando causa materialis antecedens haud sufficienter mobilis existit, tenaciusque intestinorum parietibus adhæret, qno tanto felicius hæc materia detrudatur, & sub motu vehementiori intestinorum protrudatur & excernatur.

Multo majus autem de activa tali, & ad certum finem suscepta excretione, testimonium præbent diarrhœæ illæ spontaneæ, frequentius, aut certis anni temporibus recurrentes, atque cum emolumento ægrorum revertentes, satisque vegete sæpius procedentes; quibus haud pejus

jus prospicitur, quam intempestiva cohibitione & adstrictione, quam ægri sæpissime gravissimo damno luunt.

XLIX.

De subjecto diarrhœæ generali idem tenendum est, quod sub vomitu dictum fuit.

L.

Speciale subjectum constituit intestinorum canalis, cum glandulis eandem obsidentibus.

Schol.

Intestina enim non solum viam & instrumentum excretionis suppeditant, sed ratione substantiæ nervoso-membranosæ plurimum etiam patiuntur, partim sub symptomatibus torminosis, & colicis aliquando accedentibus, partim respectu relaxationis tonicæ, a nimia serosæ colluviei congestione facta, succedentis, & hinc oriundæ flatulentæ expansionis. Glandulæ autem intestinales in tantum subjectum morbi dici merentur, quatenus organum majoris & copiosæ affluxionis seroso-lymphalis materiæ constituunt.

LI.

Distingui debet diarrhœa simplex a critica: idiopathica a symptomatica.

Schol.

Consistit differentia simplicis a critica in eo, quod simplex in statu de reliquo sano, citra præsentiam alius morbi, cui criticæ evacuationes solennes esse solent, eveniat, & ita simpliciter absolvatur. Critica vero sub affectibus acutis, febrilibus continuis, & quidem termino critico, quem certi dies septenarii aut semi-septenarii constituunt, solum contingant.

Symptomatica ab idiopathica facile dignoscitur ex eo, quod idiopathica nullum alium antecedentem morbum agnoscat, sed per se simpliciter adsit atque absolvatur: symptomatica vero aliis morbis antecedentibus cardinalibus superveniat, demumque jungatur.

LII.

LII.

Cauſa materialis in diarrhœa ſeroſa, eſt ſaburra mucida viſcida, cum ſeroſa colluvie permixta, in inteſtinis hærens, naturæ moleſta.

SCHOL.

Teſtatur hoc ipſa excretio talis materiæ, qua hæc diarrhœa ab aliis alvinis profluviis ſeſe diſtinguit, ac dignoſcendam ſiſtit: ſiquidem bilioſa ab excreta bile, dyſenteria a ſanguine excreto, & lienteria ex ciborum haud concoctorum, aut chymoſæ chyloſæque ſubſtantiæ excretione, agnoſcitur.

LIII.

Cauſæ occaſionales frequentius ſunt vel ingeſta peregrina & noxia, vel externæ refrigerationes.

SCHOL.

Prioris generis ſunt cibi dyſpepti, ſuccum aquoſum aut fermenteſcibilem alentes, potus feculenti aut corrupti, acrimonia ſua tunicam inteſtinorum nerveam afficientes, aut aquoſitate ſua tonum inteſtinorum & glandularum reſolventes, & ita vel paſſivum ſeri decubitum, vel activam ipſius congeſtionem cauſantes.

Ad poſteriorem claſſem referendæ ſunt tam totius corporis, quam in ſpecie abdominis & pedum refrigerationes; unde partim tranſpiratio in genere impeditur, partim per reſtrictionem ſpaſticam partium extremarum, materia ſeroſa a corporis peripheria ad interiora retropellitur, ut majore copia ad inteſtina, eorumque glandulas remeare, ipſumque affectum fovere poſſit.

Dyſenteria.

LIV.

Dyſenteria eſt alvi profluvium impetuoſum, plus minus cruentum, epidemicum, & contagioſum, cum graviſſimis torminibus ac teneſmis ægros excrucians, valde periculoſum, a cauſa communi aut epidemica ortum.

SCHOL.

Quamvis hanc diarrhœam cruentam proxime & proprie a feri & lymphæ congeftione aut ftagnatione non deducamus, tamen ob aliqualem affectuum & loci affecti affinitatem facile hic ipfius pertractationi locus concedendus erit, cum præcipue negari nequeat, magnum etiam ferofæ materiæ concurfum fub illa præfentem effe. Confiftit autem dyfenteria in repentino, vehementi & magis magisque torminofo alvi profluvio, eousque procedente, ut pauco temporis intervallo excreta a ftatu naturali declinent, & vel fanguine tingantur, & mifceantur, vel plane fanguinolenta evadant, & loco excrementorum fanguis purior five congrumatus, five floridus & fluxilis, fub maximis cruciatibus tam in genere torminofis, quam in fpecie tenesmoideis excernatur.

Epidemicam vocamus dyfenteriam, quoniam obfervatione docemur, quod neque omni anno, præfentibus licet quibusdam caufis occafionalibus propinquioribus, graffetur, neque iis annis, ubi graffatur, fporadice occurrat, fed populariter homines, in uno locorum tractu habitantes, invadat, certumque anni tempus, autumnale nempe, fervet.

Contagiofum effe hunc alvi fluxum, demonftrat itidem quotidiana experientia, dum ordinarie & utplurimum non unicum folum fubjectum, fed plura in una domo corripit, iisque facillimo negotio communicatur, qui aliis ægrotantibus famulantur, nec non ex una domo ad alteram; atque de loco in locum, inftar aliorum affectuum contagioforum, transfertur.

LV.

Diftinguitur dyfenteria a practicis in rubram & albam.

SCHOL.

Rubra illa eft, quam in antecedentibus depictam dedimus: cui alba opponitur ex eo, quod fub illa mucus fpiffior coloris fubcinerei, pallidis faltem ftigmatibus fanguinolentis refertus, in magna copia fimul excernatur, aut materia excreta interiori inteftinorum tunicæ abrafæ fimilis exiftat, iisdem de reliquo præfentibus fymptomatibus.

LVI.

Diftinguitur porro dyfenteria in benignam & malignam.

SCHOL.

SCHOL.

Desumitur potissimum hæc differentia a symptomatum gravitate, præcipue febris inflammatoriæ accessu, majore contagii gradu, & summe periculoso atque funesto eventu: notorium enim est, dysenteriam, dictis symptomatibus non stipatam, sed simpliciter cruentam ac dolorosam, satis diu ad septimanas usque, sine vitæ periculo tolerari posse: ubicunque autem febris inflammatoria accedit, intestinorum sphacelationem inevitabilem esse, hancque mortem certissime sequi, cum reliquis signis malignitatem declarantibus.

LVII.

Differt quoque dysenteria a fluxu hæmorrhoidali.

SCHOL.

Cum utraque excretio, respectu sanguinis cum fecibus alvinis excreti, aliquam inter se habeant adparentem convenientiam, haud male pro evitanda utriusque confusione actum erit, si notas aliquas characteristicas addamus, unum ab altero affectum discernentes: quamobrem memoria tenendum [illegible], hunc nostrum affectum dysenterium 1. certis quasi anni temp[illegible]us alligatum esse, quæ haud transcendit; quo intuitu ordinarie mense Augusto & Septembri, extra ordinem vero aliquando mense Junio, prorumpit atque grassatur, 2. eundem tunc temporis epidemicum esse, multasque personas simul corripere, quæ tamen ad fluxum hæmorrhoidalem nullam sæpe possident dispositionem: 3. contagiosum existere, aliisque personis, quæ ægris famulantur, aut propinquius commercium cum illis habent, communicari: 4. dolores atque symptomata torminosa eo magis aggravari & increbescere, quo magis sanguinis profluvium augmen[illegible]um capit: 5. affectum ipsum nunquam salutarem, sed frequenter satis funestum atque exitialem esse; quæ circumstantiæ omnes in negotio hæmorrhoidali non occurrunt.

LVIII.

Subjecta crudelis hujus adfectus certa determinare haud licet.

SCHOL.

Neque enim sexus, neque temperamentum, neque ætas una præ altera hic exceptionem patitur, sed omnis ætatis sexus, aliusve con-

ditionis personæ ipsi obnoxiæ fiunt, ita ut haud raro ipsæ mulieres gravidæ similem sortem, funestumque ac lethalem eventum inde experiantur.

LIX.

Subjectum speciale præter intestinorum canalem, ejusque glandulas, constituunt vasa intestinorum sanguifera.

Schol.

Sicut enim intestina eodem, quo in aliis diarrhœis, modo afficiuntur, & glandulæ intestinales copiosum serum fundunt, ita in specie considerari merentur vasa intestinorum sanguifera, vel in continuitate læsa, vel ad minimum sub vehementissimis torminosis cruciatibus per ostiola ad tunicam intestinorum interiorem penetrantia, sanguinem contentum dimittentia.

LX.

Causam materialem proximam tyrannici hujus affectus constituit saburra vitiosa acris & fermentescibilis indolis, in intestinis hærens.

Schol.

Hæc intestinorum tunicam villoso-nerveam primo afficiens, sensumque molestum inducens, ad tantum acrimoniæ gradum probabiliter devenit, ut hinc inde substantiam intestinalis tunicæ lædat, unde vasorum sanguiferorum oscula denudantur, ut sub accedente gravissima intestinorum torsione spastica sanguinem fundant atque dimittant, qui sub dejectionibus excernitur.

LXI.

Antecedentem proximam causam quærendam esse putamus in erroribus diæteticis, & quidem proxime commissis, per ingestionem talium ciborum, qui succo fermentescibili, acescente, & ad acrimoniam proclivi, scatent.

Schol.

Hoc nomine tunc temporis, ubi dysenteria ordinarie grassatur, in considerationem veniunt præprimis fructus horæi, partim immaturi & nimis tempestive ingesti, partim licet maturi, succo tamen fermen-

mentefcibili & acefcente præditi ac abundantes, cujus generis funt pruna, inprimis flava illa ac dulcia, quæ Spilllnge vocantur; & rubra minora & majora, Hundes- und Haber-Pflaumen: mala perfica, cucumeres, uvæ, &c. præfertim, fi jejunio ftomacho in magna copia ingerantur.

Quibus defuper accedit familiaris illa tunc temporis cerevifiarum mala conditio, qua hoc anni tempore, ubi fructus maturefcere incipiunt, facilius acefcunt, aut fi recentiores ante corruptionem acefcentem bibuntur, tamen minus defæcatæ ac puræ, fed fecibus utplurimum refertæ existunt: unde, fi ciborum fermentefcibilium fuccus cum ejusmodi cerevifiis concurrat, neceffario major ejusmodi morbo fuppeditatur fomes, qui tanto magis exaltatur, fi forfan in uno alterove fubjecto mala quædam prædifpofitio & conftitutio accedit, quæ ad facilius fufcipiendum malum, caufæque exaltationem facere poteft. Quale quid accidit, quando vel ex mala & incongrua diæta, vel ex diathefi fcorbutica, vel ab ira proxime prægreffa, totum corpus aut inteftina humoribus multo fero acriore falfo refertis, vel acrimonia & faburra biliofa fcatent: ubi fane fieri nequit, quin caufæ tales antecedentes, proximiori materiali junctæ, hanc tanto citius, tantoque vehementius in actum deducant, malumque tanto gravius reddant.

LXII.

Alia tamen adhuc remotior antecedens caufa fubeft, quæ fpecifice fonticum hunc affectum, certis faltem annis producere valet.

SCHOL.

Cum enim quotidiana experientia teftetur, dyfenteriam haud fingulis annis genus humanum infeftare, etiamfi copia fructuum horæorum, & mala cerevifiarum conditio adfit; fana ratio dictitat, aliud quid fubeffe, quod malam in fpecie difpofitionem fructibus horæis atque campeftribus affricare poteft.

Fit autem hoc vel ab aëre autumnali in genere, dum propter folis declinationem, ac tempeftatis inconftantiam ad minorem maturitatem perveniunt, aut ex aëre nimis humido, & propter frequentiores tunc pluvias & imbres, multis particulis aqueis repleto, multum quoque humorem & fuccum crudiorem aqueum, & minus coctum recipiunt; vel ma-

gis specialiter affricatur aliqua labes fructibus horæis atque campestribus ex metheoris aqueis a rore, quando particulis impuris sulphureis aut salinis, aliisque peregrinis, ex aëre contractis, imbutus, non solum herbis, arborumque foliis adhæret, ac per herbarum esum in pecoribus haud raro exemplo diarrhœas & dysenterias, aliosque morbos producit, sed & fructibus arborum oleribusque sese insinuat, iisque, qui minus caute, præsertim jejuno ventriculo iis vescuntur, similia mala atque incommoda adfert.

Id quod a posteriori pluribus observationibus comprobatum redditur, testante experientia, quod in certis locorum tractibus, ubi rores ejusmodi secundum nubium ventorumque ductum decubuerunt, alias vero regiones liberas reliquerunt, graviores in illis dysenteriæ grassentur, cum in his ne vestigium quidem illius observetur.

Sicuti autem hoc mediate, & intercedentibus illis cibariis contingit, ita quoque rationi sanæ non contrariatur, aërem, ejusmodi particulis noxiis refertum, immediate sub inspiratione, & cum saliva permixtione multum ad hujus mali suscitationem & productionem conferre posse: quo pacto illi, qui agros præcipue colunt, aut itineribus vacare necesse habent, male sibi prospiciunt, si matutino tempore, antequam radii solares particulas illas aëris crassiores dissiparunt, agros ac rura frequentent, aut noctu libero aëre, eoque frigidiore, utuntur, simulque per transpirationis impeditionem serum acre & salsum excrementitium in corpore augent: quam ob rem etiam toto die observare licet, tristissimum hoc malum inter ruricolas frequentius initium capere, & abhinc mediante commercio hominum, per modum contagii ad civitates, earumque incolas transportari.

LXIII.

Quemadmodum primi ægrotantes ita immediate quasi ab hac labe sub aëris contaminatione generali quasi afficiuntur, ita postliminio contagium hoc ulterius propagatur, aliisque communicatur.

Schol.

Quamvis enim negari nequeat, quod ex dysenteria laborantibus, aliqui

aliqui frequenter occurrant, qui neque per fructuum aut olerum usum, neque per aëris superius descripti immediatum commercium malum hoc sibi contraxerunt; tamen notandum est, aëris inquinati concursum in totum excludi non posse.

Quando enim unus aut alter dysenteria corripitur, tunc ex dejectionibus alvinis, summe fœtidis, ac putridis effluvia talia putrida prodeunt, quæ primo ægri conclave, mox vero ædes implent, aëremque inquinant, ubi a reliquis ædes inhabitantibus, aut ægris famulantibus, per inspirationem crudiores particulæ proxime attrahuntur, relique vero & subtiliores, aëri quoque communicatæ, mediante illo aliorsum devehuntur, ibique contagiosum illud & fermentescibile miasma ad reliquos vicinos propagant, ut eo ipso neque plane omnes, neque omnes simul in uno loco, sed successive unus post alterum morbo corripiatur.

Ubi simul considerationem meretur, quod, quo magis miasma tale per novarum particularum accessum in singulis subjectis augetur, eo plus etiam per novum motum exaltetur atque subtilius reddatur, quod etiam in aliis contagiosis affectibus occurrere & observari solet. In quibus casibus particularibus, etsi causa materialis proxime ab ingestis non accesserit, sufficere potest præsentia fomitis alicujus, e cruditatibus nidorosis aut biliosis in primis viis, quæ ab accedente miasmate contagioso in motum & actum deducuntur: sicut enim in antecedentibus jam monstravimus, saburram ejusmodi biliosam in corpore præexistentem, malum hoc exacerbare, & crudelius reddere, ita quoque rationi non contrariatur, quod ex eadem materia præsente, quæ ad diarrhœas biliosas, torminosas, acres concitandas, ex sua natura apta est, concurrente specifico miasmate morboso, per aëris effluvia attracto, eadem quoque morbi species producatur.

Lienteria & Cœliaca Passio.

LXIV.

Lienteria & cœliaca passio, est species excretionis alvinæ p. n. qua paucis post pastum horis, cibi ingesti, vel penitus non mutati aut concocti, vel in chymosam aut semichylosam substantiam redacti, excernuntur.

SCHOL.

SCHOL.

In eo enim ſeſe diſtinguit hocce alvi profluvium a reliquis hactenus pertractatis, quod nempe neque excrementa ordinaria, neque ſimpliciter materia mucido-ſeroſa, aut bilioſa, aut cruenta ejiciatur, ſed notorie ingeſtorum excretio contingat: quæ utplurimum ſtatis horis recurrit, reliquo vero tempore diei remittat aut ſileat, & plures per dies non modo, ſed per ſeptimanas aliquando duret, atque continuetur.

Solet ordinarie circa hunc adfectum diſtinctio in ſcholis medicis obſervari atque formari inter *lienteriam*, & *cœliacam paſſionem*: quando *cœliacum fluxum* nominant, ſi cibi jam concocti, & in pulticulam redacti, lacteum quaſi vel albicantem colorem referentes, excernuntur: ſub *lienteria* autem intelligunt ciborum crudiorum, ſicut ingeſti erant, & minus alteratorum excretionem. Cum autem ſub attenta conſideratione facile adpareat, diverſam excretionem diverſitatem gradus & temporis indicare, quoniam cibi primo alterantur & ſolvuntur, deinde in chymum, & mox in chylum rediguntur, & ita ſecundum hæc negotii concoctionis tempora, excretio varie contingit, prout nempe vel totum digeſtionis tempus antecedit, vel idem ſequitur, facile pateſcit, excretionem magis liquidam atque chyloſam, leviorem chymoſam & pultaceam, alterum ſive medium, plane indigeſtam autem primum & ſummum gradum eſſe affectus: cum etiam nomen cœliaci fluxus nil niſi communi termino ventris profluvium denotet, hic autem terminus pro ſpecie affectus determinanda haud ſufficiat, facile quiſque videbit, nos optimo jure lienteriæ titulum ſolum retinere, eumque ſecundum diverſos ipſius gradus conſiderare, nec neceſſe eſſe duplicis affectus pathologiam proſequi: præſertim cum experientia doceat, hos ab antiquitate diſtinctos adfectus ſe invicem multoties excipere & ſequi.

LXV.

Subjecta bujus affectus utplurimum ſunt vel infantes, vel ſenes, vel pregreſſis diuturnis morbis debilitatæ perſonæ.

SCHOL.

Notamus hic merito, hunc affectum ut idiopathicum æque rarum, nec ita vulgatum eſſe, quam ſymptomaticum, aliorumque morborum

borum confectarium, qui paulo frequentior existit. unde vel aliis gravioribus morbis, (quales sunt icterus, hydrops, febres lentæ aut hecticæ, diarrhϾ diuturnæ) supervenire, vel illos sequi solet.

LXVI.

Subjectum speciale constituit partim ventriculus, & intestina, partim vasa, chyli distributioni dicata.

Schol.

Aut enim ventriculus & intestina atoniam patiuntur, ut cibos ingestos ad plenariam illorum digestionem usque, aut chyli distributionem retinere nequeant, aut vasa chylifera ita constituta sunt, ut chylum præsentem recipere satis tempestive non valeant.

LXVII.

Causa hujus affectus proxima consistit partim in laxitate, lubricitate & levitate primarum viarum, partim in vasorum chyliferorum obliteratione.

Schol.

Ipse enim titulus lienteriæ idem significat, ac si dixeris λειότης τῶν ἐντέρων, vel lubricitas & lævitas intestinorum: vasorum vero chyliferorum obliteratio ex effectu patet; interim pro diversitate gradus ipsius affectus una dictarum causarum præ altera majorem sibi locum vindicare potest.

Ita enim sub exeretione chylosa puriore ventriculum, ejusque vitium accusare haud licet, cum defectus concoctionis non deprehendatur, sed negotium distributionis chyli laboret, unde in hoc gradu vel sola vasorum chyliferorum obliteratio, vel conjuncta intestinorum atonia accusanda venit. In altero gradu affectus, ubi materia chymosa excernitur, intestinorum magis lubricitas & atonia in culpa est, ut cibos digestos tamdiu non retineant, donec plenaria chyli elaboratio succedat: in ultimo autem & summo affectus gradu, quando cibi vel plane indigesti, vel haud sufficienter concocti ejiciuntur, potissimum ventriculus in culpa est: si enim in illo digestio ciborum negligitur, nequa-

quam chyli sequestratio in intestinis tenuibus, multo minus ipsius distributio per vias chyliferas succedere potest.

LXVIII.

Causam antecedentem materialem proximam merito ponimus in nimia humoris seroso-mucidi, in ventriculo aut intestinis praesentia.

SCHOL.

Haec parietibus dictarum partium adhaerens, in ventriculo sequestrationem humoris salivalis gastrici, & effectum salivalis menstrui dissolutorium impediendo, peccat: in intestinis lubricitatem ac laevitatem non modo, sed etiam toni relaxationem producit, ut inde materia huc delata tanto citius translabi possit: respectu viarum chyliferarum autem simul harum obliterationem causatur, ut materia quoque chylosa illos intrare nequeat, sed potius effugiendo immediate intestinorum canalem transeat,

LXIX.

Ad causas antecedentes remotiores referimus temperamentum phlegmaticum, vel magis tale in affectu idiopathico: in symptomatico autem morbos supra citatos praegressos.

SCHOL.

Ab utraque enim causa relaxatio toni in ventriculo & intestinis inducitur, quoniam a dicto temperamento semper materia peccans praesto est: dicti affectus autem vel copiosum materiae seroso-mucidae decubitum, vel seri in visceribus impeditam secretionem, & hinc ad alia loca faciliorem restagnationem pro fundamento habent.

LXX.

Aliquando etiam, sed paulo rarius, causa quasi ab extra accedens occasionalis, adfectus nostri productioni favet.

SCHOL

SCHOL.

Plus enim ſimplici vice obſervatum fuit, lientericum fluxum productum fuiſſe a cibis, ſucco acriuſculo ſcatentibus, atque in vaſis cupreis decoctis, aut diutius aſſervatis: ubi a liquore acriuſculo aut acidulo portio cupri reſoluta, aç in viride æris quaſi mutata cibis ſeſe inſinuavit, & in ventriculum ad inteſtina delata, nauſeam, torſionem, anxietates inducit, acrimonia ſua tunicas interiores immediate vellicando & ſtimulando afficit, & occaſionem præbet, quo natura plus humorum ſeroſorum huc affundat, motumque excretorium non ſolum, ſed & dilutionem materiæ noxiæ intendat, unde tunc ex duplici fundamento cauſarum, affectus noſter ortum capit.

LXXI.

Concurrit interim in hac excretione quoque ipſius naturæ, tanquam cauſæ efficientis, activitas.

SCHOL.

Nolumus enim, ex ſupra deducto cauſarum fundamento, totum adfectum pro pure paſſivo alvi profluvio declarare, quod ſolitarie ab atonia & lubricitate primarum viarum ortum capiat, cum omnimoda excluſione activitatis naturæ, & conſiderationis motuum concurrentium, cum præcipue hoc prohibeat certus ipſius recurſus, ſtatis utplurimum temporibus eveniens, nec non aliqualis, licet levior aliquando, cooriens preſſionis in inteſtinis ſenſus, quæ utique concurrentem naturæ activitatem indicant. Verum tamen non obſtat, quin primarum viarum lubricitatem ac atoniam, a cauſa mucido-ſeroſa, & ſimul naturæ activitatem concurrentem, pro cauſa hujus mali agnoſcamus, modo id certis atque diſtinctis fiat reſpectibus.

Si enim partem proxime affectam tanquam morbi & læſionis ſubjectum proprium conſideramus, quæ nulla alia, quam ventriculus cum inteſtinis exiſtit, inque hoc ſubjecto cauſam quærimus proximam atque materialem, ſimulque ad individua, quibus idiopathice præ aliis familiaris eſſe ſolet affectus, vel ad morbos prægreſſos aut comites, quos ſequitur, reſpicimus, & attendimus, quod vel phlegmaticis perſonis, iisque vel ſenibus vel infantibus eveniat, debito atque perfecto viſce-

Tt 2 rum

rum tono destitutus, vel affectibus hydropicis, & vehementioribus ac diuturnis diarrhoeis praegressis succedat, non possumus, quin primarum viarum atoniam a copioso materiae serosae affluxu oriundam, aut lubricitatem ac laevitatem intestinorum a conjuncta materia mucida ibi haerente accusemus, ideoque profluvium illud, respectu partis affectae, tanquam passivum agnoscamus.

Si autem ulterius progrediamur, & inquiramus in copiosi illius affluxus materiae seroso-mucidae proventum atque originem; an ille a solo passivo decubitu humorum, an vero ab activa quadam naturae directione, & positivo appulsu oriatur, an etiam neglectus negotii nutritionis ac distributionis nutrimentorum sit passio organorum nutritionis, an vero actus ipsius naturae, facile patebit, utique respectu harum circumstantiarum naturam tanquam causam efficientem agnoscendam esse: quae remotiore ordine propter causae materialis molestae praesentiam, hic agit atque concurrit, manente tamen causa continente & proxima intestinorum atonia, quam copiosa materia seroso-mucida, ut causa materialis proxima, produxit.

Ubi simul incidenter notamus, vocem atoniae viscerum non semper strictissimo sensu in medicina sumi atque occurrere, & ita explicari debere, quasi semper totalem abolitionem aut resolutionem toni partium indicet atque supponat, qualis in affectibus paralyticis & apoplecticis observatur, sed saepius etiam pro nimia saltem toni relaxatione assumi, quae vel magnam partium distensionem & expansionem, vel humidam earundem emollitionem sequitur, ideoque flacciditatem praeternaturalem & comparativam designare.

Defectum vero actus nutritionis, & distributionis nutrimenti hic concurrentem, quod attinet, non dubitamus, eundem in praesenti casu ad pathemata & laesiones esse referendum, cum utique hic laesio mechanismi partium praesto sit, per obliterationem viarum chyliferarum: quamvis alio respectu neglectus nutritionis in abstracto consideratus, utique non a mechanismo partium dependeat, sed ad principium agens sit referendus, qui si in nostro affectu forsan concurrens observetur, rectius pro effectu & consequente morbi morali, quam pro causa affectus antecedente agnoscendus esset.

Scir-

Scirrhus.

LXXII.

Scirrhus est tumor partis alicujus internæ, (de externis enim hic non loquimur) durus atque renitens, gravitatis pondere præsertim molestus, aliquando tactu perceptibilis, in principio sensibilis, demum vero sensum doloris amittens, ab humorum incrassatione exsiccatoria ortum ducens.

Schol.

Sicuti externarum partium scirrhi, humorum vel sanguinei, vel lymphatico serosorum, stasin & exsiccationem pro fundamento habent, ita simile quid in partibus internis contingere potest, imo contingit: unde jam dudum ab autoribus notati fuere hepatis, lienis, glandularum, mesenterii, pancreatis, imo pulmonum scirrhositates Cum autem dictæ partes visui non subjiciantur, sed profundius lateant, signa horum scirrhorum magis intricata sunt, quippe quæ aliquando non equidem a priori, sed potius a posteriori, id est, ab effectibus & consectariis, patefiunt. Unde symptomata pro diversitate partis affectæ sunt varia, e quibus tamen generaliter difficilis respiratio, difficilior decubitus in latus alterutrum, externi habitus corporis depravatio, corporis vel tabida consumtio, vel œdematosa intumescentia, & febris hecticoides maxime prælucent.

Interim interni scirrhi recte ad tumores referuntur, cum de cadaverum ejusmodi affectibus defunctorum sectiones abunde testentur, partes affectas a tumore in extraordinariam molem elevatas esse, duras existere, & scirrhos externarum partium ex omni parte æmulari.

LXXIII.

Distinguuntur scirrhi in exquisitos & non exquisitos.

Schol.

Distinctioni huic occasionem dedit differentia symptomatum, quæ vel ab initio morbi, vel sub ulterioris ipsius progressu, aut statu demum consummato accedere aut adesse solent: dum omnes scirrhi in suo prin-

 cipio

cipio constituti, dolorem quendam aut sensibilitatem partis affectæ, licet non gravem, tamen aliqualem & vagam, conjunctum habent, ideoque non exquisiti, incipientes, dolentes vocantur; sub ulteriori autem progressu, & increbescente materiæ peccantis immobilitate, sensum doloris tandem penitus amittunt, & propter molis incrementum gravativo sensu magis molesti fiunt, eamque ob causam tunc exquisiti, indolentes, consummati nominantur.

LXXIV.

Distinguuntur porro in sanguineos & phlegmaticos.

SCHOL.

Desumitur hæc differentia a materia peccante specialiore: prout nempe pro diversitate partium affectarum, vel individuorum, plus sanguinis purioris, aut materiæ seroso-lymphalis causam proximam constituere creditur atque supponitur, licet certissimum sit, quod in utroque scirrho utraque materia semper concurrat.

LXXV.

De subjecto scirrhorum generali non est, quod fusius disseramus, cum illud certum ac determinatum non existat.

SCHOL.

Videmus enim toto die, omnis conditionis, quoad temperamentum, ætatem & sexum personas ex causis varie occurrentibus, ipsis in genere subjectas esse, quamvis non negandum, phlegmatica individua paulo majorem dispositionem propter humorem lentescentiam habere.

LXXVI.

Subjectum speciale constituunt varia interna corporis nostri partes, præcipue tamen tales, quæ glandulosa sunt texturæ.

SCHOL.

Hinc maxime innotuerunt scirrhi hepatis, pancreatis, glandularum mesaraicarum, ita tamen, ut aliarum quoque partium scirrhi non deficiant, quemadmodum eosdem tam in pulmonibus, quam in liene, & utero occurrere notissimum est: licet omnium diagnosis non æque facile pateat, sed plurimarum partium scirrhositates, magis probabili conjectura

jectura, quam certioribus & evidentioribus signis declarare liceat: unde omnium maxime epatis & lienis scirrhus dignotioni faciliori subjacent, propter situm horum viscerum, quo tactui externo se sistunt, simulque scirrhum præsentem manibus palpandum offerunt,

LXXVII.

Causa materialis scirrhorum in genere proxima est portio humorum, in parte hærentium inspissata, & ex defectu sufficientis humiditatis indurata.

Schol.

Hæc enim, quando in partibus incarcerata, per secessionem tenuioris humiditatis successivam inspissatur ac indurescit, novæ succedenti materiæ fluidæ transitum prohibens, eamque in similem statum traducendo, incremento & augmento ipsius tumoris ansam præbet.

Constituitur autem, secundum mentem docentium, hæc materia scirrhorum duplex: sanguinea nempe, & lymphatico-serosa, haud tamen eo sensu, quasi scirrhi sanguinei solum purum sanguinem, exclusa omni materia seroso lymphali, & vice versa, serosi solam lympham cum sero, excluso omni sanguine, pro causa materiali substrata agnoscerent; sed potius ea interpretatione, quod equidem materia lymphalis serosa principaliter ipsam materiam scirrhorum constituat, pro diversitate partium tamen sanguinearum, aut magis exsanguium, plus minusve sanguinis intermixti habeat, aut ad minimum infarctui sanguineo antecedenti originale fundamentum sit tribuendum.

Notum enim est ex illis, quæ sæpius jam prolata sunt, quod sanguis purior sibi relictus, in parte aliqua subsistens atque incarceratus, ob partium contrariarum laxiorem nexum facillimo negotio in corruptionem putredinoso - sphacelosam sit pronissimus, nisi ab alia accedente materia ab hoc corruptionis genere arceatur: unde a puro sanguine subsistente scirrhum expectare non licet.

Quando autem sub tali infarctu & stasi multum humoris seroso-lymphalis simul hæret, qui glutinosa ac mucescente sua indole congrumationem ac exsiccationem promovet, & particulæ aquosæ tenuiores ubique secedunt, salsedine autem sua intermixta, corruptionis proclivitatem impedit, tunc succedit scirrhus, qui tamen pro diversitate mixturæ

turæ & partis ſpecialiter affectæ, adveniente cauſa quadam occaſionali irritatoria, in corruptionem novam, ulceratoriam nempe, majore aut minore impetu ruere poteſt, eamque vel putredinoſo-cancroſam, vel phagadænicam ſaltem conſtituere ſolet.

LXXVIII.

Cauſam antecedentem proximam conſtituit congeſtio & infarctus, tam ſanguinis cum lympha & ſero permixti, quam lymphæ & ſeri purioris, comparative ſumendo.

SCHOL.

Quamdiu dicti humores per viſcera libere tranſeunt, nec quantitate & impetu, viarum motuumque proportionem tranſcendunt, nullum exinde damnum erit metuendum; quam primum autem infarctus contingit, motuum viarumque proportionem ſuperans, proxime ejusmodi læſiones imminent, quæ tamen nec ita prompte & ſimpliciter infarctum ſolum ſequuntur, niſi cauſa quaſi continens accederet, infarctum factum incarceratum tenens, ſtrictura nempe partis affectæ ſpaſtica, quæ tranſitum atque regreſſum materiæ ſemel incarceratæ prohibet, eamque fortius impingit.

LXXIX.

Remotiorem cauſam antecedentem collocare poſſumus in humorum tam abundantia, quam ſpiſſitudine.

SCHOL.

Quo magis enim hæ duæ læſiones inter ſe conſpirant, eo facilior eſt ſub reliquarum cauſarum acceſſu ſcirrhorum proventus.

LXXX.

Occaſionales cauſæ ſunt ex parte ſanguinis & humorum orgaſmum commotoriæ, ex parte ſolidarum partium alterationes ſtrictoriæ.

SCHOL.

Utriusque generis cauſæ ſunt vel internæ, vel externæ; unde ad priorem claſſem referimus omnes ſanguinis & reliquorum humorum commotiones orgaſticas & expanſorias, nec non pulſus exacerbatorias, quæ

quæ a potibus inebriativis, ſpirituoſis, vinoſis, medicamentis calidioribus, iracundia, calore externo, corporis exagitatorio motu dependere poſſunt, ita ut abhinc major humorum congeſtio & appulſus ad ſpecialem quoque aliquam partem contingere queat.

Ad alteram autem pertinent partim animi pathemata repentina, præſertim terror & metus, aut ira cum terrore permixta: adſtrictiones per medicamenta in hæmorrhagiis, diarrhœis, aut febribus, præcipue acutis & quartanis, intempeſtive & minus conſiderate adhibitæ: partim externæ totius corporis perfrigerationes repentinæ & vehementes, poſt ipſius exagitationem perpeſſæ, aut particulares certarum partium refrigerationes, quales ſolennes eſſe ſolent, ſub hæmorrhagiis impetuoſis, per impoſitionem linteorum frigido-madidorum in regionem hepatis, aut lienis, quæ tanto pejores effectus poſt ſe relinquunt, quo magis ſuſcipiuntur in febribus, & hæmorrhagiis criticis.

Atrophia.

LXXXI.

Atrophia eſt tabida totius corporis conſumtio ſucceſſiva, a nutritionis, ac lymphæ diſtributionis defectu oriunda; ſine febre hectica, aut alio graviore morbo obtingens.

SCHOL.

Manifeſtat ſeſe hic affectus ſub marcida & flaccida partium ſolidarum mollium in corpore externo, univerſaliore conſumtione; ita ut caro quaſi tacite decidat, viresque ſucceſſive proſternantur. Quæ tabida corporis conſumtio merito a defectu diſtributionis lymphæ purioris deducitur, cum e diametro oppoſita ſit nutritioni, a lymphæ laudabilis diſtributione & adpoſitione proficiſcenti. Et quamvis idem aliquando per tempus obtingat, ſub gravioribus morbis, eorumque duratione, tamen ille incrementi corporis defectus hic non intelligitur, ſed præſens affectus ut idiopathicus conſideratur, quamquam inter ſymptomata ipſius calor præternaturalis quaſi febrilis, ſine typo tamen, ſæpiſſime concurrat.

LXXXII.

Differt itaque atrophia ab hectica & phthiſi.

SCHOL.

Licet enim phthisi & hecticæ tabida corporis consumtio jungatur, in his affectibus tamen symptoma solum constituit, & ulcerosam hepatis, pulmonum, vel aliarum internarum partium, pro causa agnoscit, quæ in atrophia stricte dicta non occurrit.

LXXXIII.

Atrophia diversis titulis insignitur pro diversitate subjectorum, & partis specialiter adfecta.

SCHOL.

Ita enim solenniore acceptione *atrophia* nominatur, quando ætati infantili & puerili speciatim insidias struit: *tabis* vero titulum assumit, si adultiorem ætatem invadat: & tandem *marasmi* nomine gaudet, si senibus infesta existat, & sub omnibus his nominibus universaliter in corpore procedat. Quando autem unum aut alterum saltim membrum tabida tali consumtione corripitur, *aridura* vocatur.

LXXXIV.

Subjectum tam generale quam speciale ex antecedentibus patet.

LXXXV.

Causa proxima est vel lymphæ positivus defectus, vel ipsius denegata legitima distributio.

SCHOL.

Præsentia enim lymphæ nutritiæ necessario requiritur in corpore, pro ipsius nutritione, cum ex physiologicis jamjam constet, proximam nutritionis materiam nullam aliam esse nisi lympham: ubicunque itaque positivus illius defectus argui potest, ibi corporis tabes necessario sequitur. Nec tamen sufficit lymphæ in corpore sola præsentia, nisi sub humorum circulo ad partes debite distribuatur, illisque adplicetur.

LXXXVI.

Causa antecedens proximior est vel alimentorum defectus: vel lymphæ discrasia, tam spissior & mucida, quam tenuis & aquea.

SCHOL.

SCHOL.

Alimentorum præſentia ſicut chylum & lympham in genere corpori ſuppeditat, ita eorundem defectum ſub inedia, chyli & lymphæ quoque defectus ſequitur, & deficiente materiali nutritionis cauſa deficit quoque effectus.

Quando autem lympha diſcraſia laborat mucida & ſpiſſa, tunc circulum ſuum tardius abſolvit, tardiusque & parcius partibus adponitur, ne dicam, quod pauciore ſui parte talis lympha in corporis nutrimentum cadat, & potius obſtructionibus partium anſam præbeat.

Simili modo lympha nimis aquoſa & tenuis, paucioribus partibus gelatinoſis referta, corpus nutrire nequit, ſed potius ad largiores, quam par eſt, excretiones, alvinas, diureticas, & periphericas cum virium proſtratione diſponit.

LXXXVII.

Cauſæ antecedentes remotiores, ex una parte quærendæ ſunt in victus atque diætæ vitiis.

SCHOL.

Diſponunt hoc intuitu ad malum præſens cibi mucidiores & viſcidiores, craſſi; præcipue ubi ætas puerilis aut ſenilis eorum concoctioni haud ſatisfacere poteſt: unde in humoribus ſimiles impuritates generantur, lympham in ſpecie male afficientes.

Nec minore jure potus hic accuſare licet inconvenientes; ſicut enim potus nimium aquoſi & tenues partes laudabiles nutritias non adferunt, quin potius illas, quæ a cibis ſuggeruntur, ultra modum diluant, atque diſtemperent; ita quoque potus ſpirituoſi, qualis eſt ſpiritus vini, abuſive uſurpati, chylum non modo turbant, & ad ſpiſſitudinem diſponunt, ſed glandulas ventriculi & inteſtini duodeni conſtringendo, menſtrui ſalivalis neceſſariam eructationem, pro meliori chylificatione requiſitam, impediunt atque ſuppriment.

Cujus rei ſæpiſſime in praxi quotidiana plurima occurrunt teſtimonia de infantibus atrophicis, qui tales, nimis credulæ ſuperſtitionis argumento, per incantationem aut faſcinum creduntur ac ſupponuntur; cum tamen, facta debita cauſarum exploratione, dilucide pateat, ipſos

parentes incantatores fuisse, & sub perversa ac intempestiva actum concoctionis promovendi cura, infantes tenellos ad hoc malum dispofuisse.

LXXXVIII.

Ex altera parte ad hanc causarum classem pertinet organorum lympha depuranda inservientium mala dispositio.

SCHOL.

Sic in considerationem maxime veniunt glandulae variae in corpore praesentes, praecipue mesaraicae, & pancreas: his enim per stricturam spasticam coarctatis, aut a materia mucido- viscida obstructis, aut plane induratis atque scirrhosis, lympha impurior redditur, ut ita partibus heterogeneis referta, corpus loco nutritionis laedat. Id quod tanto facilius succedit, si forsan a partibus externis glandulosis cutaneis & subcutaneis, materiae tales heterogeneae ad interiores partes transferantur; quale quid frequenter contingit apud infantes, quibus achores, tinea capitis, crusta lactea retrocesserunt.

LXXXIX.

Occasionales causas utplurimum suppeditant externa refrigerationes, & interna adstrictiones.

SCHOL.

Hinc videmus, tabidas ejusmodi consumtiones totius corporis illis maxime familiares esse infantibus, qui sub somno multum & saepe sudarunt, & frigori repente expositi fuerunt, vel quibus sub iisdem circumstantiis primae viae tempore nocturno & matutino potibus frigidis obrutae fuerunt.

Neque in adultioribus deficiunt exempla & observationes, si modo debite attenderentur, quod post repentinas perfrigerationes corporis, perpessa antea exaestuatione, vel post diarrhoeas, haemorrhagias, & febres, per adstringentia curatas, iisdem affectibus tabidis subjiciantur.

XC.

Peculiarem aliquando constituit causam verminosa soboles.

SCHOL.

SCHOL.

Et quidem hoc potissimum apud infantes, quibus sæpissime copiosa sua præsentia in intestinis, chylum laudabilem subtrahunt, atque lymphæ nutritiæ laudabilis defectum producunt.

XCI.

Aridura membrorum particularis ordinarie vel læsionem violentam, vel dolores arthriticos prægressos, pro causa agnoscit.

SCHOL.

Ab utraque enim causa antecedente sæpissime partes musculosæ artuum strictura spastica adeo afficiuntur, ut remittentibus etiam doloribus, sanguis cum lympha debito modo non transeat, ideoque lympha haud legitime secreta atque adposita, & sanguine non libere transfluente, totum membrum aridum & marcidum appareat: id quod aliquando arte promovetur, quando post casus, ictus, contusiones, vel sub arthriticis passionibus, externa remedia nimis calida, oleosa terebinthinata, succinata, & hujus farinæ alia, intempestive applicantur.

Affectus externi cutim deturpantes.

Crusta lactea.

XCII.

Crusta lactea est defœdatio faciei ulcerosa crustacea humorosa, a lactis impuritate oriunda.

SCHOL.

Intelligimus sub hoc titulo illum affectum infantilem, qui solam faciem occupat, cutim externam afficit, in illa pustulas & pruritum producendo, mox magnam humoris lymphatico-serosi congestionem & affusionem parit, crustamque ulcerosam crassam format, humorem spissiusculum continue fundentem, e quo ab aëre ambiente exsiccato & inspissato nova semper progignitur crusta flavescens.

XCIII.

Subjectum generale hujus affectus sunt infantes.

SCHOL.

Sola enim ætas prima infantilis deprehenditur huic affectui obnoxia, & quidem sub ipsa lactatione, dum post ablactationem haud facile oritur, nec ante illam præsens, post eandem persistit, sed ordinarie cessat, sub qua ætate habitus corporis spongiosus temperamenti sanguinei, aut sanguineo-phlegmatici particeps concurrere solet.

XCIV.

Subjectum speciale existit sola facies, ejusque cutis.

SCHOL.

Et quidem hoc, vel in totum, vel ex parte: siquidem non statim tota facies, sed ordinarie ab initio aliqua ipsius pars, in fronte, gena alterutra, aut mento, a pustulis ejusmodi occupantur, donec successu temporis sub scalptione ægrorum ulterius serpant, totamque faciem successive obsideant.

XCV.

Causa materialis proxima est lympha, salsedine serosa impragnata, & inquinata.

SCHOL.

Cum enim serum salsum a lympha laudabili non semper satis cito sequestratur, hæc ab illo in corruptionem mucido-salsam trahitur, quæ partibus solidis sub suo transitu facile labem affricare potest, præsertim cum cutis tenera adhuc existat, & causæ accessoriæ suum quoque symbolum contribuant.

XCVI.

Antecedentem causam haud sine jure ponimus in ægrotantium nutrimento, lacte nempe materno, aut nutricis, ejusque discrasia partim mucida & pingui, partim salina.

SCHOL.

Hoc nutrimentum tanquam principale atque primarium, multoties quoque unicum, eandem lymphæ nutritiæ conditionem post se trahere valet, cum utique humorum dispositio nutrimentorum conditionem sequatur, ejusmodi infantes autem raro aliud præter lac muliebre nutrimentum accipiant: id quod etiam effectus a posteriori testatur, quando infantes post ablationem ab ipso malo ordinarie liberantur.

Dispo-

Disponunt autem lac maternum ad ejusmodi discrasiam partim cibi salsi dyspepti, partim potus nimis crassi, spissi & feculenti, partim denique vitæ genus, quo matres aut nutrices, vel in genere, vel ad minimum tunc temporis utuntur, sedentarium & minus mobile: unde lac quoque tam propter particularum heterogenearum accessum, quam propter sequestrationis earundem defectum corrumpitur ac alteratur, ut in corporibus tenellis molestos tales edat effectus.

XCVII.

Occasionalem causam constituere potest liberior aëris frigiduli usus aut accessus.

SCHOL.

Hic enim præcipue circa caput & faciem largius admissus transpirationem liberiorem præpediendo, secessum particularum salino-serosarum tenuiorem, a lympha non modo impedit, sed inspissando lymphalem humorem, stagnationem ejus sub cute producit, atque ad discrasiam acrem salsam disponit.

Faciunt huc in specie sæpissime intempestivæ illæ capitis & faciei refrigerationes, quæ fiunt post somnum, & sub somno excitatum atque perpessum sudorem; quoniam sub somno & calore humores resoluti atque fluxiles ad corporis peripheriam feruntur, ibique a subsequente refrigeratione sub aura liberiore tanto facilius stagnationi, inspissationi & coagulationi subjiciuntur, unde subsequens illa corruptio salso-mucida primum suum ortum trahit.

Achores.

XCVIII.

Achores sunt levior species exulceratoria defædationis cutis, in summo capite, cum crusta spissiore, humorem spissiusculum fundente.

SCHOL.

Intelligimus hoc nomine itidem affectum infantilem, similis cum priore indolis: dum a stagnatione humorum lymphatico-serosorum, eorumque discrasia salsa mucida in summitate capitis, ejusque capillitio, pustulæ & ulcuscula prorumpunt, ulcerosam & copiosam satis humiditatem fundunt, crustamque spissam, pruritu infantibus molestam, producunt.

XCIX.

XCIX.

Subjectum generale itidem constituit ætas infantilis, cum temperamento humidiore & succulento.

SCHOL.

Ratione ætatis tamen monendum, quod quidem infantibus lactentibus familiariter eveniant achores, sed non per lactationis tempus solum subsistant, verum partim diutius ad majores annos portrahantur, partim etiam serius, & post ablactationem intra primum & septimum annum oriantur.

C.

Subjectum speciale hujus affectus non est facies, sed solum summum caput.

CI.

Causa materialis eadem est, quam in antecedente affectu declaravimus.

SCHOL.

Lympha nempe, discrasia salsa seroso-mucida laborans, in summo capite stagnans, cutimque exulcerans.

CII.

Causa antecedens dependet a victus atque diætæ erroribus.

SCHOL.

Etiamsi achores non modo infantibus in genere, sed etiam lactentibus in specie familiares existant, nihilominus, cum etiam post ablactationem frequentius oriantur, diutiusque durent, non solitarie causa quærenda est in lacte nutricis, aut materno, sed etiam in victu post lactationem usurpato, ita tamen, ut sæpius quoque prima quoad numerum ordinemque agendi causa a reliquiis lactis materni sit petenda.

CIII.

Reliquas causas occasionales proxime antecedentis affectus hic quoque adplicare possumus.

Tinea

Tinea capitis.

CIV.

Tinea capitis non minus est ulceratoria cutis in summo capite defœdatio, a fero acriore salsa oriunda, ab antecedente tamen per varia accidentia diversa.

SCHOL.

Differt maxime hic affectus a præcedente in eo, quod, sicut achores simplicem crustam exhibent ulcerosam, ita hæc nullam fere talem crustam spissam producat, sed cutis affecta magis intense rubeat, ichorosum liquorem, non adeo copiosum, fundat, mediocriter inflata sit ac turgeat, cuticula ipsa quasi niteat, & ita tenuis existat, ut leviore quoque motu scalptorio aut frictorio facillime abradatur, ex abrasa vero cuticula ichorosus humor fluat atque subcruentus, unde secedentibus etiam copiose squammulis furfuraceis, substrata cutis stigmata quasi cruenta sanguinea & ichorosa habet, e quibus, tanquam favo, ichor propullulat, & simul capillos quasi arrodit, & corrodit, ut in parte affecta stipularum instar & brevi eminentia appareant.

CV.

Subjectum generale non solum constituunt infantes, sed etiam aliquando adultiores.

SCHOL.

Quamvis enim ætati infantili hic adfectus non plane insolitus sit, tamen ad eam non solitarie restringi potest, dum non minus aliquando adultioribus quoque satis molestus existit, & ab ætate puerili in provectiorem extenditur.

CVI.

Subjectum speciale idem est, cum eo, quod sub antecedente affectu declaravimus.

CVII.

Distinguitur hic affectus a medicis in benignum & malignum.

SCHOL.

Quatenus nempe in uno alterove subjecto, vel causæ graviores

accesserunt, majoremque cacochymicum statum induxerunt, vel per diuturnam durationem affectus pertinacior atque rebellis factus, curam haud ita facilem admittit, atque symptomatibus gravioribus stipatus, terminos capillitii forsan transcendit, ipsamque aliquando frontem occupat, faciemque deturpando, valde molestus existit: quem affectus gradum ordinarie sub titulo, des bösen oder Erb-Grindes, indigitare solent.

CVIII.

Causæ materiales, tam proximiores, quam remotiores, generaliter & essentialiter eædem sunt, quas sub achoribus adesse diximus.

SCHOL.

Adest enim humorum lymphatico-serosorum discrasia salsa; specialiter tamen hæc differentia adesse videtur, quod major culpa sero, quam lymphæ puriori sit adscribenda, ideoque in capitis tinea major materiæ peccantis acrimonia salino-ulcerosa occurrat, unde quoque ea dependet differentia læsionis, quod in hoc affectu cutis magis erosa ac foraminulis pertusa, & capilli abrasi existant, nec non humor magis saniosus & ichorosus fundatur, qui non crustam aliquam spissiorem & glutinosam format, sed potius furfuraceas secessiones, cum cutis substrato rubore, post se relinquit.

CIX.

Causam antecedentem merito hic ponimus in universaliore statu corporis cacochymico.

SCHOL.

Deprehendimus enim ordinarie, hoc adfectu laborantes dispositione corporis valde depravata frui, nec causam hic simpliciter in victus erroribus quærendam esse, sed in confluxu quasi causarum huc concurrentium: cum magis magisque ad talem statum disponant temperamentum valde phlegmaticum, vitæ genus, diæta & victus crassior, aër rigidior, transpirationem impediens, aquarum salinarum stagnantium aut graviorum usus, hæreditaria dispositio, variæque aliæ causæ.

Scabies.

Scabies.

CX.

Scabies est cutis defœdatio chronica per pustulas ulcerosas saniosas, pruritum maximum producentes; ab acrimonia salsa humorum oriunda.

SCHOL.

Sicut antecedentes, ita non minus hic affectus corruptionem salsam humorum agnoscit, seque dignoscendum sistit, per pustulas magis aut minus saniosas, atque materia fœda repletas, quæ satis diu ægrotantes molestissimo pruritu fere in toto corpore angunt vexantque.

CXI.

Distinguitur scabies in siccam, humidam, atque ferinam.

SCHOL.

Dependet tota differentia inter siccam & humidam scabiem a majore aut minore copia humoris, in pustulis, scabiem constituentibus, inclusi, a quo in majorem aut minorem molem elevantur, & ambitum modo angustiorem, modo latiorem formant.

De ferina scabie notandum, quod proprie pertineat ad scabiem siccam, cujus speciem subalternam constituit, quæ aliquando pro diversitate temperamentorum, aut individualis acris & salsæ discrasiæ humorum, ortum capit.

CXII.

Subjectum scabiei siccæ constituunt temperamenta sicciora, nec non quoad ætatem, personæ magis seniores.

SCHOL.

Temperamentum puta cholericum & melancholicum, & ubi hæc temperamenta cum aliis aut inter se invicem miscentur, ita tamen, ut purioribus illis sicca scabies vero nomine familiaris sit, & prout major aut minor discrasia salsa concurrit, ad ferinam inclinet.

Seniores præ junioribus propter majorem inclinationem ad siccitatem fibrosarum partium, & spissitudinem humorum, magis ad eorundem impuritatem salsam, consequenter hunc ejus effectum, dispositæ existunt.

CXIII.

Humidæ scabiei magis subjiciuntur humidiora individua, de temperamento phlegmatico & sanguineo participantia.

SCHOL.

Hæc enim majore humorum abundantia turgent, & laxiore corporis habitu gaudent: Quoad ætatem vero nulla præcise ætas præ alia scabiei in genere obnoxia est, sed cujuscunque ætatis personæ ab illa corripiuntur.

CXIV.

Speciale subjectum est cutis in corporis peripheria.

SCHOL.

Excipitur tamen hic solum caput, in quo, licet totum reliquum corpus cum artubus scabies obsessum sit, nullæ hujus generis pustulæ observantur.

CXV.

Causa materialis proxima est lympha discrasia salsa corrupta.

SCHOL.

Hæc enim mucidior & spissior facta, sub reliquo humorum circulo ad glandulas subcutaneas delata, & sub stagnatione, quam hic subit, ad corruptionem salsam ulcerosam devoluta, qua cutim in continuitate sua lædit, erodit, pustulasque producit.

CXVI.

Causam antecedentem proximiorem iterum quærimus in nimio diuturno seri salso-sulphurei, cum lympha connubio, & impedita utriusque tempestiva secretione.

SCHOL.

Unde, si jam in peripheria cutis stagnat, a particulis sulphureis & salinis, motus intestinus subtiliter fermentativus excitatur, salsam & ulceratoriam illam corruptionem producens, atque fermentativam suam indolem in eo manifestans, quod per contagium ulterius propagari possit.

CXVII.

Remotiores causæ antecedentes, æque ac occasionales, sunt variæ, & quidem tales, quæ vel seri salsi copiosum proventum

ac

ac generationem promovent, vel secretionem & excretionem ejus impediunt.

SCHOL.

Favent autem generationi copiosæ seri, alimenta multa falsedine imbuta, aquæ impuriores salsæ, unde ab experientia comprobatum habemus, quod regionum illarum maritimarum, aut aliarum incolæ, ubi victus crassior salsus in usu est, & cibi saliti, fumoque indurati, copiose ingeruntur, aquæ etiam de marina salsa, ex propinquitate locorum ad maris littora, multum participant, præ aliis hoc morbo adficiantur, & scabies illis morbus quasi endemius existat.

Ad impeditiorem seri salsi in corpore generati excretionem faciunt omnes illæ causæ generales externæ, quæ transpirationem periphericam prohibere possunt, atque partim poros cutaneos stringendo, partim humores sub cute hærentes lymphatico-serosos inspissando & coagulando symbolum suum conferunt; quo nomine huc referimus aërem minus temperatum ac rigidum frigidum, vel in genere, vel specialiter quoque illis regionibus, de quibus modo diximus, familiarem, quo vel temporarie saltem pori constringuntur, humoresque incrassantur, vel perpetuam quasi talem dispositionem nanciscuntur, ut tanto promtius ejusmodi læsiones inde oriantur.

Ad occasionales & externas causas pertinet partim contagium, per conversationem cum personis scabie infectis, & familiarem strophiolorum, lectorum, vestimentorum, usum: partim peculiaris sordities, aut rerum lanearum pinguium tractatio: unde videmus, sartores in specie hoc morbo præ aliis inquinatos.

Intertrigo.

CXVIII.

Intertrigo est levis cuticulæ summæ excoriatio, cum ipsius a cute substrata secessione, ab acrimonia seri oriunda.

SCHOL.

Remota enim ac secedente cuticula, cutis substrata rubra & subcruenta adparet, cum dolore, humorem tenuem salsum per porulos fundens, qui sæpe vicinas quoque, quas tangit, partes arrodit.

CXIX.

Subjiciuntur huic adfectui partim infantes, partim adultiores personæ, præsertim obesæ, sero salso abundantes, aut ad multos sudores pronæ.

CXX.

Speciale subjectum existunt diversæ corporis nostri regiones.

SCHOL.

Sic infantibus familiaris est hæc molestia, post aures, circa collum & axillas: senioribus autem æque ac pueris circa inguina, femora, & scrotum, digitosque pedum, cum dolore sæpe satis molesto atque pruritu.

CXXI

Causa materialis immediata & proxima est serum salsum.

SCHOL.

Et quidem hoc non æque in toto corpore abundans, aut speciali discrasia laborans, sed potius in loco affecto sub sudoris forma excretum, ibique justo diutius detentum, nec satis cito desiccatum; quando enim partes carnosæ & cutaneæ sibi invicem fortius adjacent, a transpiratione perpetua sudor intra cutis complicationem colligitur, & sub motu partium attritorio cuticulam emolliendo & detrudendo, excoriationem illam causatur; quo facto, novus humor serosus continue stillat, cœptamque semel excoriationem fovet: unde quoque sub moderata desiccatione, vel per linteamina molliora, vel per pulveres exsiccantes commodissime tollitur. Apud infantes teneriores & ætate minores in partibus pudendorum aliquando, imo ordinarie, non æque sudor, sed urina, hanc materialem causam constituit.

CXXII.

Occasionalis causa in adultioribus utplurimum est obesitas, & ab hac dependens motus partium sub ambulatione attritorius, quo sudatio plus, quam par est, promovetur; quam obesitatem quoque haud raro apud infantes accusare licet.

Impe-

Impetigines & serpigines.

CXXIII.

Impetigines sunt exanthemata leviora, ex pluribus minoribus pustulis quasi in cumulum collectis, hinc inde in cute nascentia, & quando latius serpendo ulterius progrediuntur, serpiginum titulum obtinentia.

SCHOL.

Utplurimum hæc exanthemata sicca sunt, ardore atque pruritu molesta, & tandem in furfures quasi secedentia, vulgo sub nomine der Zittermähler, Zitterlesen, Schwinden oder Flechten, nota: aliquando in humidioribus subjectis humorem salsum tenuissimum insensibiliter fundunt, quo intuitu etiam latius serpere solent.

CXXIV.

Cutis in toto corpore subjectum speciale constituit.

SCHOL.

Nulla enim ipsius pars excepta manet, quin aliquando ab his exanthematibus satis diu durantibus, cutimque defœdantibus obsideatur.

CXXV.

Causam materialem esse agnoscimus serum tenue, paucum & acre.

SCHOL.

Hoc in specialissima quadam cutis particula collectum, & sub cuticula stagnans, hanc attollit, atque sub illa mora temporis quasi exsiccatum, cuticulam a cute elevatam secedere facit, furfuresque format.

CXXVI.

Occasionales causæ utplurimum sunt corporis exæstuationes, easque sequentes repentinæ refrigerationes, præsertim a potu frigido, repente hausto.

SCHOL.

Hinc fit, ut quasi sub horripilatoria & vaga peripheriæ constrictione portiunculæ seri acrioris tenuis & salsi hinc inde sub cuticula incarcerentur ac detineantur, & in auras avolante portione fluida, residua portio salina in forma sicca quasi remaneat, dictumque effectum producat. CAP.

CAPUT III.

DE
LUE VENEREA CUM ADNEXIS.

I.

Lues venerea est morbus contagiosus, chronicus, peculiarem humorum lymphatico-salivalium, & sanguinis impuritatem viscido-salsam & acrem producens: primordialiter ab impura venere oriens, variis tamen modis, communicabilis, suamque tragœdiam in partibus tam fluidis quam solidis, diversis cruciatibus ludens.

SCHOL.

Luem veneream morbum esse, Germanis neque ab omni ævo notum, neque omni tempore adeo familiarem, quam nostris temporibus existit, res est notissima. Ante navigationem enim Columbi ad oras Americanas, notum fuisse hunc morbum, haud constat: sed ab illius consortibus, dum reverterentur, ad Hispanos, & abhinc in obsidione Neapolitana ad Neapolitanos, & hinc simul ad Gallos translatum fuisse, historia testatur, unde quoad prima sua incunabula morbus Americanus nominari meretur.

Accepit autem, secundum hunc sui progressum ad varias regiones earumque incolas, varia quoque nomina, titulosque diversos: unde ab Hispanis variolarum Hispanicarum, a Neapolitanis, morbi Neapolitani, & a Gallica natione morbi Gallici, vel der Franzosen nomen ac titulum obtinuit, atque hunc ultimum quasi proprium in hunc usque diem retinuit, ut vulgo alio nomine non insigniatur: nisi quod medici, ad causas ipsius magis respicientes, luis veneree nomen ipsi imposuerint, cum hic morbus tanquam lues contagiosa familiarissimus & ordinarius sit illis utriusque sexus personis, quæ illicita venere utuntur, ejusque castris sese dederunt, & loco stipendii illum inde reportant: qui variis hinc pathematibus complicatis, ulceratoriis mali moris, præcipue circa genitalia & partes glandulosas faucium, colli, narium, inguinum, nec non dolorosis arthriticis & osteocopis circa ossa cranii, scapularum, humerorum & tibiarum,

rum, tempore nocturno præcipue ingravescentibus: aut nodosis, atque tophaceis, gummatosis, in summo capite, fronte, artubus, & locis tendinosis sese manifestare solet.

II.

Subjecta hujus affectus, quæ ipsum vel totum, vel ex parte experiuntur, duplicis sunt generis.

SCHOL.

Vel enim ex propria culpa hoc sibi contrahunt malum, & hujus ordinis alia non sunt, quam ejus ætatis personæ, ut annos pubertatis transgressæ, lusibus venereis indulgere valeant, sine discrimine temperamenti aut sexus: si nempe causam primariam antecedentem, concubitum puta impurum, non evitaverint.

Vel ex causis occasionalibus & externis eidem subjiciuntur: & hanc si respiciamus classem, ab illa neminem excludere possumus, cujuscunque ætatis, sexus aut conditionis fuerit, cum tristis observatio doceat, pueros atque infantes æque ac adultiores ac senes, viros pariter ac mulieres, juvenes cum virginibus, maritatas & non maritatas, ab illo corripi: ubi tamen notandum, non apud omnes ab iisdem antecedentibus specialibus causis, neque uno eodemque modo ac gradu dictum affectum oriri.

III.

Speciale subjectum cum respectu ad certam principalem corporis partem haud est determinabile.

SCHOL.

De humoribus enim notissimum est & manifestum, quod peculiari impuritate in totum laborent, ipsisque solidis partibus labem communicent; ex solidis autem paucæ excipiuntur, quibus non aliqua ad minimum labes adfricetur, prout ex historia morbi pathognomonica abundantissime patet.

IV.

Causa materialis proxima læsionis ejusmodi tam in humoribus, quam per humores in partibus solidis, est miasma speciale venereum, per contagium ab uno corpore ad aliud communicatum & translatum.

SCHOL.

Subtilis equidem & fermentativæ indolis exiſtit hoc miaſma, haud tamen ejusmodi ſubtilitatis, ut inſtar miaſmatum febrilium contagioſorum humorum putredinoſam corruptionem inducere poſſet, ſed potius humoribus, præcipue lymphatico-ſalivalibus, & per hos ipſi ſanguini ſpecialem lentorem, muceſcentiam & tenacitatem contrahens, quæ tandem in corruptionem ſalſo-ulceroſam abit, partes ſolidas ſimul arrodentem, & tendines, membranas, glandulas æque ac alia oſſa afficientem: quæ muceſcentia ad ſanguinem usque penetrans, in ſumme infectis ſeſe haud raro manifeſtat ſub venæſectione, quando illorum ſanguis refrigeratus non modo ſpecialem lentorem in genere monſtrat, ſed portiones viſcoſas albidas ſingulariter collectas continet.

V

Cauſam antecedentem hujus mali proximam nullatenus ponere poſſumus in rebus naturalibus, aut non naturalibus, earumque abuſu, ſed in ſolo contagio, ab aliis corporibus communicato.

SCHOL.

In humoribus enim lymphatico-ſalivalibus, quatenus in quovis ſubjecto ſolito modo conſtituti ſunt, & ſpecialiter liquidum ſpermaticum & humorem genialem conſtituunt, ejusmodi corruptionem atque ipſius fundamentum quærere nefas eſſet, dum ne unicum quidem exemplum allegari poteſt, quod unquam in homine vel ex ſeminis abundantia, vel ejus diuturna retentione, vel e contrario, ex immoderato, puro tamen veneris uſu cum conjuge propria ac pura, malum hoc, nedum unicum hujus morbi ſymptoma eſſentiale generatum fuerit.

VI.

Communicatio hujus miaſmatis & contagii venerei fit duplici modo: uno immediato, altero mediato.

SCHOL.

Immediatum communicationis modum nominamus, quando ſub concubitu cum perſona impura alterutrius ſexus miaſma illud contrahitur, & vel fœmella a viro gonorrhœa, aut lue venerea perfecta laborante, vel maſculus a fœmella, fluorem album malignum experiente, conta-

gio adficitur, dum particulæ illæ miasmaticæ immediate membris genitalibus œstro venereo tunc excitatis, calentibus & spongiosis affricantur, porisque illorum sese insinuant, ibique primo ordinarie effectus suos edunt, ulcuscula venerea aut gonorrhœam in viris, fluorem album malignum in fœminis producunt.

E quibus tandem, vel nimis diu occultatis, vel perverse tractatis, contagium illud latius serpit, & successive partes vicinas glandulosas penetrat, unde reliquis humoribus præter & transfluentibus ulterius communicatur, ibique tandem tragœdias suas ludit, donec sub circulo humorum generali per totum corpus diffusum, varias ejus partes obsideat, easque variis modis lædat.

Mediatum vero communicationis contagii modum vocamus, quando quis citra modo citatam concubitus impuri culpam, ab alia persona infecta, sub propinquiore commercio, inscius contagio afficitur: id quod fieri potest per vestimentorum, lectorum, poculorum communem usum, & oscula ab infectis accepta.

VII.

Mediatæ communicationis contagii effectus tam graves & præcipites non sunt, quam illi, qui immediatam contagii communicationem sequuntur.

Schol.

Longe tardius succedunt hæ læsiones, dum maxime externis corporis partibus adhæret contagium, ibique lentiore gradu poros penetrare, seque humoribus insinuare potest, interim autem proxime in cute & partibus cutaneis, pro diversitate medii communicationis, læsiones mali moris producit.

Unde ab usu lectorum infectorum, & hinc sudore communicato, ordinarie scabies venerea maxime pertinax & pessimæ indolis, ad ferinam pertinens: a vestimentis cruralibus affectus serpiginosi circa crura, scrotum & pubem, cum rhagadibus ani: ab osculis impurarum personarum impetigines & serpigines circa labia & nares: & a poculorum intempestivo communi usu, faucium & uvulæ læsiones ulceratoriæ contumaces oriri solent: a quibus tractu temporis miasma per poros cutis humoribus seroso-lymphalibus communicatur, atque per illos intimius

reliquis partibus affricari poteſt, ita ut ſucceſſive, & neglectis illis læſionibus, totum malum venereum inde ortum capere poſſit.

VIII.

Longe autem gravior contagii translatio eſt, quando teneris aliquando infantibus, citra illorum culpam dira hac lues communicatur.

SCHOL.

Id quod fieri poteſt ſub ipſa generatione a parentibus impuris, & lue venerea infectis: ubi miſeri infantes, parentum peccata luentes, miſerrimo atque triſtiſſimo modo hoc malo adficiuntur, dum tota humorum maſſa ita contaminatur, ut ſæpius ſummum luis venereæ gradum, per varias externi corporis defœdationes adſpectui offerant, quamprimum hanc lucem adſpiciunt, & quidem utplurimum modo incurabili: cum propter maximam tenellorum teneritudinem debita atque legitima medendi methodus locum non inveniat, quapropter, ut ſine omni auxilio miſerrime pereant ac moriantur, neceſſe eſt.

Ab hoc contagii modo & gradu haud multum diſcedit alter, quo morbus infantulis lactentibus ſub lacte nutricum, hac lue infectarum, affricantur, quoniam hoc tanquam unicum illorum nutrimentum, a nutrice inquinatum, non niſi omnes humores inquinare ac contaminare poteſt, unde poſtea diffuſo per humores contagio, effectus ipſius tandem elucefcit, per læſiones partibus ſolidis inductas, faucium nempe eroſiones ulceroſas circa uvulam & tonſillas, aut labiorum oris defœdationes ulceroſas rodentes, conſolidationem non admittentes: vel in locis pudendis ſerpiginoſis affectibus ſeſe prodentes; ubi ſpecialiter circa anum rhagades ac verrucæ ſerpiginoſæ, cum infantum contabeſcentia familiariter apparent. Ubi notabile eſt, quod in nutricum proprio corpore, niſi admodum graviter infectæ fuerint, haud raro per totum lactationis tempus, fere nihil inſoliti aut morbidi ſentiatur, ſed illæ quaſi ſanæ adpareant, dum infantuli illis ad tempus loco medicorum ſunt, & id, quod alias in proprio corpore conſpiciendum eſſet, lacte detrahunt. Interim tamen non ſanantur, ſed ordinarie facta ablactatione, malum tandem in ipſis prorumpit, & propriis ſignis ſeſe manifeſtat.

Gonor-

Gonorrhœa.

IX.

Gonorrhœa est profluvium p. n. materiæ saniosæ ulcerosæ ex membro virili, cum ardore atque dolore, ab urethræ exulceratione modo leviore, modo graviore, ortum ducens.

SCHOL.

Inter affectus ita dictos venereos haud ultimus hic est: sed ordinarie quasi primus, qui impurum concubitum sequitur. Hunc enim excipit primo dolor & ardor cum leviore urethræ exulceratione, ab initio quidem, in principio ipsius sub frenulo, ubi levis aliqua cavitas observatur, persistente, postmodum vero per longitudinem urethræ successive progrediente, & sæpius, si prior gradus negligatur, ad penis radicem, & glandulam prostatam sese extendente: ubi propter continuitatis solutionem in parte membranosa & glandulosa stillicidium aut profluvium materiæ submucidæ saniosæ, & tandem liquoris genitalis, involuntarium & perpetuum, producit, quem læsionis gradum, si diutius duraverit, & malum ad summum perveniat incrementum, sequi potest ipsarum vesicularum seminalium erosio, & tandem sub hoc rerum statu veri spermatis virilis involuntaria continua excretio.

X.

Subjectum gonorrhœæ generale constituit sexus nobilior, quippe qui solus ab illa vexatur.

SCHOL.

Quamvis enim sequiori sexui fluor albus familiaris sit, qui hujus vices supplere potest, & gonorrhœa muliebris dici, ad minimum tamen secundum loquendi modum, in scholis medicis receptum, uterque affectus ab invicem separatus existit: deinde ætas annos pubertatis superans, & ad exercitia venerea apta: junior tamen præ senili, ob rationes partim morales, partim physicas plures; magis specialiter autem huic affectui subjiciuntur illæ dicti sexus, dictæque ætatis personæ, quæ illicita venere utuntur, atque concubitum cum personis impuris celebrare solent.

XI.

Speciale ſubjectum, aut partem affectam, declaramus urethram, glandulam proſtatam, & aliquando veſiculas ſeminales.

SCHOL.

In primo enim principio dolores exulcerationem declarantes perſiſtunt ſub glande, e regione frenuli, e quo loco etiam primæ guttulæ humoris effluentis leni tactu exprimi poſſunt: ſucceſſu temporis autem materia acris partim per ſe, partim ſub acceſſu urinæ transfluæ per reliquum urethræ tractum ſeſe diſſeminat, & ita ſucceſſive circa penis radicem glandulam proſtatam aggreditur, ubi cum liquido in illa ſequeſtrato fermenteſcibili concurrens, tanto acrior facta, hic potiſſimam maximamque læſionem cauſatur: quæ læſio tunc per dolores & cruciatus, in hac regione orientes, agnoſcitur, atque utplurimum hic ſubſiſtere ſolet, niſi forſan neglectu totius affectus, aut perverſa ipſius medicatione, virus illud altius ad veſiculas ſeminales deducatur, iisque ſimile damnum minetur.

XII.

Diſtinguitur gonorrhœa ordinarie in ſimplicem aut benignam, vel veneream aut malignam.

SCHOL.

Circa hanc diſtinctionem primo notandum eſt, gonorrhœam diſtinctum plane affectum eſſe a pollutione: quamvis enim vi vocis gonorrhœa ſignificet ſpermatis aut geniture profluvium, & hoc intuitu apud lexicographos gonorrhœæ titulus & pollutioni & noſtro affectui communis tribuatur, nihilominus tamen uſus hucusque receptus ſufficienter docet, a medicis plurimis & magis probatis utrumque affectum ſatis notanter diſtingui, ideoque apud practicos duplicem titulum in uſu eſſe: ut taceam, confuſionis fundamentum ſatis aperte niti ignorantia diſtinctionis cauſæ, id quod facile condonandum eſt antiquitati, ob minorem morborum venereorum notitiam, quippe qui a certo ſaltem tempore magis magisque innotuerunt.

Unde

Unde primis temporibus harum rerum ignari medici omne profluvium materiæ mucidæ ſpiſſiuſculæ ex urethra, ob analogiam cum liquido ſpermatico, pro ſpermatis aut geniture excretione habuerunt, ideoque terminum gonorrhœæ a veteribus acceptum, atque ab his pollutionibus tributum, ad hunc noſtrum affectum applicarunt, quem errorem per multa tempora durantem alii recentiores probabiliter emendaturi, novum pollutionis titulum pro meliori affectuum diſtinctione introduxerunt, eumque vero ſeminalis materiæ profluvio & excretioni involuntariæ tribuerunt, gonorrhœæ titulum noſtro affectui præſenti relinquentes.

Hinc factum videtur, quod ſpeciem aliquam pollutionis, in ſe ſane oppido raram, gonorrhœæ titulo inſigniverint, & cum hæc excretio doloris, materia excreta quoque, alieni coloris ac odoris expers exiſteret, hanc benignam nuncupaverint: eique oppoſuerint malignam noſtram veneream, tanquam contrariis ſignis & ſymptomatibus gaudentem. Cum autem uterque affectus differentiam notoriam indolis, cauſarum, formalitatis, eventus, & curationis habeat, me a tramite veritatis non deflectere puto, ſi affectus eſſentialiter diſtinctos diſtincte quoque pertractaverim, ideoque aſſeram, hoc ſenſu gonorrhœam benignam non dari, ſed ſemper malignam, vel a cauſa venerea orientem: quoad gradum autem, ſi comparatio inſtituatur, utique illam tam in principio, quam ſub finem benigniorem eſſe præ ipſius ſtatu, nec non pro gravitate cauſæ materialis proximæ majore, aut minore malignitatis gradu pollere: quo etiam interpretandum eſſe puto aliorum aſſertum de gonorrhœa benigna, quod ex maligna ortum capere poſſit.

XIII.

Cauſa materialis proxima eſt materia acris cauſtica, a perſona impura, fluore albo venereo laborante, communicata.

SCHOL.

Hæc enim intra præputium & glandem in principio hærens, & intra urethram pedetentim ſeſe inſinuans, primum exulcerationis fundamentum præbet.

XIV.

Cauſam antecedentem proximam conſtituit concubitus impurus.

SCHOL.

SCHOL.

Hinc facillime patebit, materiam sub gonorrhœa effluentem non esse materiam seminalem, aut verum sperma, nisi in malo ad summum gradum provecto & inveterato, sed potius in principio materiam saniosam, ex membrana urethræ glandulosa sudantem, cui tractu temporis, altius serpente exulceratione, succedit & admiscetur liquidum, in glandula prostata sequestratum, a cujus admixtione major acrimoniæ gradus, colorisque atque odoris, ex albo & quasi insensibili, in flavum aut viridescentem, & tetrum fœtidumque mutatio dependet, præcipue si virus venereum altiores in humoribus ceperit radices.

Fluor albus venereus.

XVI.

Fluor albus venereus, dicitur profluvium acre saniosum & causticum ex genitalibus mulierum, ab ulcerosa illorum læsione post contagium venereum ortum ducens.

SCHOL.

Sicut in sexu nobiliore gonorrhœa virulenta, ita ab iisdem causis in sexu sequiore hic affectus oritur atque occurrit, & cum illa, similitudine maxime, coincidit, dum non minus virulentiam suam causticitate, & erosione non modo pudendorum interiorum, sed & partium vicinarum, quas attingit, molestissima, prodit.

XVII.

Subjectum generale molestissimi hujus affectus est sexus muliebris.

SCHOL.

Huic enim soli familiaris existit, & quidem etiam ab annis pubertatis, per reliquam vitam, ita tamen, ut in specie juniores, & specialissime lascivæ personæ, exercitiis venereis illicitis deditæ, præ reliquis huic affectui subjiciantur.

XVIII.

Partem affectam specialem constituit uteri vagina, cum glandulis humorem spissiusculum seroso-mucidum, pro humectatione partium continue secernentibus & excernentibus.

SCHOL.

SCHOL.

Hic enim ſub impuro concubitu miaſma venereum promtiſſimum, propter mollitiem & ſpongioſitatem partis, ſeſe inſinuandi locum invenit, quando fœmellis a viris vel lue venerea ipſa infectis, vel gonorrhœa laborantibus, communicatur.

XIX.

Cauſa proxima materialis eſt miaſma venereum, ſub ſpermate virili infecto, a maribus communicatum.

SCHOL.

Hæc materialis cauſa, cum liquido illo vaginæ uteri indolis fermenteſcibilis exiſtente concurrens, huic acrimoniam cauſticam contrahit, unde partes ſolidas non modo ſuperficialiter arrodit, fluxumque continuum ſubſtantiæ ſanioſæ excitat, ſed ſatis frequenter etiam profundiora ulcera pudendorum, cum excreſcentiis verrucoſis poſt ſe trahit, ſemperque ſummum ardorem ſub urinæ emiſſione inducit, imo ordinarie vicinas quoque partes, quo fluxu ſuo pervenit, arrodit, cutimque cruentam efficit.

XX.

Cauſa antecedens proxima & reliquæ occaſionales eædem ſunt, quas ſub antecedente affectu indicavimus, quapropter illas hic denuo repetere nolumus.

CAPUT IV.
DE POLLUTIONE, ET FLUORE ALBO MULIERUM BENIGNO.
Pollutio.

I.

Pollutio eſt ſpermatis virilis involuntaria excretio, vel ſub nocte & ſomno, atque inſomniis venereis, vel etiam vigilantibus perſonis, cum membri virilis tentigine ac priapiſmo ſimul & ſemel contingens: vel diurno

quoque tempore ſine erectione membri quocunque modo eveniens, nullam partium genitalium eroſionem aut exulcerationem, ſed aliquando virium dejectionem atque languorem poſt ſe relinquens.

II.

Subjectum generale conſtituit ſolus ſexus virilis, ſub ætate annos pubertatis ſuperante.

SCHOL.

Ætatem quod concernit, ſolum notamus, juniorem ac vegetam magis obnoxiam eſſe huic adfectui, quam ad ſenium deproperantem, propter ſeminis abundantiam, aliasque cauſas occaſionales.

III.

Pars affecta, vel ſpeciale ſubjectum morbi, ſunt veſiculæ ſeminales, cum reliquis genitalibus proximis.

SCHOL.

Veſiculæ ſeminales hunc titulum ſubeunt, ſperma elaboratum, hucque depoſitum, ad debitum excretionis tempus non aſſervantes ac detinentes, ita ut ſimul in conſenſum trahantur partes vicinæ & genitales contiguæ, glandula nempe proſtata, & membrum virile cum urethra, hujus partem conſtituente.

IV.

Differentiæ, quæ circa hunc affectum ejusque circumſtantias ſpeciales occurrunt, potiſſimum ſunt accidentales.

SCHOL.

Utplurimum enim quidem ille viget noctu, ſub inſomniis venereis, cum membri erectione involuntaria, ita ut excretio ſpermatis facta ſit, antequam individua expergiſcantur, quæ circumſtantia utplurimum concurrens anſam dedit, ut affectus ſpecialiter pollutio nocturna dicatur: ſicut autem hoc ordinarie quaſi contingit, ita non minus occurrunt individua, in quibus aliquid materiæ ſpermaticæ, non quidem perpetuo fluxu aut madore continuo, ſed certis tamen temporibus conſtanter, v.g. ſub excretione urinæ, & quidem vel in ejus principio, vel ſub finem, & ſphincteris compreſſione, aut ſub alvi depoſitione, ejusque niſu fortiore, ſine reliquis ardoris, doloris, aut ſtranguriæ ſymptomatibus, excernitur atque propellitur. Nec

Nec minus huc pertinet alius excretionis modus, quando ſperma virile non equidem ſub hactenus recenſitis circumſtantiis, ſed ſub quacunque membri virilis erectione ſtatim ejaculatur: aut quando ſubjectis debilioribus evenit, ut perpetuo quaſi madore aliquid mucidioris ſpiſſiuſculæ materiæ intra glandem & præputium colligatur, aut profluat, ſine reliquo alicujus moleſtiæ in dicta parte ſenſu, qui tamen ultimi duo caſus inter reliquos oppido rari exiſtunt.

V.

Cauſa hujus mali materialis proxima eſt tam ſperma virile, in veſiculis ſeminalibus collectum, quam liquidum glandulæ proſtatæ, ſiquidem illud ſine hoc facile excerni nequit.

SCHOL.

Peccant autem hi modo dicti humores diverſo reſpectu, dum quantitatis & qualitatis vitio laborare, modoque diverſo partes excretioni dicatas afficere poſſunt. Vel enim in culpa eſt ſpermatis bene elaborati & conſtituti abundantia, veſiculas ſeminales ultra modum turgefaciens atque expandens, ſuique excretionem ſtimulando partes urgens: vel ſimul concurrit ſpermaticæ materiæ, aut liquoris genitalis peculiaris acrimonia ſulphurea, partes membranoſo-nerveas genitalium titillatorio ſenſu ſtimulans, & tam membri priapiſmum, quam ipſam ejaculationem excitans: quæ duæ cauſæ in prima atque penultima affectus ſpecie, vel ſingulatim, vel conjunctim occurrunt.

Vel peccat ſub reliquis hujus morbi ſpeciebus utriusque humoris aquoſa tenuitas, partium nerveo-membranoſarum relaxationem tonicam efficiens, unde materiam collectam retinere nequeunt, ſed extra receptaculum diffluere ſinunt.

VI.

Hujus profluvii ſpermatici, ſpecialem quaſi caſum conſtituentis, cauſam antecedentem conſtituit atonia ſpecialis partium principaliter affectarum. Veſicularum nempe & proſtatæ.

VII.

Reliquæ causæ procatarcticæ remotiores ex genere vitæ atque victus ratione sunt petendæ.

Schol.

Et hæ sunt vel tales, quæ per diætam lautam plenamque, & abundantiam, & acrimoniam sulphuream orgasticam, tam sanguinis in genere, quam horum liquorum in specie, producere valent, & sub aliis occasionibus prolixius jam recensitæ sunt.

Vel quæ spermaticam materiam nimis aquosam reddere possunt, aut toti humorum massæ discrasiam talem serosam universaliorem contrahere valent, ut inde totius corporis debilitas, & generalis quasi omnium partium atonia inde sequatur: quorsum pertinent cibi valde refrigerantes & mucidi, bono nutritio succo carentes, & potus tenuiores aquosi, cum temperamento valde phlegmatico.

VIII.

Occasionales causæ pro diversitate affectus possunt esse diversæ.

Schol.

In prioribus enim casibus illas præbent partim speculationes lascivæ, & insomnia venerea, partim remedia aphrodisiaca & stimulantia: in reliquis autem casibus animi affectus, a mœrore provenientes, morbi prægressi diuturni, aut apoplectici, & paralytici, a quibus solis etiam, citra reliquarum causarum antecedentium concursum, affectus produci potest.

Fluor albus benignus.

IX.

Sub hoc nomine intelligimus materiæ mucidæ, spissiusculæ, albicantis, ex uteri vagina profluvium, acrimonia erodente destitutum, quod vel per intervalla certa, vel fluxu continuo mulierculis molestum existit.

X.

Differt hic fluxus a maligno venereo respectu causæ, materiæ excretæ, & effectus proximioris.

Schol.

SCHOL.

Hic enim benignus fluor muliebris nullum pro caufa agnofcit contagium venereum, fed ex fimplici humorum difcrafia & partium atonia oritur, neque eandem cum illo materiam excretionis fovet, dum materia excreta maligni fluoris fit tenuis, ferofa & faniofa, hujus autem mucida fpiffior, colore & odore peregrino carens, exiftit: nec fimilem cum illo proximiorem effectum edit, ulceratorium nempe partium affectarum aut vicinarum, nifi a caufis externis occafionalibus tale quid accidat, fed potius folo profluvio atque madore fœminis moleftus exiftit, maribusque ipfis concumbentibus innoxius manet.

XI.

Subjectum molefti hujus affectus funt fexus muliebris perfonæ, ultra pubertatis annos provectæ.

SCHOL.

Et quidem hoc ordinarie, five de reliquo fint maritatæ, five extra matrimonium viventes, five juvenes, five ad fenium pronæ: extraordinarie autem aliquando ipfis etiam junioribus puellis, in primo annorum feptenario idem fluxus contingit: ubi tamen præ reliquis, ex caufis naturalibus temperamentum phlegmaticum, vel magis tale, multum ad ipfius generationem confert, etiamfi aliorum quoque temperamentorum fubjecta eidem fub aliarum caufarum concurfu fint obnoxia.

XII.

Subjectum fpeciale conftituit uteri vagina cum glandulis, mucum naturalem, femper hic reperiundum, fecernentibus.

XIII.

Caufa materialis proxima eft idem ille mucus, in dictis glandulis fecretus, majore, quam par eft, copia effluens, atque excretus, fuaque copia moleftiam perpetui madoris circa pudenda efficiens.

XIV.

Causam antecedentem proximam constituit dictarum glandularum atonia & laxitas nimia.

SCHOL.

Hæc enim decubitum majorem mucosæ materiæ concedit, ut inde profluvium tale per poros illarum patulos & laxos tanto promtius succedat.

XV.

Remotior causa antecedens est humor serosus phlegmaticus, in corpore abundans.

SCHOL.

Hic sicut partibus solidis in genere atoniam facile contrahit, ita speciali decubitu ad has partes delatus, iisdem particulariter atoniæ & relaxationis labem, per fibrarum emollitionem affricat. Unde maxime phlegmatica corpora ex interna dispositione huic affectui obnoxia videre licet.

XVI.

Occasionales aliquando occurrunt causæ, affectum tam producentes, quam foventes.

SCHOL.

Ad harum classem pertinent morbi, præsertim graviores, prægressi, totum corpus debilitantes, ut inde actus legitimi secretorii suspendantur, & materia mucida serosa copiose augeatur: præcipue si morbi aut læsiones ipsum uterum afficiant, quo nomine partus violentus, uteri procidentia, abortus graviores aut frequentiores, imo ipse frequentior partus legitimus in personis debilioribus occurrens, & mensium anomaliæ sæpissime huic affectui primam præbere solent occasionem. Deinde quoque diæta tenuis, & inprimis cerevisiæ tenues, minus lupulatæ, hunc morbum excitare solent, æque ac refrigerationes partium inferiorum, mensium præcipue anomalias post se trahentes.

XVII.

Eventus hujus benigni fluoris albi a maligni atque venerei effectibus plane distinctus existit.

SCHOL.

SCHOL.

Sicuti enim malignus inquinationem veneream & proprii corporis, & virorum cum ejusmodi fœminis commercium habentium, certo post se trahit, ita hunc benignum nihil tale secum ferre, sed diu durantem ac inveteratum, pallores, cachexiam, lassitudinem viriumque debilitationem, & præcipue sterilitatem fœminarum inferre: suppressiones autem repentinas ac violentas non ferre, cum has antecedentes sæpissime affectus asthmatici, hysterici suffocatorii, imo epileptici sequantur.

CAPUT V.

DE VITIIS EXCRETIONIS VRINÆ.

I.

Vitiata urinæ excretio sub se comprehendit vel excretionis excessum, vel ipsius defectum, vel denique dolorosam aut insciam emissionem.

SCHOL.

Sic ad excessum pertinet, quando copia urinæ excretæ potum assumtum superat, aut nimis cito sine sufficiente alteratione urina emittitur sub diabete.

Ad defectum ex opposito referenda est ischuria, vel plenaria urinæ suppressio, aut ad minimum nimis parca in proportione ad assumta liquida, ejusdem emissio, quam aliqui mictionem imminutam vocare solent.

Dolorosam mictionem vero constituunt dysuria, & stranguria, ubi non solum pauca, sed simul cum dolore emittitur urina: sicut ab urinæ incontinentia minor sensibilitas & voluntas mingendi occurrit.

Diabetes.

II.

Diabetes est copiosa, & utplurimum post assumta potulenta, minus alteratæ urinæ crudioris & aqueæ excretio nimis cita,

pro-

proportionem assumtorum superans, a colliquatione humorum oriunda.

SCHOL.

Affectus in se satis rarus existit in praxi medica, ita ut morbi titulum mereatur. Quamvis enim haud raro, sed quasi quotidie contingat, potatores strenuos, vel etiam alios, post copiosum aut tenuem potum, multam quoque brevi tempore emittere urinam, eamque minus tinctam & aqueam, hæc tamen urinæ excretio pro morbo aut læsione diureseos minus accurate habetur, dum hæc a causa occasionali & extranea oriens, temporaria existit, & cessante causa occasionali, facile cessat, nec unquam medici consilium poscat; ideoque pro spuria diabete haberi possit.

Quando autem extra hunc casum, & citra talem causam occurrit, ideoque de facta humorum colliquatione nimia testatur, tunc morbus dici meretur, & hoc respectu satis raro occurrit, & ad affectus infrequentiores referri meretur: cui corporis emaciatio aut symptoma solennis esse solet.

III.

Subjectum generale hujus affectus ordinarie constituunt senes.

SCHOL.

Siquidem in senio consummato facili negotio secretiones naturales diversimode minuuntur, turbantur, sufflaminantur, ideoque in hoc statu materiales multorum morborum senilium suppeditant causas, ita in dato quoque casu hæc generalis dispositio (non tamen sola, cessantibus nempe aliis causis) aliquid conferre potest, ut humores impuriores redditi, in serum copiosum fatiscant, huncque adfectum rarissimum aliquando producant.

IV.

Subjectum speciale primario constituunt renes, secundario ureteres & vesica urinaria.

SCHOL.

Primario intuitu renes accusandos esse, exinde patet, quod hi organum sequestrationis urinæ ordinarium constituant, nec urina, quantum hucusque constat, unquam alibi, nisi in renibus, secernatur, atque secedat, sive de reliquo status naturalis, sive præternaturalis fuerit: Urete-

Ureteres vero & veſicam in tantum his accenſemus, quatenus copioſiori transmiſſioni & emiſſioni urinæ jam ſeparatæ inſerviunt.

V.

Cauſa materialis proxima eſt urina, quantitate & qualitate peccans.

SCHOL.

Hæc enim materiam conſtituit excretionis hujus extraordinariæ, & quidem quantitate inſolita & exceſſiva, qua potus & liquida aſſumta ſuperat, nec tamen qualitas urinæ peccans conſiderationem effugit, ſiquidem hiſtoriæ de hoc rariſſimo affectu referunt, urinam eſſe aqueam, omni ſedimento carentem, & aliquando pinguedine permixtam, atque ſapore ad dulcedinem inclinantem.

VI.

Cauſam antecedentem quærendam eſſe putamus partim in renum ſubſtantia, partim in humorum diſpoſitione præternaturali.

SCHOL.

Renes quod attinet, probabile admodum eſt, medullarem, ſeu tubuloſam eorundem ſubſtantiam juſto laxiorem eſſe, hancque ob rationem ſerum cum ſanguine ad ſubſtantiam vaſculoſam ſeu corticalem advectum, cum lymphalibus partibus permixtum, nimis cito tranſire, antequam debitam in renibus alterationem ſubire poſſit.

Humores quod concernit, æque ſatis probabile eſt, quod talibus particulis, vel ſulphureis, vel ſalſis imbuti exiſtant, quæ illorum faciliorem citioremque colliquationem & diſſolutionem in ſerum promovere valent: id quod in ſpecie reſtatur conjuncta utplurimum corporis contabeſcentia, & oleaginoſarum partium in urina ſupernatatio: ut & ſitis & exæſtuatio interna, quamvis typica non accedat febris.

VII.

Cauſæ occaſionales variæ recenſentur, utplurimum tamen tales, quæ renes exſtimulando copioſum ſeri decubitum invitare, &

& vel mediate vel immediate in illis atoniam provocare possunt.

Schol.

Hujus censûs sunt abusus salium diureticorum, vinorum calidiorum, & remediorum positive diureticorum in febribus; nec non acidularum, imo potus thee immoderatus usus. Illis enim ad renes cum sanguine delatis, hi stimulo afficiuntur nimio, ut fibræ tubulorum urinariorum nimium moveantur, & diureseos negotium exacerbetur; quo facto tandem tonus fibrarum labascit, & talis præternaturalis & excessiva urinæ excretio remanet.

His vero purioribus, aut ad minimum multum aquosis, facili negotio fibræ renalium ductuum relaxantur, emolliuntur, tubuli magis patuli redduntur, ut sero & sanguini allabenti facillimum citioremque concedant transitum atque secessionem, ut postmodum ad vesicam in copia depluens, hanc gravitatis pondere onerando, sui frequentiorem excretionem urgeat. Et quamquam acidulæ hunc effectum, neque omnes, neque semper edant, aut post se relinquant, facilius tamen illarum usum hoc sequi potest, si forsan sub tempestate valde pluviosa multis aquis crudioribus perfundantur, & in sua virtute reliqua multum alterantur & debilitantur; aut si inconsultiori consilio senibus, posthabito respectu temperamenti, aut reliquæ constitutionis corporis, suadeantur.

Ischuria

VIII.

Ischuria est urinæ suppressio, ejusque excretionis imminutio sine dolore.

Schol.

Hoc ipso sese distinguit hic affectus ab aliis mox pertractandis urinæ vitiis, quippe quæ, etiamsi urinæ emissionem imminutam ex aliqua parte simul involvant, tamen dolorifica existunt, cum in ischuria dolor sub emissione abesse debeat. Et quamvis nos haud lateat, ab aliis ischuriam, tanquam suppressionem urinæ totalem atque omnimodam, mictioni imminutæ quasi contra distingui, & separatim pertractari, nihilominus tamen utramque facile conjunctim pathologicæ tractationi subji-

subjici posse existimavimus, cum non essentialiter, sed quoad gradum saltem, ab invicem differant, de reliquo autem quoad causas in genere, & formalitatem ipsam inter se maxime conspirent.

IX.

Ischuria merito distinguitur in idiopathicam & symptomaticam.

SCHOL.

Idiopathicam nominamus, quando a solo vitio viarum urinariarum & negotii secretionis urinæ, absque alius cardinalis morbi præsentia dependet, & morbum per se constituit. Symptomatica autem nobis audit, quando aliis affectibus morbidis principalioribus, febrilibus, inflammatoriis, ut symptoma jungitur atque accedit.

X.

Subjectum generale certum hujus affectus æque determinare non licet.

SCHOL.

Causæ enim hunc affectum producentes ejus indolis non sunt, ut illas in temperamento, sexu, ætate, vel aliis rebus naturalibus positive quærere possimus: licet aliquando concurrendo aliquid contribuant, unde ab experientia scimus, subjecta varia esse atque diversa.

XI.

Subjectum speciale sunt organa, secretioni & excretioni urinæ consecrata.

SCHOL.

Renes enim & ureteres, æque ac vesica urinaria diversimode afficiuntur, ita tamen, ut, quamvis non semper conjunctim, tamen alterutra harum partium, imo aliquando omnes simul afficiantur. Renes enim si solitarie spasmo stringantur, secretio urinæ cessat, quam cessantem per consequens excretio suppressa sequi debet.

Si vero tale quid in ureteribus, aut in vesica contingit, urinæ quidem secretio renibus succedere potest, sed nullus conceditur vel transitus per ureteres ad vesicam, vel exitus e vesica. Quando autem omnes partes simul per consensum strictura tali afficiuntur, totum negotium & secretionis & excretionis, necessario tollitur; id quod gravissimum quoque post se trahit periculum.

XII.

Causa ischuriæ antecedens proxima est spasmus aut obstructio.

SCHOL.

Spasmo enim si afficiantur modo insolito renes in sua substantia, præcipue tubulosa & medullari, nulla potest fieri urinæ in renibus sequestratio, qua deficiente, necessario quoque perit ipsius excretio.

Quod si autem vel ureteres, vel vesica urinaria spasmum patiantur, secretio quidem urinæ salva manere potest in renibus, sed transitus ipsius per ureteres ad vesicam impeditur, ut urina in ureteribus stagnet: id quod præcipue contingere potest, si spasmus circa ureterum insertionem in vesicam speciatim contingit. Si vero a spasmo, liberis manentibus renibus ac ureteribus, sola vesica circa sphincterem stringatur atque claudatur, tunc sola excretio urinæ e vesica damnum patitur.

Obstructio locum habere potest, tam in renibus, a materia mucida, tubulos secretorios renum obliterante, & negotium secretionis urinæ impediente: quam in ureteribus, a sanguine coagulato, post mictum cruentum prægressum: nec minus in meatu urinario a caruncula aliquando præsente. Et hæ utriusque generis causæ potissimum considerationem subeunt in ischuria idiopathica.

XIII.

Symptomaticæ ischuriæ causæ proximæ sunt essentialiter quidem eædem, spasmus nempe, aut obstructio: sed alium affectum morbidum cardinalem præsentem pro causa antecedente agnoscunt.

SCHOL.

Schol.

Sic in febribus, præcipue inflammatoriis, tales ſpaſmi particulares circa renes obtingere poſſunt, qui urinæ ſeceſſionem ſufflaminant, ante omnia, ſi renes ipſi inflammati fuerint, aut veſica ſimile quid patiatur.

Obſtructio vel ureterum, vel meatus urinarii accidit ſatis frequenter a calculo tam renali, quam veſicali, prout ille vel in ureteribus, vel circa veſicæ ſphincterem impactus hæret, lotioque tranſitum haud concedit.

XIV.

Occaſionales quoque & externæ, nec minus plane extraordinariæ, aliquando occurrunt cauſæ, iſchuriam excitantes, & foventes.

Schol.

Ad externas & occaſionales cauſas referimus 1. Vulnerationes & læſiones partium vicinarum, quas ſæpe ſpaſmus excipit: 2. Urinæ voluntariam & coactam ſuppreſſionem, poſt multi potus ingurgitationem, quæ ſane in minus adſuetis tantum in veſicæ ſphinctere producere poteſt motum ſtrictorium, ut plenaria iſchuria ſequatur. 3. Graviditatem fœminarum, ſub qua in ultimis geſtationis menſibus aliquando meatus urinarius a mole fœtus comprimitur, & iſchuriam temporariam producit: 4. Teneſmum inteſtini recti, a quo per conſenſum patitur collum veſicæ, & urinarius meatus.

Plane extraordinaria cauſa aliquando eſt renum aut ureterum talis exulceratio & eroſio, ut urina in abdominis cavum dilabatur. Talem ante tres menſes habuimus caſum, in uxore militis, quæ per ſeptem dies iſchuria laboraverat, & ubi per catheterem nec quidquam urinæ elici poterat: Hanc cum ſeptimo die defunctam aperiremus, utrumque renem exeſum atque eroſum deprehendimus, ac materia ulceroſo-purulenta repletum & tumidum, ureterem dextrum autem prope pelvim admodum dilatatum, & tribus foraminibus majoribus pertuſum, unde urina omnis in abdomen effluxerat, ibique reperiebatur, ne guttula præſente intra veſicam.

Dysuria.

XV.

Dysuria est mictio admodum dolorosa, cum speciali sensu ardoris, magnoque excernendi nisu atque conamine stipata, urina tamen modo pauca, modo copiosa profluente.

Schol.

Distinguit sese hic affectus eo ipso a mox antecedentibus, quod ad dolorosam emissionem urinæ pertineat, cum diabetes sit excessiva lotii excretio sine dolore, ischuria vero totalis vel partialis suppressio: sicuti etiam stranguriæ ex eo contradistincta manet dysuria, quod illa stillicidio saltem doloroso & molesto sese prodat, hæc autem aliquando ad minimum, largioris quantitatis urinæ emissionem simul concedat.

XVI.

Subjectum hujus molestissimi affectus utplurimum constituunt senes.

Schol.

Quamvis haud omnes huic affectui subjiciantur senes, tamen frequentius in senio occurrit, quam apud juniores, cum ordinarie quasi, propter secretionum & excretionum debitarum defectum, ad statum cacochymicum, humorumque acrimoniam salsam, inclinent, quæ spasticarum in vesica urinaria stricturarum causa existit; de reliquo aliquando etiam fœminæ huic affectui subjiciuntur, vel in puerperio constitutæ, & fluxus lochialis, vel extra puerperium, mensium suppressionem patientes.

XVII.

Pars affecta est vesica urinaria cum urethra.

Schol.

In hac enim obtingentibus stricturis spasticis, ex una parte a fundo vesicæ pressio obtingit pro excernenda urina, cum ex altera parte circa collum strictura quasi antagonistica eveniat, urinæ exclusionem impediens,

pediens, unde dolores illi & cruciatus oriuntur, donec remittente ex parte circa collum vesicæ spasmo quantitas urinæ collecta excernatur.

XVIII.

Causa hujus dolorifica excretionis urinæ proxima & immediata est spasmus atque strictura vesicæ, quo excretio impeditur.

XIX.

Causa proxima antecedens materialis consistit vel in materia acri, salsa, stimulante, vel in materia premente aut pungente, & meatum urinarium occludente.

Schol.

Ad priorem classem referimus peculiarem urinæ acrimoniam salsam, qua tunica vesicæ nervea nimium stimulatur, quæ aliquando dependet ab assumtis causticis diureticis, cujus generis sunt cantharides, a quibus improvide assumtis haud raro dictus affectus ortum ducit.

Nec minus huc pertinet vesicæ urinariæ exulcerata conditio, vel ab universaliore humorum discrasia salsa, vel a calculo vesicali asperiore ortum ducens, in quo casu ipsa materia snioso-ulcerosa molestam sensationem inducit, quam spasmus facile sequitur, qui tanto magis exacerbatur, si urina acris per se salsa locum ulceratum tangit, atque de novo dolores ac cruciatus excitat.

Ad posteriorem classem pertinet calculus vesicæ, licet non asperior, tamen mole sua collum vesicæ premens, meatum urinarium occludens, & pressione sua spasmos ejusmodi gravissimos causans: vel caruncula venerea, meatum urinarium obsidens: vel denique sanguis coagulatus intra vesicam hærens, a mictu cruento, qui præcesserat.

Nec citra rationis aut experientiæ fundamentum, ut causa a quibusdam allegatur fluxus menstruus aut lochialis in sexu fœminino suppressio: quamvis enim a sanguine circa uterum stagnante, immediate dolores in vesica ortum capere nequeant, tamen per consensum & connexio-

nexionem partium haud raro contingit, ut spasmi, circa uterum oborti, vesicam simul tangant, & dolorificam urinæ emissionem causentur, sicut eodem tempore & modo pathemata tenesmoidea circa intestinum rectum cooriri possunt ac solent.

Stranguria.

XX.

Stranguria est dolorifica urinæ emissio temporaria per stillicidium ipsius, cum frequenti mingendi conatu, & sensu frigido in urethra, sese manifestans.

Schol.

Distinguit sese hic affectus a proxime antecedente in eo, quod modus emissionis urinæ sit diversus, duratio affectus differat, nec causæ proximiores plane eædem existant. Modum emissionis quod attinet, in dysuria sufficiens utplurimum quantitas urinæ simul & semel emittitur, sed cum dolore gravissimo juncto, cum e contrario in stranguria guttatim saltem urina prodeat, & continuum quasi mingendi desiderium urgeat.

Durationem utriusque affectus quod respicit, dysuria ordinarie est affectus chronicus, diu durans, aut si causam continentem in viis urinariis non agnoscat, citra causarum priorum internarum recursum non recurrens: Stranguria vero ordinarie affectus est paucarum horarum, aut ad summum dierum, post causæ proximæ sublationem facile cessans, sed facile quoque, data occasione, recurrens, nullum tamen periculum post se relinquens.

Causæ dysuriæ sicut ordinarie sunt intrinsecæ, ita stranguriæ causæ utplurimum sunt extraneæ & occasionales, facile corrigendæ, aut removendæ.

XXI.

Subjectum generale certum ac determinatum non datur.

Schol.

SCHOL.

Haud enim certa ætas præ alia, nec fexus unus præ altero, huic affectui fubjicitur, aut ab illo immunis manet, quoniam caufæ occafionales ejus conditionis funt, ut facile apud unumquemque, cujuscunque etiam conditionis fuerit, occurrere, & citra individualem difpofitionem hunc affectum producere poffint.

XXII.

Subjectum fpeciale eft vefica urinaria cum urethra, ficut in dyfuria.

XXIII.

Diftingui poteft ftranguria in idiopathicam & fymptomaticam.

SCHOL.

Idiopathica nobis audit, quæ citra aliarum ad diurefin pertinentium, aut vicinarum partium, morbum prægreffum aut concurrentem, occurrit, & ordinarie per breve tempus durat.

Symptomatica vero eft, quæ aliquando affectibus nephriticis, & renalibus calculofis jungitur, iisque ut fymptoma fupervenit.

XXIV.

Caufæ hujus affectus utplurimum funt externæ & occafionales.

SCHOL.

Licet enim non inficiemur, urinæ acrimoniam falfam magis concentratam in caufa aliquando effe, eamque caufas internas prægreffas agnofcere poffe, nihilominus hiftoria morbi teftatur, ftranguriam repente ægros invadere, vel poft corporis exæftuationem fudorificam, & proxime fequentem perfrigerationem, præcipue abdominis aut regionis coxendicis & offis facri: vel poft potum cerevifiarum frigidarum aut refrigerantium, aut minus defecatarum, præcipue fi forfan cibi fermentefcibiles fimul ingeftæ fuerint: vel denique a calculo renali, quando fub illis motibus excretoriis, urina ex ureteribus in veficam ftillicidio quafi delabitur, hancque fenfu molefto afficit, & contractionem fpafticamcirca meatum urinarium producit.

Sectio III.

DE

MORBIS, EX VITIO MOTUUM ORIENTIBUS.

I.

Quemadmodum humores in nostro corpore, quantitate & qualitate peccando, varias læsiones producunt morbosas, ita non minus motus partium solidarum, varia producere possunt vitia sanitatis, imo ipsi vitæ nocere.

Schol.

Consideravimus hactenus varias primariasque humorum nostri corporis læsiones, atque sanitatis incommoda diversa hinc dependentia, non quidem cum motuum omnimoda exclusione, sed sub debita eorundem consideratione conjuncta, ita tamen, ut principaliter illos affectus pertractaverimus, quorum formalis & materialis causæ præcipuum fundamentum in læsione craseos humorum consistit: unde nunc transitum quoque facimus ad illos, quorum formalitas sese maxime & principaliter per motuum varias læsiones exserit ac manifestat, quamvis humores nostri corporis causam materialem & antecedentem horum affectuum utique constituant.

II.

Commodioris tractationis gratia dispescimus motuum vitia in duas classes, quarum prior motuum exacerbationes, altera autem eorundem remissiones atque defectus comprehendit.

Schol.

Sub priore classe perlustrabimus affectiones morbosas, quæ varii generis spasmis sese manifestant, & partim motibus dolorosis arthriticis, partim convulsivis absolvuntur.

Ad

Ad alteram revocabimus eas læfiones, quæ in fenfuum & motuum defectu, aut remiffione nimia confiftunt, nobisque affectus apoplecticos, paralyticos, lipothymicos, & fyncopticos fiftunt.

CAPUT I.
DE MOTVVM EXACERBATORVM VITIIS.

I.

Motus exacerbati funt vel idiopathici, vel fymptomatici.

SCHOL.

Per illos intelligimus ejusmodi motus, qui caufam in corpore hærentem materialem pro fundamento agnofcunt, cujus vel imminuendæ, vel alterandæ & corrigendæ, vel penitus ejiciendæ gratia directo & intentionaliter ab ipfa natura fufcipiuntur & exacerbantur: quale quid e. g. fub fpafmis propter humorum fpiffitudinem removendam contingit.

Per hos vero, quæ a caufa externa aliena mere paffiva producuntur, foventur, & quafi ad imitationem illarum faltem adornantur, quod aliquando a refrigeratione externa partis folidæ occurrit.

Palpitatio Cordis.

II.

Palpitatio cordis eft motus ipfius pulfatorius, in fyftole & diaftole confiftens, p. n. & extraordinarie, ita per intervalla auctus, ut fenfu tactus, vifus, immo auditus, tam ab ægro, quam aliquando ab adftantibus, per coftas, & veftimenta, facile percipiatur.

SCHOL.

Haud rarus aut infrequens eft hic affectus, fed potius maxime cognitus, & in fenfus incurrens: non perpetua duratione ægros afficiens,

ciens, fed per intervalla utplurimum recurrens, eam ob rationem a natura fufceptus, ut fanguis in circulo fuo vegetius promoveatur, & cor ipfum ab ejus extraordinaria colluvie liberetur, fimulque vel fpiffior factus attenuetur, vel peregrinis etiam miafmaticis particulis refertus, ab illis repurgetur, aut aliquando propter caufam aliquam continentem in organis, circulationi fanguinis dicatis, hærentem, eamque impedientem, fimpliciter fortiori nifu transpellatur, ne fub diuturniore mora coagulationi & ftafi fubjiciatur.

Unde videmus, cordis palpitationem obtingere, vel poft extraordinarias corporis exagitationes, fub curfitationibus: vel fub repentina fanguinis reftrictione ab extremis ad interiora, per terrorem, vel fub febribus malignis, & contagiofis, gangræna, fphacelo, & venenis asfumtis: vel fub hypochondriacis atque hyftericis pathematibus: vel denique fub polypofa concretione in ipfo corde, aut vafis cordi proximioribus atque majoribus hærente.

E quibus fi rite perpendantur, maxime elucefcit, palpitationem cordis magis effe aliarum læfionum fymptoma acceffiorium moleftum, quam ipfam læfionem aut morbum, imo fi recte & fecundum rei naturam loqui velimus, nihil effe morbofi, fed motum cordis p. n. quidem & confuetudinem auctum, eum vero in finem a natura fufceptum, ut fortiori illo motu aliquid noxii atque morbofi, læfionem inducens aut minitans, pro viribus removeatur, excutiatur, aut avertatur.

III.

Palpitatio cordis vel plane temporaria & tranfitoria eft, vel chronicum affectum conftituit.

SCHOL.

Notamus hic merito differentiam, quæ circa hunc affectum in fe fpectatum occurrit: dum vel a fola caufa externa, corporis nempe exagitatione fub motu aut curfu velociore, aut adfcenfione ad loca acclivia originem ducit, & ceffante caufa, mox iterum ceffat, nec fine tali caufa recurrit; vel ab aliis caufis in corpore hærentibus fæpe atque frequenter recurrit, citra talem occafionalem atque externam manifeftam caufam, eoque ipfo anfam præbet, ut prior fpecies, tanquam magis naturalis, medicæ confiderationi non fubjiciatur, & tanquam affectus, nihil morbofi

morbosi involvens, negligatur, cum altera species proprie talem constituat affectum molestum, qui causarum indagationem ac remotionem meretur, & in præsenti quoque nostræ considerationis objectum existit.

IV.

Subjecta molesti hujus affectus sunt corpora plethorica: & Fœminæ præ viris.

SCHOL.

Ita tamen, ut ordinarie quasi cum statu plethorico, sanguinis spissitudo concurrat: hinc potissimum temperamentum melancholicum, aut melancholico-sanguineum in considerationem venit, quippe quæ, si otiosa vita simul abutantur, tanto facilius huic affectui subjiciuntur: Fœminæ quoque ex culpa vitæ sedentariæ præ viris magis ab illo vexantur, & si viri de illo conqueruntur, ordinarie hypochondriacis passionibus expositi esse solent, sicuti fœminis quoque, hysterica passione laborantibus, & quibus menses cessant, magis familiaris esse solet.

V.

Subjectum speciale est ipsum cor.

SCHOL.

Hoc enim vehementiores motus, eosque frequentiores & velociores systalticos & diastalticos experitur, sub qua motus pulsatorii exacerbatione tam vasa proxime adjacentia, quam ipsi pulmones & diaphragma in consensum trahuntur, ut ab infarctu sanguinis majore in pulmonibus, motus respiratorius difficilior reddatur, donec cessante palpitatione, & fortiore sanguinis impulsu, respiratio quoque liberior iterum evadat.

VI.

Causa materialis ordinaria est sanguis, plus justo spissior, & quantitate simul abundans.

SCHOL.

Cum nempe hoc modo ad motum circulatorium & progressivum, præsertim per partes angustiores & strictiores, minus aptus sit, (qualis melancholicis & hypochondriacis, præcipue fœminis, partim ex temperamento, partim ex vitæ genere sedentario, familiarissimus esse solet,)

 sub

ſub impeditiore illius progreſſu, notabilis aliquando ipſius portio verſus majora ac interiora vaſa regurgitat, & ad ipſum cor redundat: ſub qua redundantia ventriculi cordis, ultra ſolidum & debitum ſanguine replentur, ut inde primo debilior ſuccedat pulſus, & anguſtiam quaſi lipothymicam poſt ſe trahat, dum ventriculi repleti extenduntur, quæ pulſus debilitas tamen mox in velocitatem & violentiam mutatur, quando natura, ob damnum coagulationis ſanguinis evitandum, & pro reſtituendo liberiore ipſius circulo, motum fibrarum cordis intendit, & ſub ſyſtole validiore, citiusque repetita diaſtole, molem, hactenus cor obruentem, ſimul & ſemel propellit, & expulſo ſanguine, ab illo motu extraordinario ad tempus vacat, donec nova accedente cauſa occaſionali regurgitationis, ad idem naturale quaſi remedium recurrat.

Id quod tamen ſub ſola ſanguinis abundantia, aut leviore ipſius ſpiſſitudine concurrente, paulo rarius contingit, niſi in ejusmodi ſubjectis turgefactoria ſanguinis expanſio aliquando accedat. Si autem vel ex temperamento, vel ex diæta, vel ex genere vitæ & animi pathematibus, ſanguinis ſpiſſitudo indies increbeſcat, tunc utique frequentiores quoque contingunt palpitationis recurſus.

VII.

Aliquando certa & ſpecialis ſanguinis impuritas & diſcraſia in culpa eſt.

SCHOL.

Non enim ſemper ſola ſanguinis ſpiſſeſcentia eſt accuſanda, dum etiam in aliis affectibus aliquando ſymptomatice occurrit, ubi particulæ miaſmaticæ, putridæ ſanguini permixtæ ſunt, ad quarum citiorem expulſionem & eliminationem e corpore, natura iisdem motibus extraordinariis inſurgit, id quod accidit in febribus malignis, ſphacelo, & veneno aſſumto.

VIII.

Aliquanda cauſa materialis non hæret in ipſo ſanguine, ſed in organis, aut circa illa, quæ motui ſanguinis inſerviunt.

SCHOL.

Huc pertinent polypi, in corde ejusque ventriculis, aut vaſis ſanguife-

guiferis reperiundi, æque ac carnosæ ipsius cordis excrescentiæ, quas tamen causas non æque dignoscere, & certo perspicere licet, nisi omnium reliquarum ordinarium causarum defectus tale quid arguat, atque probabilem de illarum præsentia conjecturam suppeditet: de quarum classe quoque sunt liquoris pericardii nimia quantitas, tubercula, calli, officula sive in corde, sive in arteriis, sive extrorsum illis adhærentia.

IX.

Sustinuerunt veteres, non solum a causa sanguinea, aliisque hactenus recensitis, sed frequenter etiam a flatu, vel materia flatulenta, palpitationem cordis ortum ducere.

SCHOL.

Id quod in tantum verum est, & rectissime se hadet, si flatulentia tanquam causa occasionalis consideratur; cum enim sine exceptione quasi hypochondriaci ad flatulentiam, & speciatim anotericam, maximam habeant dispositionem, hinc contingit, ut præsentibus multis flatibus, iisque per motum intestinorum strictorium sursum propulsis, sanguis etiam majore quantitate ab inferioribus ad superiora particulariter congeratur ac propellatur, qui tamen huc redundans & regurgitans ordinario pulsus motu dispelli ac propelli nequit, sed utique majorem motus pulsatorii proportionem & gradum postulat, & ita naturam physica quadam necessitate ad ejus susceptionem inducit: si autem flatus tanquam causa materialis proxima in corde ejusque ventriculis hærens accipiatur, nexus causalitatis haud æque quadrare videtur.

Spasmi.

X.

Spasmi sunt species motuum exacerbatorum, in partibus solidis mollibus fibrosis, vel totum musculum, vel partem ipsius, vel plures musculos simul, extraordinaria fibrarum tensione rigida simpliciore afficiens, & dolores utplurimum efficiens.

SCHOL.

SCHOL.

Diſtinguit ſe ſpaſmus a convulſione in eo, quod ſpaſmus conſiſtat in ſimpliciore rigida partium muſculoſarum tenſione; convulſio autem motu reciproco antagoniſtico plurium muſculorum, in officio ſibi oppoſitorum, abſolvatur, & quod ſpaſmus ordinarie ſit dolorificus, quod ſub convulſione non ſentitur.

XI.

Subjectum ſpaſmorum generale conſtituunt individua maxime plethorica, præcipue notabili humorum ſpiſſitudine ſimul laborantia.

SCHOL.

Hæc enim individua, ſi præterea pleno victu, lautaque diæta, vitæque genere otioſo utantur, cauſam maxime ſuppeditant, propter quam natura ſanguinis abundantis depletionem & imminutionem ſinceram, aut ſpiſſioris & ex ſpiſſitudine reſtagnantis transpreſſionem per partes ſpongioſas aut tubuloſas, pro ipſius attenuatione, & mobilitate conſervanda intendit.

XII.

Spaſmi tales ſunt vel univerſaliores, vel magis particulares.

SCHOL.

Illi ſunt motus ejusmodi exacerbati, generaliter per totum corpus varie ſeſe diffundentes, & ad generaliorem humorum, aut ſanguinis in ſpecie transpreſſionem, aut expreſſionem hæmorrhagicam tendentes, ſub variis ita dictis rheumatiſmis & congeſtionibus, aut harum incompletis moliminibus conſpicui.

Hi illi ſunt motus, qui circa unam aut alteram ſolum, vel plures corporis partes obverſantur, quales ſub affectibus arthriticis vagis aut fixis, podagricis, iſchiadicis, chiragricis & gonagricis, imo colicis hæmorrhoidalibus, in conſpectum veniunt. Cum autem de generalioribus rheumatiſmis, & moliminibus congeſtoriis incompletis, ſub reliquis congeſtionibus jam dixerimus, nunc ad particulares illas ſpaſticas & dolorificas afflictiones transgredimur, initium faciendo a genere, arthritide nempe tam vaga, quam fixa, & abhinc ad ſpecies ſubalternas, podagram, ejusque ſorores, progrediendo.

Arthri-

Arthritis.

XIII.

Arthritis est affectus spasticus dolorosus, tractorius, & lancinnatorius, articulationes præcipue occupans, & circa partes tendinosas sese exserens.

SCHOL.

Formale arthritidis consistit in motu tonico exacerbato, vel spastico partium musculosarum, & tendinosarum, per sensationes valde molestas, tensivas, tractorias, lancinnatorias, dolorosas sese manifestante, quæ vel continuæ sunt, vel per intervalla recurrunt, vel sub artuum & articulorum motibus increbescunt, ita tamen, ut sensus doloris molestus non tam in ipsa articulatione, quam circa illam & in ejus ambitu, partibusque musculosis circumjacentibus sentiatur.

Unde quoque arthritidis nomen non æque pro explicanda morbi formalitate, sed pro indigitando loco affecto inservit, quo intuitu etiam sub morbi articularis nomine occurrit, quoniam potissimum artus in genere, tam superiores, quam inferiores, eorumque confinia occupare solet, quamvis non semper strictissime hunc terminnum servet, sed latius sese frequenter satis diffundat: ita, ut partes superiores magis occupante affectu, non solum humerus & brachia patiantur, sed dolores etiam ad scapulas protendantur, ibique sæpius fixam sedem teneant, & dorsi superiorem partem afficiant: sicuti si circa inferiores magis artus versentur, utplurimum præsertim in morbi initio, dolores illi tractorii & spastici musculos lumbares afficiunt, nec raro dignotionis confusionim inter hos arthriticos, & nephriticos, hisce partibus alias familiares, inferunt.

XIV.

Arthritis dicitur vel Vaga, *vel* Fixa, *vel* Scorbutica.

SCHOL.

Sub vaga dolores ab uno corporis loco ad alium transcurrendo, nullam sibi certam eligunt sedem, sed modo dextrum, modo sinistrum artuum latus, modo superiores, modo inferiores magis partes occupant, sub fixa autem eam, quam semel occupaverant, partem aut regionem, vel plane constanter per totum morbi decursum retinent, vel ad minimum sub recursibus repetunt.

De scorbutica vero notamus, quod revera essentialiter cum priori eadem sit, & cognomen saltem exinde acceperit, quod vel in quibusdam subjectis scorbutica quædam impuritas aut viscidior sanguinis & humorum conditio tanquam causa concurrens revera adsit, vel quod ex hypothesi pathologiæ salsæ & acris, majorem aut minorem salium scorbuticorum rodentium, pungentium præsentiam, ex contumacia & vehementia dolorum, in mente sibi fingere soleant scriptores.

Chiragra, gonagra, podagra, malum ischiadicum.

XV.

Chiragra *est species arthritidis fixæ particularis, in carpo, metacarpo, digitisque manuum occurrens, dolore acerbo ac tumore sese manifestans.*

XVI.

Gonagra *est species arthritidis fixæ, circa genua, dolore & tumore occurrens.*

XVII.

Podagra *est species arthritidis fixæ, simili dolore atque tumore, intercurrente rubore, in tarso, metatarso, digitisque pedum occurrens.*

XVIII.

Ischiadicum malum *est species arthritidis fixioris, ab osse sacro incipiens, ad caput ossis femoris extensa, sedemque doloris fixiorem circa ipsius acetabulum formans.*

Schol.

SCHOL.

De omnibus hisce affectibus dolorosis & spasticis probe notandum est, quod, quamdiu in genere circa artus obversantur, nec certam eorum particulam specialiter obsident, nomen generale arthridis retineant; quando autem hanc indolem mutant, & in una certa quadam particula, magis circa articulationes ipsas firmius fixiusque hærent, tunc varias quoque speciales denominationes accipiant, & diversos quoque quoad externam faciem affectus constituant, præsertim si in una illa membri particula contumacius persistant.

Unde facillime patet, omnes modo recensitos affectus speciales essentialiter a genere non differre, sed differentiam nominis solum a parte specialiter affecta accipere, neque exinde necessarium esse, ut singulam speciem peculiari pathologia prosequamur, sed commode satis omnes sub uno arthritidis titulo pertractari posse.

De ischiadico malo in transitu notamus, quod incipientes hi dolores ischiadici, dum circa regionem lumbarem adhuc hærent, magnam familiaritatem atque similitudinem habeant cum doloribus nephriticis, eosque facile mentiantur, nec non aliquando, verum non semper, cum illis complicentur, id quod subinde varios in diagnosi & praxi post se trahere valet errores.

Favet huic falsæ diagnosi aliquando inspectio urinæ, eamque dignoscendi minor habitus: habent enim arthriticorum urinæ parallelum quid quoad primum intuitum cum urinis nephriticorum & calculosorum, dum utræque arenulas quasi rubras satis copiosas visui in vitris urinariis præbent, ab imperitis pro sabulo calculoso habitas: quarum differentiam essentialem tamen ab illo in regulis pathognomonicis nostris explicavimus.

XIX.

Subjectum omnium horum affectuum generale sunt homines plethorici, quoad temperamentum sanguinei & cholerici, vel potius ex utroque mixti: quoad ætatem diversi.

SCHOL.

Respectu enim constitutionis utplurimum illi his affectibus subjiciuntur, qui habitu corporis gaudent floridiore, spongioso, vitamque amant otiosam, diæta fruuntur lauta, plena, vinosa, iræ ac veneri dediti existunt.

Ætatem quod concernit, haud familiares sunt dicti affectus ætati puerili ac infantili, sed potius juvenili circa partes superiores, maxime autem viridiori ac vegetæ virili circa lumbos & ischium tunc temporis, ubi motus & molimina exeretoria ad hæmorrhoides tendere incipiunt, neque tunc nisi pro moliminibus ad hæmorrhoides in genere tendentibus explicari possunt: paulo provectiori autem ætati circa extremitates præcipue inferiores.

Ante omnia autem ejusmodi personæ talia pathemata sub reliquis circumstantiis experiuntur, quibus in juniore ætate excretiones sanguinis spontaneæ cujuscunque generis, præcipue largiores & frequentiores, familiares fuerunt, & postmodum suppressæ sunt, aut quæ artificialibus sanguinis ventilationibus adsuetæ, easdem neglexerunt.

XX.

De subjecto speciali aut parte affecta, non est, quod multa addamus, cum huc pertinentia in superioribus sufficienter tacta sint, ubi loca specialia singula specici indigitavimus, simulque musculosas cum tendinosis partibus potissimum affici diximus.

XXI.

Causa omnium horum dolorificorum affectuum atque spasmorum materialis est sanguis, tam quantitate excessiva, quam qualitate, aut motu peccans.

Schol.

Quantitate excessiva sanguinem peccare, exinde constat, quod hi affectus primario subjecta plethorica aggrediantur, in quibus sanguis vel propter molem physicam, vel propter majorem commotionem orgasticam, quotidianis & plane ordinariis motibus haud sufficienter per partes tubulosas transprimi, & circumpelli potest, quin naturæ molestias quasdam pariat.

Huic quantitatis læsioni succedit altera qualitatis labes, utplurimum in spissitudine plus justa consistens, cui tamen, ratione diætæ aromaticæ

maticæ atque vinosæ, jungere se potest acrimonia sulphurea, partibus tendinosis infensa, & orgasticarum commotionum fundamentum primum existens: neque in totum hic negare volumus discrasiam salsam in quibusdam subjectis, graviora symptomata producentem, cum ex modo allegatis causis facile impeditior secretionum & excretionum successus elucescat, præcipue, si forsan ejusmodi impuritates serosæ antea jam ex diætæ vitæque genere in corpore abundaverint, aut ex locorum indole & genio familiares esse possunt.

Motum sanguinis peccantem accusamus, quando in illis, qui præcipue hos spasmodicos affectus circa partes inferiores experiuntur, hæmorrhoidalis excretio in viris, aut menstrua in fœminis, justum non habet successum, atque hinc molimina restagnatoria & reluctatoria ad partes affectas oriuntur: sub quibus natura, vel sub sola plethoræ præsentia, ejus imminutionem aut depletionem per hæmorrhagicas sinceras excretiones, pro diversitate ætatis congruæ, vel si reliquæ discrasiæ concurrant, fortiorem sanguinis transpressionem per partes porosas, simulque spissioris attenuationem, aut impurioris depurationem intendit.

XXII.

Causæ antecedens & remotiores sunt illæ, quæ sanguinem vel in quantitate augent, vel ipsius & reliquorum humorum commotionem orgasticam excitant.

SCHOL.

Hæ, etiamsi non semper solitarie & proxime affectus hosce producant, illos tamen fovent, ac pertinaciores reddunt, & sunt diæta in genere plena, lauta, cum vita otiosa conjuncta, in specie vero calida aromatica, vinosa, spirituosa, quæ ex utraque parte nocet: nec non animi pathemata vehementiora, quo nomine ira, & suo sensu venus, hanc classem subeunt, a quibus massa humorum tam intestine & orgastice, quam localiter eximie commovetur.

XXIII.

Occasionalem hic suppeditant causam partium solidarum alterationes insigniores, tam relaxatoriæ, quam strictoriæ.

SCHOL.

Harum illæ decubitui humorum majori ad partem favent, hæ autem necessariam exhalationem & transpirationem impediunt, simul quoque humorum alterationem coagulatoriam aut inspissatoriam producunt. Pertinent huc extremorum artuum refrigerationes vehementiores tam humidæ, quam siccæ, vel diu continuatæ, vel sæpius repetitæ, atque perpessæ; particulares membrorum fatigationes ac debilitationes per nimios motus laboriosos, aut læsiones partium prægressas particulares: nec non pedum speciales fatigationes stando inductæ, quarum causarum omnium effectus satis frequenter multis post annis sese exserere solent.

Asthma Convulsivum.

XXIV.

Asthma convulsivum *est affectus spasticus constrictorius thoracis acutus, respirationem supprimens, & suffocationem minitans, a sanguine circa pectus restagnante vel congesto ortum ducens.*

SCHOL.

Acutum nominamus hunc affectum, quia non modo acute, ex improviso quasi, ægrotantes invadit, sed brevi quoque tempore horarum aut dierum, vel in pejus ruit, vel transit, licet aliquando novis paroxysmis, vel statariis, vel vagis iterum insurgat.

Consistit autem τὸ formale hujus acuti & sontici affectus principaliter & primario in motu partium fibrosarum exacerbato spastico, principaliter musculos pectorales occupante, thoracemque comprimente, ita tamen, ut reliquæ etiam partes, præcipue inferiores, ab illo non immunes maneant, unde tanto major atque facilior sanguinis ad interiora contingit compressio & regurgitatio, vasorumque pulmonalium oppletio, asperæ arteriæ minores ramificationes tanto facilius comprimens, aërisque liberiorem ingressum impediens.

Unde

Unde sese exserit per repentinam, eamque summam respirandi difficultatem, sonum sub respiratione sibilum, & vocem sonoram, anhelitum summum, cum maximo instantis suffocationis metu, sub sensu specialis musculorum pectoralium, & thoracis compressionis atque strictura, præsertim sub ægrorum decubitu supino, manente respiratione paulo liberiore sub sedendo; sub quibus omnibus faciei ac capitis rubor, pulsus celeritas & inæqualitas, cum vasorum sanguiferorum turgescentia, cordisque palpitatione, concurrunt.

XXV.

Differt hoc asthma ab asthmate tam humoroso, quam sicco; a catarrho suffocativo, atque ab incubo, licet quoad primum intuitum, cum omnibus his aliquam habeat analogiam externam.

Schol.

Ab asthmate utroque sese distinguit tam ratione materiæ peccantis, quæ in his serosa, in nostro præsenti sanguinea existit, quam modi invasionis, & temporis durationis: nostrum enim asthma est acutum, quoad invasionem & durationem, illa vero sunt chronica, quæ neque uno impetu, sed diuturniore tempore successive invadunt, neque breviter decurrunt, sed uno tractu per septimanas, menses, imo annos durant, vel si varios recursus servent, ad minimum sub singula exacerbatione longius tempus constanter tenent.

A catarrho suffocativo differt hoc asthma primario respectu materiæ peccantis, subjectorum, & ipsius formalitatis. In illo enim æque præsto est materia seroso-mucida; in hoc sanguinea: illius subjecta sunt infantilia, senilia & phlegmatica; hujus corpora juvenilia, aut virilia vegeta, ad minimum plethorica, & cholerica, vel ex hoc temperamento notorie mixta: illius formalitas magis consistit in partium fibrosarum atonia & relaxatione paralytoidea, hujus, in earundem strictura exacerbata spastica.

Ab incubo potissimum sese distinguit modo invasionis, tempore durationis, & eventu. Incubus enim solum sub somno & dormientes invadit, expergiscentibus ægris statim & totaliter cessat, nec ullum periculum aut suffocationis metum incutit, certumque corporis decubitum

tum pro causa occasionali agnoscit: cum ex opposito hoc nostrum asthma, vigiles æque ac dormientes invadat, expergiscentibus ægris non cesset, sed continuet, sedentibus æque ac decumbentibus molestum sit, per plures ad minimum horas, si non dies, protrahatur, funestumque eventum, vel per suffocationem, vel per vasorum rupturas in pectore, imo in capite, ideoque hæmoptysin, vel apoplecticos affectus minitetur.

XXVI.

Subjecta asthmatis convulsivi sunt personæ quoad temperamentum activiores & calidiores, simul Plethoricæ; quoad ætatem, provectiorem juvenilem, vel vitilem vegetiorem agentes: ratione sexus, viri præ fœminis.

Schol.

Temperamenta itaque, quibus hoc asthma magis imminet, sunt cholericum, cholerico-sanguineum, & sanguineo-cholericum, longe rarius melancholicum, nisi cholerici accessus superveniat; vel causæ occasionales concurrant: quoniam modo dicta temperamenta, tam ratione fibrarum magis firmarum atque tensarum, quam ratione animi activi, firmi, & alacris, nec non ipsius sanguinis ad commotiones orgasticas proni, præ aliis dispositionem faciliorem ad ejusmodi motuum exacerbationes fovent, prout plures hac de re a nobis allatæ sunt rationes in dissertatione de asthmatis convulsivi & catarrhi suffocativi differentiis.

Quoad ætatem observamus, ipsi subjectam esse neque infantilem, neque admodum senilem, sed ordinarie & utplurimum intermediam, provectiorem juvenilem, & virilem vegetiorem: ita tamen, ut non omnes plane excludamus senes, cum utique casus quoque extraordinarii existant, ubi senes respectu humorum, juniores viribus, diæta vinosa, vitæ genere & animi activitate antecedunt.

Ratione sexus, viros præ fœminis hoc affectu frequentius corripi observavimus, id quod solennioribus huic sexui evacuationibus sanguineis spontaneis, maximopere adscribendum esse arbitramur.

XXVII.

XXVII.

Subjectum speciale in hoc affectu varia constituunt corporis nostri partes, quae sub illo simul patiuntur, & afficiuntur.

SCHOL.

Ita enim pro tali haberi debent musculi thoracis tam intercostales, quam qui pectoralium nomen atque officium gerunt, a quorum numero neque excludimus diaphragma, aut musculos, abdominis respirationi inservientes, qui motu strictorio fortiore perculsi, costarum totiusque thoracis motum elevatorium sufflaminant: praeterea sub sanguinis congestione regurgitatoria patiuntur cor cum vasis sanguiferis, atque pulmonibus, dum illud a sanguinis quantitate obruitur, ne motum pulsatorium ordinate prosequi valeat, vasa distenduntur, & pulmonum vasa adeo sanguine repente infarciuntur, ut tota vesicularum pulmonalium compage, nimium expansa, asperae arteriae bronchia interjecta comprimantur & coarctentur, ne aëri liberior permeandi concedatur facultas.

XXVIII.

Causam materialem proximam constituit sanguis.

SCHOL.

Hic enim ultra modum & impetuose ad pectoris confinia congestus atque compressus, liberiore suo circulo orbatus, circa cor & pulmones restagnat, metumque summum suffocationis incutit: de quo testatur partim temperamentum, partim aetas, partim status plethoricus, utplurimum vel physice vel moraliter conjunctus, i. e. commotus.

XXIX.

Antecedentes causae sunt tam ipsa sanguinis abundantia, quam omnia, quae plethoram physice ac materialiter augere, & sanguinis expansioni orgasticae, materiali potissimum concursu, favere possunt.

SCHOL.

Illa sanguinis abundantia generaliter apud ejusmodi subjecta peccat, sive id fiat mole physica vasorum capacitatem superando, sive per commotionem orgasticam expansoriam majus spatium requirendo.

Neque immerito mentionem hic injicimus consuetudinis repetitæ scarificationis in scapulis, & dorso superiore, quippe quæ aliquando occasionem præbet, ut spasticæ tractiones, & motus extraordinarii, in illis musculis tanto facilius oriantur, & exacerbentur.

Flatulentia, etiamsi affectum non excitet, atque primario causetur, tamen eundem in paroxysmo graviorem reddere potest ac solet, quo intuitu etiam clysteres revellentes ac carminativi tam relaxando spasmos musculorum abdominis & diaphragmatis, quam expansionem flatulentam intestinorum removendo, eximiam in paroxysmo opem ferunt.

XXXI.

Causa efficiens omnium horum motuum qua talium, sub hoc affectu concurrentium, est, & manet ipsa natura.

SCHOL.

An, & quomodo natura in hoc negotio concurrat, id facile ex tota causarnm connexione patet: in quantum nempe motus illi tractorii & spastici a principio agente dependent, nec sine illo in actum deduci queunt, in tantum utique natura, tanquam causa motuum efficiens considerari debet: quod autem semper, & in omni casu, natura quasi a priori motus illos studiose pro transpulsione sanguinis, & sub intentione excretionis sinceræ per pectus suscipiat, id asseri nequit: quoniam in illis casibus, ubi causæ occasionales affectum provocarunt, specifica talis directio atque intentio locum non habet, sed potius generalis illa restrictio quasi passiva sufficere potest, licet ex fundamento consuetudinis motuum atque decubituum prægressorum, aliquando aliquid activi concurrere possit: ubi autem evacuationes sanguineæ spontaneæ suppressæ fuerunt, & citra externas occasiones notabiles tale quid accidit, ibi directionem talem, & intentionem naturæ, etiamsi respectu electionis viæ, & gradus movendi, erroneam, agnoscere decet.

Colica.

XXXII.

Colica est acutissimus intestinorum tam tenuium, quam crassorum, dolor, a flatulenta eorum extensione, & spastica contractione ortus.

SCHOL.

Inteſtina, quæ ſubſtantiam habent nerveo-membranoſam, in ſtatu ſuo naturali expanſionem non patiuntur, niſi aliqualem a materiis transgredientibus, quæ tamen motu periſtaltico continuo facile ſufflaminatur, ut tanta non fiat, quæ dolores efficere poteſt. Quando autem ex ciborum & potuum reliquiis materia mucida, in inteſtinorum canali hærens; a calore interno in flatus expanditur, canalis ille membranoſus per portiones ultra modum expanditur atque inflatur, quod ſub anfractuoſo illius ſitu facilius contingit. Hoc facto, inducta ſenſatione moleſta, facili negotio circa illam partem ita adfectam, motus periſtalticus extra ordinem a natura augetur, & conſtrictio fit ſpaſtica, quæ modo e ſuperiori, modo ab inferiori parte contingit, ideoque pro hac diverſitate flatum, ſub borborygmis & torminibus, vel ſurſum vel deorſum pellit aut, ſi ex utraque parte ſimul agat, flatus incarcerationem, inteſtinis ſumme doloroſam, producit.

XXXIII.

Diſtinguimus colicam in ſimpliciorem benignam, & in convulſivam ſeu ſpaſmodicam.

SCHOL.

Simplicem atque benignam vocamus colicam, quando ſimplicioribus torminibus & borborygmis cum æquali abdominis inflatione, ſine gravioribus ſymptomatibus occurrit, & modo inteſtina tenuia, modo craſſa afficit, mox diarrhœa ſeroſa, mox etiam alvi obſtructione ſtipata.

Spaſmodicam vero, ſeu convulſivam nominamus, quando ſub ſummis cruciatibus torminoſis, umbilicus ſpaſtice retrahitur verſus interiora, abdominis muſculi per ſpaſticas retractiones inæquales redduntur, inteſtina ita contorquentur. ut verſus ſuperiora retracta reſpirationem impediant, aut alia quoque abdominis viſcera vicina, renes, ureteres, veſica, & in viris teſticuli, in conſenſum ſpaſtico-doloroſum trahantur.

XXXIV.

Subjecta colica diverſa exiſtunt, pro diverſitate cauſarum, quibus exponi poſſunt.

SCHOL.

SCHOL.

Colicæ enim ſimpliciori variis ex cauſis ſubjiciuntur infantes, adultiores, ſeniores, viri & fœminæ, cum hæc potiſſimum errores diætæ & regiminis vitæ, pro cauſa antecedente agnoſcat.

Spaſmodicæ autem & convulſivæ vel infantes, vel adultiores plethorici, cholerici & hæmorrhoidarii ſubjecti exiſtunt, cum hæc vel cauſam bilioſam, vel hæmorrhoidale negotium turbatum ſequatur: cui ad latus ponimus negotium menſtruum in fœmellis.

XXXV.

Subjectum ſpeciale primario conſtituunt inteſtina tam tenuia, quam craſſa: ſecundario partes vicinæ & abdominis muſculi.

SCHOL.

Utplurimum quidem inteſtinum colon pro vera ſede colicæ haberi ſolet, aſt experientia docet, hoc aſſertum generaliter & ſine exceptione non valere, ſed potius reſtrictionem debitam mereri: etiamſi enim colon non ſit excipiendum, tamen potiſſimum inflationum & borborygmorum minus doloroſorum ſubjectum exiſtit, dum hoc inteſtinum tanquam craſſum adeo ſenſibile non ſit, niſi plane exceſſiva ſit illius expanſio, quæ tamen ob peculiarem ipſius ſtructuram celluloſam haud æque facile ſuccedit. Ubicunque autem ſenſibiliſſimi adſunt dolores lancinnatorii & ſpaſtici, ibi certo inteſtina tenuia maxime patiuntur, id quod potiſſimum teſtatur locus dolorum, qui tunc in medio ventris circa regionem umbilici ſentiuntur, ubi tamen colon ſitum ſuum non habet.

Quod autem reliquæ partes per conſenſum patiantur, id teſtatur partim muſculorum abdominis expanſio, præcipue ſi colon præ reliquis inteſtinis afficiatur, partim dolores renales atque lumbares, partim denique nauſeæ atque conatus vomendi, haud raro concurrentes.

XXXVI.

Cauſa colicæ ſimplicioris & benignæ proxima materialis, eſt materia mucida, ex parte viſcida, in inteſtinis hærens.

SCHOL.

Hæc materia ex reliquiis alimentorum generata, ejus indolis eſt, ut in conſiſtentia ſua ſemiliquida, per calorem in corpore accedentem expandi, & quaſi in bullas elevari poſſit: quo facto, in ea inteſtinorum portione, ubi tale quid fit, inteſtinum flatu diſtenditur, ultra modum naturalem expanditur, moleſtaque ſenſatione afficitur: quam facile excipit ſpaſtica inteſtini ſtrictura, quæ flatum ita generatum, vel ad ſuperiora, vel ad inferiora propellit, & ſtrepitus, aut murmura hinc inde per inteſtina vagantia, producit: vel, ſi ex utroque latere flatus generati, & inteſtini expanſi concurrat, flatus incarcerationem, majoremque & fixiorem dolorem in ea parte inteſtini cauſatur.

XXXVII.

Cauſæ antecedentes quærendæ ſunt potiſſimum in victu craſſiore & crudiore.

SCHOL.

Ea enim alimenta potiſſimum hujus materiæ peccantis generationi favent, quæ ſuccum aquoſum aut mucidum, vel partes crudiores, graviores, continent: unde horum claſſem ſubeunt legumina, piſa, fabæ, olera valde humida, & ſucco aquoſo turgentia, cucurbitæ, cucumeres, melones, pepones, piſcium mucidiorum carnes, quibus haud immerito quoque adnumeramus cereviſias valde aquoſas, non ſufficienter defecatas, quæ fecibus ſuis motum inteſtinum quaſi fermentatorium producunt, in tali materia mucida jam præſente: quorſum etiam referri merentur dulcia fermenteſcibilia, eundem effectum edentia, & quidem hoc tanto magis, ſi forſan ſimul eodem tempore concurrant.

XXXVIII.

Colica convulſiva *pro cauſa ſua proximiore agnoſcit vel ſaburram bilioſam, vel ſanguineam congeſtionem.*

SCHOL.

Illa, ſaburra bilioſa, tam apud infantes, quam apud adultiores & ſeniores acrimonia ſua cauſtica ſubſtantiam inteſtinorum aggreditur, tunicam nerveam vellicando, rodendo, motusque ſpaſticos immediate producen-

ducendo, qui ordinarie continuare solent, donec causa illa materialis vel correcta, vel educta fuerit.

Hæc nempe congestio sanguinea originem ordinarie capit a negotio hæmorrhoidali, vel menstruo turbato: unde contingit, ut per modum restagnationis, sanguis majore impetu ad intestina redundet: quæ sanguinis redundatio in vasis intestinalibus primo expansionem tunicarum molestam efficit, unde postmodum in tunica nervea spasticæ tractiones oriuntur, quæ ad incarcerationem materiæ flatulentæ in intestinis faciunt, qua a calore expensa, intestinorum canalis distenditur, & ita ex duplici fundamento molesta sensatio oritur, sæpissime tantas inducens motuum anomalias, ut gravissimorum symptomatum syndrome cooriatur.

XXXIX.

Causam antecedentem hujus colicæ constituit vel prægressa iracundia, vel sanguinis abundantia.

SCHOL.

Iracundia prægressa symbolum suum hic confert, quatenus vel in proprio corpore præsto fuit, & quidem in adultioribus, quando sub illa bilis extraordinarie commovetur, & spasticis motibus ad intestina majore copia propellitur, in quo casu aliquando concurrit peculiaris bilis acrimonia caustica, aut ipsius cum reliquiis ciborum acidis & fermentescibilibus concursus, unde in acrimoniam acido-causticam p. n. degenerat: vel quatenus in alieno corpore perpessa effectus suos in alterum corpus edit: id quod fit apud infantes pusillos, qui lacte nutriuntur nutricum aut matrum, quando hæ ira vehementer commotæ, mammas emulgendas tenellis præbent pusionibus, ipsisque lac biliosis impuritatibus inquinatum offerunt, quo infantes adeo læduntur, ut gravissima tormina, diarrhœas biliosas, porraceas, incurrant, siquidem id pluribus sub diarrhœa biliosa deductum fuit.

Sanguinis abundantiam quod concernit, hæc vel universalis esse poterit, vel ut particularis considerari meretur. In priori sensu plethoram in genere consideratam ut causam agnoscimus, dum manifesto videmus, utplurimum homines plethoricos, vicarias evacuationes sanguineas negligentes, otiosos, huic affectui præ aliis obnoxios fieri, graviusque

que ab illo detineri. In posteriore vero sensu hanc abundantiam sanguinis particularem ita interpretamur, ut majorem ipsius quantitatem in vasis mesaraicis supponamus, quam proportio vasorum ferre potest, ita ut restagnatoriæ oppletiones circa venam portæ exinde oriantur, dictos spasmos producentes: id quod maxime fit, quando vel per hæmorrhoides, vel per menses, sanguis haud debite evacuari potest. Quæ causarum diversa præsentia & connexio aliis ansam præbuit colicam dividendi in flatulentam seu phlegmaticam, biliosam, & hæmorrhoidalem.

XL.

Causæ occasionales & extrinsecæ, colicam excitantes & foventes, ordinarie in erroribus diætæ aut regiminis, vel in morbis prægressis sunt quærendæ.

Schol.

Prioris generis sunt ingestiones ciborum crudiorum, flatulentorum, aquoso succo prægnantium, aut dulci fermentescibili turgidorum: quorsum pertinent fructus horæi varii, melones, cucumeres, mala persica, legumina, potus cerevisiarii haud sufficienter excocti & defecati, præcipue post ingestionem dulcium, aut pinguium ingurgitati.

Ad alteram classem pertinent refrigerationes pedum & abdominis, quibus spastica excitatur contractio in extremis, unde partes excrementitiæ serosæ reprimuntur ac repelluntur ad interiora, & partes nervosas afficiendo, in illis spasticas tractiones producunt.

Ad morbos prægressos aut antecedentes si respiciamus, haud raro accidit, ut post febres per adstringentia male tractatas, ejusmodi dispositiones ad colicam spasmodicam remaneant. Nec minus idem aliquando contingit, quando apud fœminas profluvia sanguinea, sive menstrua, sive lochialia, adstringentibus aut opiatis intempestive sistuntur.

A podagra retrocedente, aut per topica repellentia retropulsa, sæpissime colica convulsiva oritur, quando spasmi ab exterioribus ad interiora transferuntur, ibique tragœdiam maxime funestam ludunt: sic etiam

etiam ſymptomatice ad eſſe poteſt colica, ac ſupervenire aliis morbis, qui primam ipſi occaſionem ſuppeditant; qualis eſt nephritis calculoſa, & hernia incarcerata, quibus ejusmodi colicæ paſſiones graviſſimæ haud minus ſolennes eſſe ſolent. Eodem quoque modo ut ſymptoma colicus dolor invadit puerperas, quando abdominis ligaturam debitam negligunt, aut ſimul externis refrigerationibus ſeſe exponunt.

Cardialgia.

XLI.

Cardialgia eſt motus ſpaſtico-tractorius orificii ventriculi ſuperioris, dolorificus & anxius, ſub diaphragmatis conſenſu metum ſuffocationis ſæpe incutiens.

SCHOL.

Solet hic affectus a quibusdam diſtingui in cardialgiam & cardiogmum, prout nempe vel idiopathicus, vel ſymptomaticus exiſtit, vel quatenus congeſtiones & reſtrictiones ſanguineas, aut ſolum cruditates primarum viarum pro cauſa agnoſcit; verum, cum hæc differentia cauſæ & indolis eſſentiam rei non mutet, ſed ſaltem gradus & ſymptomatum diverſitatem inferat, hanc diſtinctionem tetigiſſe ſufficiat, monendo, entia præter neceſſitatem non eſſe multiplicanda.

XLII.

Diſtinguimus itaque cardialgiam in ſymptomaticam & idiopathicam.

SCHOL.

Per illam intelligimus, quando hic ſpaſticus affectus ſub aliis morbis aut læſionibus occurrit, iisque ſupervenit: quale quid frequenter contingit in febribus, ſive chronicis, ſive acutis, læſionibus vulneratoriis, aut inflammationibus ventriculi, duodeni, diaphragmatis, malo hypochondriaco, aliisque affectibus ſanguinis translatoriis in partibus a ventriculo diſſitis. Sub hac comprehendimus hunc ſpaſticum affectum, quando citra morbi alterius præſentiam, cauſam proxime in ventriculo hærentem agnoſcens, præſto eſt, & oritur.

XLIII.

Subjectum bujus affectus generale est varium.

SCHOL.

Haud certam ætatem, certumve temperamentum, aut sexum hic determinare licet, cum pro differentia caularum, diversis quoad hos respectus, personis eveniat, sive adultiores, sive senes fuerint, sive masculi sint, sive fœminæ.

XLIV.

Subjectum speciale constituit ex parte ventriculi orificium superius, ex parte diaphragma.

SCHOL.

Utraque pars cum altera ita cohæret, ut se invicem in consensum facillime trahant, transitum enim oesophagus per diaphragma sortitur, haud procul a circulo nerveo in parte diaphragmatis sinistra, atque ab hoc arctissimo nexu comprehenditur, unde in alterutra parte nullus contingere potest motus, quin altera simul ab illo afficiatur. Contracto itaque ventriculi orificio, trahitur quoque diaphragma, unde respirationis difficultas suspiriosa dependet, sicut a diaphragmate spastice tracto atque commoto ventriculi orificium comprimitur, nervique hic occurrentes, in consensum trahuntur.

XLV.

Causa bujus affectus idiopathici ordinarie est saburra quadam peregrina & vitiosa, in ventriculo barens.

SCHOL.

Ad hanc classem pertinet partim saburra viscida, mucida, a cibis dyspeptis in ventriculo collecta, gravitatis pondere ventriculum male afficiens, ut inde motus a natura pro ipsius extrusione suscipiantur, unde vomitus quoque sæpissime sequuntur: partim saburra biliosa aut acida, quæ acrimonia sua tunicam villosam, nerveamque afficit, & morsicando, vellicando motus talismodi tractorios producit: partim verminosa soboles, quæ in ventriculo aliquando hospitium suum quærit, & mor-

mordendo substantiam ventriculi lædit: quorsum etiam venena, aut emetica & purgantia drastica assumta referimus.

XLVI.

Symptomatici affectus causæ in aliis partibus hærent, variæ existunt, & per consensum eundem provocant.

SCHOL.

Ita in affectibus hypochondriacis & hystericis per inflationem intestinorum diaphragma premitur, & tensione sua ventriculi orificium moleste afficit: in vulneribus aut ulceribus, vel inflammationibus intestinorum, ventriculi, pleuræ, diaphragmatis, idem contingit per consensum nervorum, a quibus dictæ partes participant.

XLVII.

Occasionalem causam sæpe constituit refrigeratio tam interna, quam externa.

SCHOL.

Illa contingit sub ingurgitatione potuum frigidorum repentina; hæc sub regionis præcordialis, post sudores perpessos, refrigeratione immediata: quo etiam aliquando e longinquo facit retrocessio excretionum periphericarum per exanthemata cutanea, per materiæ noxiæ translationem ad interiora.

Convulsiones & epilepsia.

XLVIII.

Convulsiones & epilepsia, etiamsi quoad motum spasticum exacerbatum essentialiter conveniant, tamen a medicis ordinarie distinguuntur.

SCHOL.

Solet nimirum distinctio communiter desumi a differentia gradus, ut minori horum motuum gradui convulsionis, majori vero & totum corpus occupanti epilepsiæ titulus tribuatur: quæ tamen distinctio a gradus vehementia saltim desumta, secundum mentem Ill. Stahlii rem non exhaurit, quin potius secundum ejus animadversionem,

 distin-

distinctio a genio morbi idiopathico aut symptomatico deducenda ac desumenda esset; ubi illis motuum convulsivis exacerbationibus, quæ aliis gravioribus aut sensibilioribus morbis præsentibus aut imminentibus superveniunt, & cessante aut remittente tali morbo iterum evanescunt, seu leviores, seu graviores fuerint quoad gradum, nomen convulsionum strictius competere; epilepsiæ vero denominationem illis maxime tribuendam esse, quæ sine tali morbi alicujus notabilis aut manifesti præsentia, hominibus de cætero sanis adparentibus obtingere, & continuare solent.

XLIX.

Convulsiones ***sunt motus partium musculosarum & tendinoso-nervearum spastici reciproci, aliis affectibus primariis jam præsentibus aut imminentibus supervenientes, aut juncti.***

Schol.

Dicuntur itaque convulsiones motus ejusmodi extraordinarii symptomatici, cum aliis morbis juncti, ipsis durantibus durantes, & sub illorum cessatione iterum cessantes, tractione reciproca & antagonistica partium utplurimum musculosarum, in una aut pluribus corporis partibus simul, vel etiam in toto corpore sese manifestantes, ut sensum visus & tactus incurrant, & vel musculus unus aut alter, vel universum quoddam membrum, vel totum denique corpus violenter & citra voluntatem, ægri imo ipso inscio, moveri videatur.

L.

Epilepsia est motus partium musculoso-tendinosarum spasticus reciprocus, cum artuum motu violento jactatorio, idiopathicus, citra alius morbi cardinalis præsentiam præsens.

Schol.

Distinguit se epilepsia a convulsione in eo, quod individua de cætero sana apparentia, sine alius morbi primarii complicatione illis afficiantur motibus, ita ut repente in terram decidant, aut decumbant, non adver-

advertentibus id quasi aliis adstantibus, nec ipsis ægris præsciis, ut quasi mortui sine sensu jaceant, & vel totum corpus, vel aliqua corporis membra hinc inde jactentur, aut violenter moveantur, dentes strideant, oculi torqueantur, spuma salivalis ex ore profluat, & manus fortissimo spasmo in pugnum colligatur, post paroxysmum vero ægri tales apparenter sani de reliquo maneant.

LI.

Veteres epilepsiam distinxerunt in emprostotonum, opistotonum, & tetanum.

Schol.

Respicit hæc distinctio specialissimum modum motuum epilepticorum, ita ut *emprostotonum*, vocaverint, si totum corpus antrorsum magis trahatur, & moveatur: *Opistotonum* autem, si ex opposito motus illi tractorii magis retrorsum corpus flectant, trahantque: & denique *tetanum* dixerint, quando corpus rigidum saltem tenetur, nec truncus multum jactatur, commotis tamen reliquis membris, brachiis nempe, & pedibus, quæ tamen distinctiones omnes ad rei essentiam nihil faciunt, sed de symptomatum saltem differentia testantur.

LII.

Distinguitur majore utilitate in epilepsiam recentem, & habitualem.

Schol.

Hæc distinctio enim a tempore durationis desumta, utilitatem habet practicam, respectu prognoseos instituendæ; sicut enim epilepsia in genere ad illos pertinent affectus morbosos, qui curatu difficillimi existunt, ita sane major adhuc difficultas in debellando hoc malo occurrit, si per moram temporis, sæpeque repetitos motus, habitus consuetudinalis accesserit, quem certe considerare debet medicus, quando curam suscipere conatur.

LIII.

Subjectorum, respectu convulsionum, nulla observatur differentia.

SCHOL.

Quamvis enim magis specialiter & frequentius infantes illis subjecti adpareant, propter morbos huic ætati solenniores, quibus convulsiones facile socientur; quales præcipue sunt dentitio, & quidem difficilis, variolæ, morbilli, asthmata, præcipue illa, quæ retrocessionem excretionum subcutanearum violentam aut repentinam sequuntur: id quod frequentius accidit a scabie, tinea capitis, aut crusta lactea retrocessis: nihilominus tamen omnis ætatis, sexus & reliquæ conditionis personæ, conspirantibus reliquis causis, iisdem obnoxiæ fieri possunt ac solent.

Adultioribus itaque si eveniant, ordinarie id contingit sub aliis gravioribus morbis, v. g. febribus inflammatoriis, malignis, exanthematicis, difficulter procedentibus, a læsionibus partium nervosarum gravioribus, in specie capitis, aut aliarum ipsi vicinarum, quemadmodum utrique ætati a vermibus haud infrequentes esse solent.

LIV.

Epilepsiæ subjecta, quoad ætatem, magis adulta, ratione temperamenti, cholerica, & melancholica, utplurimum observantur.

SCHOL.

Possunt equidem epilepsiæ veræ omnes ætates subjici, cum autem in ætate infantili & puerili, ordinarie maxima suspicio aliorum affectuum morbosorum, & ad minimum verminosæ sobolis subsit atque concurrat, hanc ob rationem ætas adultior quasi cum illius exclusione, tanquam subjectum morbi consideratur.

Temperamenta quod attinet, illa præ aliis huic affectui subjecta existunt, quibus firmiores sunt fibræ, & quæ de reliquo ad exacerbationes motuum præcipue ab animi pathematibus, ira aut terrore, proniora sunt, quo respectu cholerica & melancholica temperamenta, & quæ horum quidquam sub reliqua miscela continent, magis ad hunc morbum inclinant.

LV.

Causam convulsionum materialem & proximam quod concernit,

cernit, hac erit diversa, pro diversitate morbi, cui convulsiones junguntur aut superveniunt.

SCHOL.

Cum enim convulsiones symptoma sint, alios morbos concomitans, quisque sane facile videbit, causam non subesse peculiarem atque specificam ratione convulsionum, sed generaliorem, ab ipso morbo cardinali dependentem, quatenus nempe ipsa natura generalem ipsius morbi causam, ut summe fonticum, ejusque affectus maxime periculosos aut deleterios, aut dolorificos atque molestos, vel physice sentit, vel moraliter æstimat, ideoque sub generaliore intentione molestias aut noxas moliendi aut removendi, ejusmodi motus suscipit, & gradu majore aut minore intendit, ut id, quod ordinariis motibus obtemperare nec potest, nec cupit, violentia quadam exprimatur & expellatur.

Ita sub dentitione difficiliore causam materialem præbent dentes, qui utplurimum sub sui protrusione ordinaria magis gingivas & periostium, maxillas investiens, pungendo, premendoque afficiunt, ibique dolores sensibiles excitant, unde per consensum partium nervosarum naturæ communicantur ideæ molestæ, ut inde commoveatur ad violentæ excussionis susceptionem.

Sub variolis atque morbillis, ut & sub reliquis febribus contagiosis, malignis, inflammatoriis & exanthematicis, miasma illud morbosum adest, quod, si diutius in massa humorum persisteret, vel semel expulsum ad eandem retrocederet, tam mixtionem humorum invertere, quam texturam partium solidarum internarum ac nobiliorum labe ulceratoria, aut putredinoso-sphacelosa afficere atque evertere posset: quod ut præcaveatur, motibus ordinariis & placidis non sufficientibus, aut per causas occasionales turbatis, natura extraordinarios tales ac violentos motus haud raro suscipere solet.

Læsiones partium membranoso-nervearum si adsint, sive a vulnere, sive a corrosivis & causticis, quorsum etiam venena pertinent assumta, dolor gravissimus, sensus maxime incurrens, producitur in parte læsa, ibique prima ad spasticam tractionem suppeditatur occasio, quæ per nervos altius communicata, motum quasi reciprocum causatur, ut natura, quæ

quæ per nervos ſenſum moleſtiſſimum ſub ſpecie motus continuati percepit, nunc per eosdem nervos reactionem inſtituat, partesque ſolidas extra ordinem moveat, quo cauſa moleſtiæ, ſi fieri potuerit, impetu quaſi removeatur.

Idem fere obſervatur a vermium præſentia, ſi vel vivi dentibus inteſtinorum tunicæ nerveæ adhæreant, vel aut vivi, aut mortui, ex magno numero in globos convoluti, inteſtina, præſertim tenuia, nimium expandant tendantque, vel corrupti ac putridi putredinoſæ corruptionis ulteriorem diſſeminationem & communicationem minentur.

LVI.

Occaſionalem convulſionum cauſam frequentiſſime ſuppeditant animi pathemata graviora, & refrigeratio.

Schol.

Inter animi pathemata huc facientia præcipue ira & terror eminent, a quibus ordinarie motus ſpaſtici excitantur, in totum corpus redundantes, qui ſpeciatim in gravioribus morbis exitioſi eſſe ſolent.

Refrigeratio autem maxime conſiderationem meretur ſub affectibus exanthematicis, ſive chronicis, ſive acutis, cum facillime exanthematum retroceſſionem & translationem ad partes internas nobiliores producere valeat.

LVII.

Epilepſiæ, quam idiopathicam eſſe diximus, cauſæ primæ & proximæ utplurimum ſunt immateriales.

Schol.

Rariſſime enim ſub perveſtigatione cauſarum aliquam materialem inveniemus, quæ tanquam proxima, unde primi illi motus originem ſumſerint, accuſari poſſit, licet deinde ejusmodi cauſæ non deficiant, quibus affectus ſemel præſens fovetur, augetur, graviorque redditur, ſed ordinarie primam ipſius cauſam proximam antecedentem offendimus immate-

materialem, motuum fundamento nitentem, quæ ex animi pathematibus gravioribus, ira nempe, aut terrore oriunda, affectum animi & animæ æstimatorium inducit; dum ex impressione & præfiguratione animæ vehementi, & maxime repentina ac inopinata, licet falsa quandoque & erronea, ordinarii motus turbantur, & in eorum locum tales suscipiuntur eorundem exacerbationes, quæ generaliter intentionem quidquam molesti aut periculosi avertendi, summa violentia abigendi, aut effugiendi, indicat, unde omnes epilepticorum motus, qui in artubus & toto corpore, nec non thorace observantur, in genere exactissime conveniunt cum illis motibus & conatibus eluctatoriis, qui ordinarie sub vehementi iracundia, pugna, contentionibus, per manus & artus fieri solent, ea tamen distinctione, ut differentia temperamenti maxime elucescat, & motus illi a suo vigore sub defectu temperamenti purioris cholerici, aut cholerico-melancholici, multum remittant.

Unde pro hac diversitate sæpissime quoque concurrunt vel clamosi illi ejulatus, & suspiriosa, sæpius anxia repetita respiratio, quæ itidem generaliter coincidit cum vociferationibus & exclamationibus iracundis atque rixosis, sub ira occurrentibus: vel meticulosa & errabunda quasi anxietas, quæ post terrores graviores, vel solos, vel cum ira complicatos solennis esse solet, ac variis vagisque oculorum, dentium, oris & linguæ motitationibus, deficiente tamen sermone & loquela, sese exserere solet, & sub epilepsia itidem per oculorum vibrationes, & vel fixas truculentas, vel tortuosas & torvas motitationes, dentium stridores, linguæ volutationem variam conspicua existit: quæ omnia tandem vel in manifestiores & generales quasdam excretiones, urinæ, excrementorum, spermatis, ciborum e ventriculo, pro diversitate causarum concurrentium, vel in defatigationes & lassitudines membrorum insignes desinunt, nec raro torpores ac debilitationes circa actus rationales post se relinquunt.

LVIII.

Similis conditionis est dispositio hæreditaria, sæpissime solitarie causam primariam constituens.

Schol.

Satis frequenter enim in quibusdam individuis nullæ tales causæ ab iracundia aut terrore principaliter adsunt, sed hæc altioris recessus

caufa fubeft, qua natura iisdem motibus quafi affuefit apud infantes, quibus obnoxii fuere parentes, ita tamen, ut tanto facilius in actum deducantur, fi eædem caufæ antecedentes accedant, a quibus apud parentes affectus concitatus fuerat, aut ad minimum ab iisdem foveantur, cum præcipue ejusmodi fubjecta vel ex naturali difpofitione teneriora & fenfibiliora exiftant, vel ex educatione indulgentiore talia fiant, eamque ob rationem ipfis animi pathemata tanto facilius noceant.

Nec poffum, quin huc etiam referam confuetudinem convulfivorum motuum prægreffam, quo nomine aliquando illi in ætate provectiore, a caufis denuo accedentibus, epilepfiæ facilius fubjiciuntur, qui in pueritia affectibus convulfivis fymptomaticis frequentius expofiti fuere.

LIX.

Pro ulteriore autem epilepfiæ fomentatione & inveteratione, concurrere poffunt caufæ materiales variæ.

SCHOL.

Quando enim femel producta eft epilepfia a caufa immateriali antecedente, facile quid eft, ut deinceps a caufis materialibus concurrentibus, & occafionalibus accefforiis, non modo foveatur, fed de novo femper excitetur, promoveatur, & augeatur, quæ licet variæ fint, utplurimum tamen ita comparatæ funt, ut motuum concitationibus anfam præbeant, fuique excretionem generaliter pofcant.

LX.

Pertinet aliquando ad hanc caufarum claffem plethora, cum fanguinis confiftentia fpiffiore.

SCHOL.

Hæc enim motus naturæ intenfiores pro attenuatione & imminutione pofcit: quod tanto facilius fuccedit fub plethoræ commotione a potibus fpirituofis ac inebriativis, quæ ordinarie in ejusmodi fubjectis plethoricis paroxyfmorum promptiores recurfus caufari folet, & quidem tanto magis, fi venæfectionibus jamjam adfueta, easdem neglexerint, fub qua circumftantia facillime circa æquinoctia, aut folftitialia tempora recurrere folent paroxyfmi.

Pari

Pari fundamento illi nituntur paroxyſmi epileptici, qui in fœminino ſexu circa menſtrua tempora occurrere ſolent, ubi natura ſemel ad horum motuum habitum delata, menſium, præcipue paulo difficilius ſuccedentium, promotioni, non raro ſine neceſſitate, exacerbatos ejusmodi motus per errorem adplicat.

LXI.

Haud raro nimiæ quoque ciborum & potuum ingurgitationes in voracibus ſubjectis, paroxyſmorum recurſus accelerant.

Schol.

Ventriculum enim prægravando, eundem ad nauſeoſas & ſpaſticas ipſius commotiones diſponunt, ſimul quoque ſub paroxyſmorum finem vomitoriæ excretioni favent, aut illos in diarrhœam terminare faciunt.

LXII.

Simili quoque modo phantaſiæ venereæ ſæpius cauſam talem conſtituunt.

Schol.

Quando nempe hoc morbo correpti juniores, plethorici, venereis phantaſmatibus detenti, vel ex nimia continentia, aut caſtitatis voto, venerem totaliter ſupprimunt, ac materiam, quam excernere natura intendit, vi quaſi retinent, vel quando e contrario motibus illis venereis, ad ſpaſticum genus aliquatenus pertinentibus, nimium indulgent, & ſub excretione ſpermatica, aut poſt illam, paroxyſmorum recurſum experiuntur, unde exempla proſtant, quod ſpecialiter ejusmodi individua, quoties cum uxore concubuerunt, ſub actu venereo epilepſia correpti fuerint; quod idem in aliis ſubjectis denotat involuntaria illa, ſub paroxyſmo epileptico facta, membri virilis erectio, ſpermatisque ejaculatio, qua ordinarie paroxyſmi ſolvuntur.

Mania, ejusque ſpecies.

LXIII.

Mania eſt delirium idiopathicum, ſeu graviſſima rationis perturbatio ſine febre.

SCHOL.

Non dubitamus, hunc affectum morbidum ad morbos motuum exacerbatorum referri posse, cum partim sub motuum exacerbatione sese manifestet, partim ipse morbus sit principii moventis & agentis in corpore nostro, animæ.

Distinguimus autem maniam ab aliis deliriis, quod hæc sint symptomatica, sub febrilibus affectibus concurrentia, mania vero existat idiopathica, nullamque febrem comitem agnoscat. Individua enim maniaca de reliquo quoad corpus sana apparent, appetitu gaudentia bono, orthostadia fruuntur, motusque voluntarios non modo libere peragere possunt, sed violenter utplurimum exercent; sub sermonibus inconcinnis, minus connexis, vociferationibus, clamoribus, & furiositate conjuncta, præcipue si ad iram commoveantur.

LXIV.

Differentia maniæ occurrit tam quoad gradum, quam quoad objectum, circa quod versatur.

SCHOL.

Respectu gradus alia est levior, quæ solis sermonibus inconcinnis, cantationibus, aut gesticulationibus insolitis sese manifestat; alia vero gravior, quæ violentiis variis sese exserit, & in furorem abit, ut vel homines violenter aggrediantur ægri, vel res durissimas, vincula, catenas, aliaque frangant. Ratione objecti, circa quod versatur, alia ludicra, jocosa atque ridicula tractat, quæ Medicis *moria* aut *morosis* audit: alia est occupata circa amorem certæ cujusdam personæ alterius sexus, quæ si moderatior adhuc existat, *erotomania*, si autem in sexu sequiore ad summum gradum lascivi desiderii, cum gestibus impudicis, corporisque denudatione pervenerit, *furoris uterini* titulum gerit. Alia circa objecta meticulosa, tristia observatur, tristibusque gestibus, solitudine, humani consortii fuga & aversatione, gemitibus, suspiriis sese prodit, quæ *melancholia* vocatur.

LXV.

Subjecta huic adfectui obnoxia pro diversitate objecti sunt diversa atque varia.

SCHOL.

SCHOL.

Si enim ſtrictiore ſenſu *maniam* accipiamus, quæ utplurimum furioſa eſſe ſolet, vel ad minimum facile in furorem degenerat, & quæ circa objecta iræ aut ambitionis verſatur, omnium maxime temperamentum cholericum, aut cholerico-melancholicum ipſi ſubjicitur, quippe quod naturaliter ad actiones vehementiores, taliaque animi pathemata erronea inclinat.

Ad *moroſin* vel ſanguinei, vel juniores perſonæ, vel etiam ſenes, procliviores exiſtunt, quippe quibus familiaris eſſe ſolet minor judicii firmioris uſus, & major ingenii luſus, varias diverſasque ideas, multum ſæpe confuſas, producens.

Erotomaniæ & *uterino furori* maxime ſubjiciuntur perſonæ utriusque ſexus juniores, plethoricæ, de temperamento ſanguineo & cholerico participantes, venereis actibus vel animo indulgentes, vel jamjam adſuetæ; unde tam virgines & adoleſcentes, quam viduæ juniores ipſi ſubjiciuntur.

Melancholia tanquam ſubjecta utplurimum agnoſcit temperamenti melancholici perſonas, quippe quæ minore judicii perſpicuitate gaudent, majore vero ſanguinis ſpiſſitudine laborant, ideoque variis ſanguineis infarctibus, ſtagnationibus, oppletionibus obnoxiæ exiſtunt, meticuloſæ ſunt, mœſtitiæ deditæ, patresque difficultatum ſemper audire ſolent.

LXVI.

Subjectum ſpeciale ipſius afflictionis morboſæ aliud conſtituere non poſſumus, niſi ipſam animam.

SCHOL.

Hæc enim in his affectibus vere ægrotat, nec ſana exiſtit; unde etiam jure meritoque hi morbi, morbi mentis dicuntur, in quos medicus, qua talis, ſane minimam poteſtatem habet, ut directe & immediate aliquid ad illorum ſanationem præſtare valeat, ſed potius moralibus regulis, propoſitionibus ac remonſtrationibus majora jura tribuere neceſſe habet.

Cum vero anima noſtra ita ægrotans, per varias materiales in corpore hærentes cauſas, a faciliori reſtitutione ad integritatem, multoties

 impe-

diatur, sæpe medicus occasionem nanciscitur, ut privative aliquid agere, illasque causas malum aggravantes & foventes, subtrahere possit, & hac via mentis ægritudinibus mederi valeat.

LXVII.

Causæ talismodi materiales, omnes hosce affectus secundum suas species foventes, consistunt vel in sanguinis & humorum generali abundantia, & orgasmo; vel in sanguinis spissitudine; vel denique particulari ipsius congestione restagnatoria.

Schol.

Prima harum causarum ordinarie subest in mania stricte dicta, æque ac causarum tertia: Individua enim cholerica & cholerico-sanguinea, quando plethora laborant, simul ad orgasticam sanguinis commotionem & expansionem pronissima existunt: quæ pedissequam agnoscit peculiarem, majoremque ipsius ad caput congestionem restagnatoriam, unde vasa sanguifera turgida meninges expandendo substantiam cerebri premunt, nec non sensorium commune ita afficiunt, ut illud suo officio satisfacere nequeat, nec anima suas actiones principes per organum principale ita affectum & alteratum, in corpore, debito modo edere valeat.

Nec minus valet eadem causa, sanguinis nempe abundantia, atque major, quam par est, ad caput commotio, in morosi simpliciore, præcipue si juniores aggrediatur: cum in senibus causa magis in genere nervoso debilitato quærenda videatur.

Ad erotomaniam & furorem uterinum si mentem dirigamus, omnino sanguinis abundantia & orgastica commotio manifestissima esse solet, cum dicti affectus sub plena lautaque diæta occurrant, optimeque sanguinis detractionibus & fame curentur: quæ causa etiam in virili sexu specialem orgasmum spermatis virilis, & peculiaria hinc pendentia symptomata venerea tentiginosa, causatur. In fœminis autem peculiaris concurrit sanguinis restagnatoria congestio circa uterum in furore uterino, unde vel mensium suppressiones, vel eorundem largiores & minus tempestivæ eruptiones concurrere solent.

In

In melancholia autem potiſſimum ſanguinis ſpiſſitudinem accuſare licet, partesque, per quas ſanguis moveri debet, anguſtiores & ſtrictiores: hoc enim utrumque, ſicut in ſtatu ſanitatis cauſa exiſtit, ut melancholici difficiliorem habeant ſanguinis circulum, præcipue per capitis & viſcerum abdominis confinia, ideoque circa actiones animales tardiores, difficiliores, meticuloſi, ſpeculabundi, timidi exiſtant, ita in hoc ſtatu morbido animæ maximum quoque confert ſymbolum pro aggravando fovendoquo malo.

LXVIII.

Cauſæ remotiores & antecedentes, materiales tamen, ex iis, quæ ſæpius in pathologicis, alia occaſione propoſita ſunt, facile erunt invenienda.

SCHOL.

Sunt enim illa omnia ex diæteticis, quæ vel plethoram in genere augent, vel ſanguinem orgaſtice commovere poſſunt, vel ſpiſſitudinem nimiam ipſi conciliant: quo nomine, diverſo tamen reſpectu, accuſare licet diætam plenam, lautam, vinoſam, aromaticam, ſpirituoſam, cum vita otioſa junctam: potuum ſufficientium & diluentium tenuiorum defectum: ventilationum ſanguinis & motuum laborioſorum corporis neglectum, nec non excretionum debitarum naturalium ſuppreſſionem, quo ipſo etiam tam menſium ſuppreſſionem, quam in viris licitam & debitam ſpermatis excretionem denegatam, intellectam volumus.

LXIX.

Cauſa primaria & proxima omnium horum affectuum eſt immaterialis.

SCHOL.

Conſiſtit enim ſemper in illegitima objectorum, circa quæ verſantur, æſtimatione morali, & nimis firma idearum de illis fictarum aut conceptarum impreſſione & præfiguratione, quæ alio, quam par eſt, ordine celebratur.

LXX.

Occaſionales cauſæ admodum ſunt variæ, pro diverſitate temperamentorum & individuorum.

SCHOL.

SCHOL.

Ita enim uni occasionem præbet ira, cum ambitione mixta, alteri voluptas atque libido: sicut alii per curas domesticas, ærumnas, meditationes & speculationes profundiores circa res spirituales, peccata commissa, pluraque alia, ad infortunatam hanc mentis conditionem disponuntur ac detruduntur.

Hydrophobia, seu rabies canina.

LXXI.

Hydrophobia est gravis & peculiaris maniaci delirii species, a morsu canis rabidi in specie producta.

SCHOL.

Distinguit se hoc delirium ab aliis, præcipue ob causam plane specialem, nec non peculiaribus plane symptomatibus. Rabies enim canina propterea vocatur, quod partim a morsu canis rabidi oriatur, partim homines ita afflictos canibus quasi similes reddat; dum in majore ipsius gradu latrant, ejulant, mordent, ore spumant, dentibus strident, ringunt, consortium hominum fugiunt, & specialissime instar canum rabidorum, aquas & liquida timent, (unde affectus hydrophobiæ nomen accepit.) De reliquo commotiones febriles, cardialgiæ, cordis palpitationes atque tremores, cum somni defectu, virjumque prostratione, facie rubicunda, oculis torvis atque fulgentibus, huic affectui sunt solennes.

LXXII.

Subjecta certa hujus affectus haud determinare licet, dum omnes ipsi subjecti existunt, qui morsum canis rabidi passi sunt, nec cito a causa morbifica liberantur.

LXXIII.

Causa materialis proxima & immediata hujus mali, est miasma venenatum, cum saliva canis rabidi communicatum.

SCHOL.

Hoc enim tanquam summe agile atque subtile fermentescibili sua indole sub morsu & vulnere inflicto sanguini & humoribus communicatum, instar aliorum miasmatum humores penetrat, motusque peregrinos dissolutorios producit, & procul dubio partibus nervosis nobilioribus

bus internis maxime infenſum exiſtit; ut inde tales motuum anomaliæ in genere naſcantur, quales ſub febribus etiam malignis, a cauſa miaſmatica obortis, oriri ſolent. Ubi haud parum contribuit terror ille repentinus, & gravis, quo perſonæ tales ſub morſu canis rabidi afficiuntur, ſpecialiſſime in animo turbas primo afficiens.

CAPUT II.
DE MORBIS EX MOTVVM DEFECTV.

I.

Morbos, a motuum defectu pendentes nominamus in genere eos, qui maxime ſub totali aut particulari ſenſationis & motus voluntarii abolitione, nec non rationis depravato uſu ſimul juncto, in ſenſus cadunt, ſeque manifeſtant.

SCHOL.

Sicut in antecedente capite illos pertractavimus affectus morboſos, qui ſub motuum extraordinaria exacerbatione contingunt, ita hos etiam pertractare neceſſitas ſuadet, cum æque periculoſi exiſtant ac illi, ſuique remotionem & curationem poſcant: ſunt autem affectus huc pertinentes inter alios, affectus apoplectici, ſoporoſi & lipothymici.

Apoplexia.

II.

Apoplexia eſt abolitio rationis, ſenſationis & motuum voluntariorum totalis & repentina, in toto corpore ſe manifeſtans, a læſo generis nervoſi officio dependens.

SCHOL.

Manifeſtat ſe apoplexia, quando ægri repente ac ſubito quaſi attoniti decidunt, ſine motu voluntario, & ſenſu, ac rationis exercitio, ſuperſtite ſolum pulſu ac reſpiratione, oculi modo clauſi, ſpaſmo tamen

non constricti, modo aperti sunt, in utroque tamen casu visus præsentiam non explicant, artusque flaccidi, quo ab aliis collocantur, jacent.

Notandum tamen est, aliquando hunc affectum adeo gravem esse, atque acutissimum, ut neque motus vitales per tempus maneant, sed unico momento in toto corpore omnes simul & semel motus, vitæ præsentiam declarantes, aboleantur, & homo mortuus decumbat, unde etiam apoplexia lethalis aut lethifera vocari solet.

Hemiplexia.

III.

Hemiplexia, aut bemiplegia, itidem est sensus & motus repentina & totalis abolitio in dimidio corpore, salva manente altera parte.

SCHOL.

Est itaque essentialiter idem affectus cum priore, in eo tamen ab illo differens, quod dimidium saltem corpus per longitudinem affectu tangatur, & alterutrum ipsius latus a capite ad calcem afficiatur, alterum vero immune ac liberum maneat, ut ejus membra citra difficultatem & impedimentum pro arbitrio moveri possint, & sensus in illo sit exquisitus, & quidem haud raro adeo exacte, ut dimidium nasi & linguæ ita patiatur, ut in læso latere nec frigoris, nec caloris sensum percipientes ægri, in altero latere omnia percipiant, & ex uno saltem olfactum gustumque possideant, nec non frigidiores in latere affecto præ sano existant.

De cætero rationis quoque usus hemiplecticis in tantum conservatur, ut indicia rationis ordinarie præbeant, licet loqui non possint, proximi autem sunt ad rationis amissionem, id quod testatur promtissima omnium oblivio, & facilis hemiplegiæ in apoplexiam veram transitus.

Paralysis.

IV.

Paralysis *est sensus & motus voluntarii abolitio particularis, unius saltem membri corporis, reliquis manentibus salvis.*

SCHOL.

SCHOL.

Quemadmodum hemiplegia totum alterutrum corporis latus occupat, ita paralysis unam saltem corporis partem particulariter obsidet, sive sit brachium, sive crus, sive lingua, sive harum aut aliarum partium specialissima particula: quale quid in digito, ipsiusve uno articulo, ani aut vesicæ sphinctere obtingit. Privatur autem pars, ita paralysi tacta, etiam sensu & motu, & quidem pro gradu affectus diverso, vel totaliter, ut nihil in illa sentiant, neque partem movere possint; vel ex parte, dum aliquem adhuc sensum, licet valde stupidum, & levissimam quasi ad motum dispositionem retinent, aut vel motum, vel sensum, sine alterutrius coucursu, servant: quem ultimum paralyseos gradum aliqui paralysin spuriam salutare solent.

V.

Paresis *est paralyseos singularis species, simulac rarior, quando post vehementissimam colicam musculi abdominis solum insensibiles evadunt, ventrisque inflatio quasi tympanitica sequitur.*

VI.

Rarissima adhuc species horum affectuum est, cujus autores mentionem injiciunt, eamque catochum *appellant, quando affectu paralytico totum corpus afficitur, motuque & sensu privatur, excepto solo capite, in quo nulla notabilis læsio, neque sensuum, neque motuum, neque rationis occurrit aut observatur.*

VII.

Distinguitur apoplexia ordinarie in sanguineam & serosam, sive phlegmaticam.

SCHOL.

Cum enim causa apoplexiæ duplex sit, eaque vel a sanguinis purioris, vel a serosæ colluviei, cum sanguine permixtæ, congestione &

ſtagnatione oriatur, ſecundum hanc cauſæ materialis proximioris differentiam, diſtinctio apoplexiæ in ſcholis medicis nota eſt, ejusque ſigna a temperamento, ætate, & vitæ genere deſumuntur. ita ut temperamentis calidioribus, plethoricis, junioribus, in victu pleno, lauto, vinoſo viventibus, ſanguinea; phlegmaticis vero, pueris ac ſenibus, ſeroſa apoplexia adſcribatur: ubi notamus, hanc diſtinctionem non modo de apoplexia completa, ſed de omnibus reliquis hactenus recenſitis ſpeciebus ſubalternis valere, iisque adplicandam eſſe.

VIII.

Subjecta itaque affectuum apoplecticorum, hemiplecticorum, paralyticorum, ſecundum hanc diſtinctionem ſunt diverſa.

SCHOL.

Subjecta enim apoplexiæ ſanguineæ ſunt quoad ætatem, juniores, vegetæ & mediæ virilis ætatis; quoad temperamenta vero, ſanguinei, cholerici & melancholici plethorici, qui diæta lauta, vinoſa, calida, & vitæ genere ad exæſtuationes diſponente, abutuntur, aut animi pathematibus vehementioribus tam iracundis, quam terrificis valde obnoxii ſunt. Phlegmaticæ apoplexiæ ſubjiciuntur maxime ſenes, aut infantes, & phlegmatici, aut multum de phlegmatico temperamento participantes.

IX.

Subjectum ſpeciale conſtituit primario genus nervoſum.

SCHOL.

Eo quidem ſenſu, ut in apoplexia vera, probabiliter univerſum nervorum principium afficiatur, & inde actiones animæ in totum corpus ſufflaminentur: in hemiplegia autem dimidia ipſius pars cum nervis abinde pendentibus patiatur: ſicut in paralyſi particulares nervi in uno alterove membro tanguntur: ſecundario vero reſpectu, vel totum, vel dimidium corpus, in apoplexia & hemiplegia pars autem ſpecialiter læſa in reliquis ſpeciebus ſub alternis ſubjectum ſpeciale efficiunt.

X.

X.

Quemadmodum formalitatem affectuum horum læso generis nervosi officio adſcripſimus, ita cauſa *omnium horum affectuum proxima antecedens aliquando eſt læſio continuitatis in genere nervoſo.*

SCHOL.

Quando nempe a violentia externa, caſu, ictu, contuſione, vel principium nervorum, vel medulla ſpinalis, tanquam ejus continuatio, vel particulares nervi conquatiuntur, extra ſitum locantur, aut disrumpuntur, & ita ob inſtrumenti defectum actio per illud perpetrari nequit.

XI.

Vel læditur generis nervoſi officium per modum compreſſionis.

SCHOL.

Quando nempe materia quædam peccans ex claſſe humorum corporis noſtri, in cerebro, & circa principii nervorum confinia, tubulos cerebri atque nervorum premendo, officium illorum invertit; ſalva licet manente illarum partium continuitate.

XII.

Cauſa talis proxima materialis deprehenditur vel ſanguis, *vel* ſerum.

SCHOL.

Fit hoc, quando alteruter dictorum humorum circa confinia medullæ oblongatæ, aut ſpinalis, in vaſis ſanguiferis aut lymphaticis ſtagnat, vaſorumque infarctum graviorem, & per hunc medullæ oblongatæ compreſſionem notabilem cauſatur, ut lymphæ nervorum influxus & tranſitus legitimo more fieri nequeat, vel tunicæ involventes a meningibus oriundæ, in ſuo motu impediantur, & ita negotium ſenſationis & motus per primarium utriusque actus organum celebrari non poſſit.

Vel contingit eadem læſio in caſu penitus deplorato ac deſperato, ab alterutro dictorum humorum extravaſato, poſtquam vaſorum ſanguiferorum aut lymphaticorum ruptura præceſſit: quæ extravaſatio utplurimum

rimum

rimum in ventriculis cerebri, circa plexum choroideum post mortem reperiri solet, & pro differentia humoris, differentiam apoplexiæ sanguineæ & phlegmaticæ constituere, simulque veram causam apoplexiæ illius deleteriæ atque lethiferæ esse, de qua in superioribus mentionem fecimus.

Quamvis vero hæc ordinaria causa esse soleat, nequaquam tamen in totum negamus, quod in certis ac peculiaribus casibus aliquando tubulorum nerveorum obstructio a lympha nervorum mucidiore aut spissiore in culpa esse possit, & quidem hoc maxime in paralyticis singularium partium resolutionibus.

XIII.

Differentia specifica singulorum affectuum apoplecticorum secundum recensitas species, fundata probabiliter est in diversitate gradus staseos humorum, & specialissima affectionis generis nervosi.

Schol.

Motuum diversæ hujus læsionis quod attinet, a quo diversitas affectuum denominatorum dependet, secundum nostram quidem sententiam, in *apoplexia completa*, (non tamen lethifera acutissima,) probabiliter tota medulla oblongata, a stasi humorum facta ita comprimitur, aut a lympha mucidiore obstruitur, ut neque lympha nervorum libere transire, neque sensationes per illam animæ ex toto corpore communicari possint, unde tunc per totum corpus sensus & motus voluntarii, nec non rationis exercitium, intercipiuntur.

In *hemiplegia* vero, alterutrum saltem latus afficiente, non totam medullam oblongatam, sed dimidiam ipsius solum partem pati credimus, unde consensus passionis omnes ejusdem lateris nervos tangit, ut in dimidio corpore dictæ actiones lædantur, salvis manentibus illis in latere opposito sano.

Si autem talis nervi cujusdam particularis, ad certam aliquam partem excurrentis, vel compressio, vel obstructio solum contingat, ab illa *paralyses* certarum partium deducendas esse persuasi sumus.

Unde etiam *catochum* in specie non æque medullæ oblongatæ læsioni

fioni, quam potius medullæ fpinali, infra capitis confinia læfæ adfcribimus: quemadmodum fimile quid fatis manifefte contingit in paralyfi partium inferiorum corporis, falvis manentibus fuperioribus, poft medullæ fpinalis fub luxatione vertebrarum dorfalium factam lacerationem aut concuffionem.

XIV.

Remotiores & antecedentes caufæ tales funt, quæ vel plethoræ, vel feri mucidi copiofæ proventui, vel humorum incraffationi favent.

SCHOL.

Hoc nomine partim diæta plena, lauta, vinofa, partim victus craffior, tenuis, mucidus, aër vel nimis calidus, vel humidus & frigidus, pro diverfitate affectus ferofi aut fanguinei, vel vita quoque fedentaria, fpeculabunda, cum potuum diluentium defectu accufari folent.

XV.

Occafionales caufæ proximiores ordinarie tales funt, quæ humorum congeftionem & reftagnationem impetuofam ac repentinam ad caput, fub impeditiore illorum regreffu, producere valent.

SCHOL.

Hoc refpectu inebriationes, animi pathemata vehementiora, refrigerationes partium violentæ hunc cenfum fubeunt. Inebriationes enim, & graviora pathemata iracunda, fanguinem potiffimum commovent, expandunt, & ita nimia vaforum expanfione oppletiva ftagnationem, imo ftafin & rupturam vaforum producere poffunt. Refrigerationes autem & terrores repentini potiffimum ftricturas partium folidarum extremarum, & his mediantibus, humorum reftrictiones ad partes fuperiores producere valent, aut particulariter frigus externum in locis certis fibrarum nervofarum relaxationes & atoniam producere aptum eft, & ita diverfis refpectibus ad morbum talem fonticum difpofitionem relinquere.

XVI.

XVI.

An, & quantum ipſa natura in his afflictionibus concurrat, aut patiatur, id facile ex tota affectuum connexione patet.

SCHOL.

Paſſive enim illam affici, extra dubium eſt, dum ipſi effectus atque influxus ſolitus in corpus ſuum ob læſionem inſtrumentorum denegatus exiſtit: quamvis enim haud ſemper determinare ac affirmare liceat, læſionem inſtrumentorum præciſe tantam adeſſe, ut totaliter omnis animæ energia per illa ſit intercepta, nihilominus tamen nobilitas ſummaque neceſſitas horum organorum pro motibus hactenus conſuetis continuandis, tanta eſt, ut etiam minor illorum læſio tantam naturæ producat apprehenſionem, ut a re plane inſolita, atque repente nobiliſſimum animæ inſtrumentum ingruente ac afficiente, haud raro ita attonita quaſi atque perterrita adpareat, ut deſperabunda quaſi ipſamet motus etiam quadantenus poſſibiles deſerat, & ita per ſui ſubtractionem quaſi in nexu cauſalitatis concurrat

Coma & lethargus.

XVII.

Coma *eſt affectus ſoporoſus, ſive propenſio gravior in ſomnum, cum vel ſine delirio, febribus acutis & inflammatoriis, ut ſymptoma, accedens.*

SCHOL.

Differt coma in eo a lethargo, quod hic idiopathicus ſit affectus, illud ſymptoma febrile, cum febre iterum ceſſans & tranſitorium, cum lethargus, ejusque ſpecies carus, partim ſine omni febre ſponte oriantur, partim ratione durationis & eventus a comate differant, dum lethargus facile in apoplexiam degenerat, carus vero diutius per ſeptimanas pluresque menſes duret.

XVIII.

Dividitur coma in vigil & ſomnolentum.

SCHOL.

SCHOL.

Coma vigil Medicis audit, quando febricitantes graviſſimam quidem propenſionem habent in ſomnum, ſed ſomnum vel plane non aſſequuntur, vel facilius expergeſiunt, mox denuo in priorem ſomnolentiam delabentes.

Somnolentum ex oppoſito coma vocatur, quando ægri tales febribus acutis decumbentes, non modo ſomnolenti ſunt, ſed actu profundius dormiunt, & licet expergefacti, tamen momentaneæ in eundem ſomnum profundiorem recidunt, cum oblivione rerum actarum, aut ſermonum minus competentium ad quæſtiones propoſitas prolatione.

XIX.

Familiaris eſt hic affectus ſymptomaticus utplurimum junioribus & plethoricis.

SCHOL.

Licet equidem ſenioribus eundem non penitus denegemus, tamen frequentius illum obſervavimus in juvenibus, vel ad minimum in viridiore ætate conſtitutis, cum ſanguinis motus in illis ſemper & ordinarie ſit fortior ac vehementior: ubi ſimul notamus, nos differentiam comatis vigilis vel ſomnolenti maxime obſervaſſe ſecundum differentiam temperamentorum, ita ut ſanguineis aut magis talibus ſomnolentum, cholericis vero & melancholicis vigil coma magis familiare exiſtat, cujus phænomeni ratio facile ex naturali dictorum temperamentorum diſpoſitione dari poteſt.

XX.

Lethargus *eſt maxima & perennis in ſomnum propenſio atque proclivitas idiopathica, ſine febris acutæ aliusve morbi præſentia occurrens.*

SCHOL.

Differt in eo lethargus a comate utroque, quod non febribus acutis antecedentibus ut ſymptoma ſuperveniat, ſed per ſe ut morbus exiſtat, licet aliquando motus febriles ipſi ut ſymptoma jungantur: unde lethargus individua de cætero ſana aggreditur, ut quoque ſub aliquali ad minimum orthoſtadia permanere poſſint, niſi quod vertiginoſi quid ſub ſitu corporis erecto experiantur.

XXI.

Distinguere solent practici hunc affectum secundum differentiam gradus in lethargum *stricte dictum, &* carum.

SCHOL.

Per carum intelligunt leniorem ipsius gradum, ubi ægrotantes successive in somnolentiam illam delabuntur, & diuturno successu ad affectum disponuntur, ita ut per plures menses hoc affectu laborent, a somno quidem excitentur, sed statim, aut facile in eundem recidant, cum minore oblivione rerum actarum aut agendarum.

Lethargi nomine vero indicant affectum magis acutum, brevisque periodi, ubi ægrotantes post prægressos aliquando vertiginosos graviores insultus, in somnolentiam profundam incidunt, eamque constantem, ita ut vix excitentur, & excitati penitus obliviosi sint, ut ciborum etiam capiendorum haud reminiscantur: sub quo rerum statu aliquid febrilium commotionum, quæ tamen exquisitæ non sunt, concurrit; & nisi materia purulenta ex auribus & naribus profluat, vix ad septimum usque diem ægri superstites manent, sed sæpe quarto die moriuntur, superveniente apoplexia.

XXII.

Subjecta quod attinet, notari debet, caro magis senes atque phlegmaticos, lethargo strictiori, aque quidem senes, sed magis calidioris temperamenti personas subjici.

SCHOL.

Id quod merito intelligimus in tantum, quantum a temperamenti & causarum intrinsecarum concursu affectus produci potest: si autem causæ occasionales specialiores concurrant, satis frequenter sine consideratione temperamenti, aut ætatis, ille occurrere potest in diversis quoad temperamentum & ætatem subjectis.

XXIII.

Causa horum affectuum soporosorum generalis eadem esse apparet, quæ in antecedentibus indigitata est, licet gradu aliquanto levior: nempe læsio generis nervosi & cerebri, quoad ipsorum officium.

SCHOL.

SCHOL.

In comate enim procul dubio a vehementiore ſanguinis humorumque congeſtione & coacervatione in capite, ſub æſtu febrili, cerebri ſubſtantia comprimitur, ut lympha nervorum haud rite ſecernatur, quo ipſo nervorum genus defectum nutrimenti & debiti toni patitur, ſuoque officio haud rite fungi poteſt. Unde obnubilatis per relaxationem nervorum ſenſibus, natura neque a rebus externis ideas percipere atque ſentire, neque actionem debitam per nervos inſtituere valet, ſed torpida quaſi manere debet, donec, remota compreſſionis cauſa materiali, anima ſuis inſtrumentis uti poſſit.

In *lethargo*, qui utplurimum ſenibus familiaris eſſe ſolet, eadem poteſt ſubeſſe cauſa materialis, dum æque vel ſanguis, vel ſerum in magna copia iu cerebro ſtagnat, fibras nervoſas relaxat, emollit torpidasque reddit, & ſucceſſive magis officium cerebri atque nervorum lædit.

XXIV.

Cauſæ utriusque affectus occaſionales ſunt vel internæ, vel externæ.

SCHOL.

In comate quidem magis internæ verſantur cauſæ, graviores nempe ſanguinis commotiones ad caput, quæ tamen ab externis excitari poſſunt atque augeri: quales ſunt potus vinoſi, remedia volatilia calidiora diaphoretica, vel etiam opiata & narcotica, intempeſtive ab extra ad corpus delata, ſed intrinſeco nexu noxas ſuas edentia.

Carus atque lethargus haud raro eundem præpoſterum uſum opiatorum & narcoticorum ſequitur, quando ſomni defectu laborantes ſenes per opiata ſomnum ſibi conciliare ſtudent.

Præterea ab authoribus ut cauſa lethargi & cari allegantur capitis læſiones vulneratoriæ, quas præcipue apud ſenes hi affectus facile ſequuntur, nec quidem male, cum utique hiſtoria practica illud quaſi quotidie teſtetur; neque tamen inficiari poſſumus, hoc in caſu lethargum ſtrictiore ſenſu non morbum, ſed ſymptoma læſionis cardinalis eſſe.

Memoriæ debilitas.

XXV.

Memoriæ debilitas *eſt functionis animalis læſio, per oblivionem rerum præteritarum, vel præſentium, ſeſe manifeſtans.*

SCHOL.

Hic defectus partim cognoſcitur ab ægris ipſis, qui propria confeſſione Medicum de præſentia affectus certiorem reddere poſſunt: vel ab adſtantibus quoque, qui in ſermonibus vel actionibus ægrorum hunc defectum notorie obſervare valent.

XXVI.

Subjecta hujus affectus ordinarie ſunt, quæ debilioribus ex ætate gaudent nervis.

SCHOL.

Hanc ob rationem naturalis quaſi deprehenditur memoriæ debilitas tam apud infantes, quam ſenes, in quibus ordinarie talis generis nervoſi debilitas deprehenditur. Nec tamen deficiunt aliæ ætates, hoc malo laborantes, quando per cauſas varias ad idem diſponuntur.

XXVII.

Subjectum ſpeciale conſtituit cerebrum, cum nervorum principio.

SCHOL.

Accuſamus has partes, in quantum primarium illud organum principalium actionum animæ conſtituunt, licet de reliquo nobis maxime conſtet, nec cerebrum, nec nervorum principium, ſed ipſam animam cogitare, factorumque aut faciendorum reminiſci: cum tamen anima ſine hoc inſtrumento ordinarie nihil agat, illud ad minimum ut ſubjectum cauſæ conſideramus: nullatenus autem deciſionem in nos ſuſcipimus, an cerebri pars anterior media aut poſtica ſpecialiſſime patiatur, cum tales deciſiones magis ad mentis fictiones pertineant, quam revera & fundamentaliter probari poſſint.

XXVIII.

Causæ, memoriæ debilitatem producentes, sunt vel materiales, vel immateriales, nervosum genus debilitantes.

SCHOL.

Ad priorem classem referimus decubitus humorum, præsertim serosorum, ad caput, tam vehementiores, quam diuturniores, unde facile a morbis prægressis, tam febrilibus, quam aliis congestoriis, nec non ab hæmorrhagiis nimiis, & affectibus apoplectoideis, memoriæ debilitationes causantur: dum sub primo decubitu, licet sanguineo, partes distensione debilitantur, postmodum autem per sanguinis depauperationem partes seroso-mucidæ, atoniam nervorum producentes, remanent.

Ad alteram causarum classem pertinent animi pathemata, sub mœrore, tristitia, curis, perpessa: nec minus nimiam in juventute factam memoriæ prægravationem.

XXIX.

Occasionalem causam frequenter constituit tam rei veneræ abusus, quam capitis læsio violenta.

SCHOL.

Hinc sæpe videmus tales, qui juvenes in veneris castris strenue & nimium militarunt, postmodum stupidos, obliviosos, & ex omni genere enervatos, cum per nimiam spermatis excretionem, purior & subtilior lymphæ pars perdatur, quæ cum lympha nervorum maximam similitudinem habet, hujusque defectum post se trahit.

Nec infrequenter contingit, ut per violentas capitis læsiones, vel partes interiores ipsæ in sua substantia lædantur, vel congestiones graviores humorum primo huc invitentur, a quibus postea eadem debilitatio facili negotio producitur.

Incubus.

XXX.

Incubus *est defectus motus respiratorii & voluntarii, sub somno, gravissimam anxietatem & suffocationis metum ægris incutiens.*

SCHOL.

Affectus hic maxime notabilis nunquam vigilantibus, sed semper dormientibus, vel ad minimum semidormientibus, & simul somniantibus, evenit, eosque ad ejulatus, & clamores obscuros, sub maxime suspiriosa & impedita respiratione, quasi pectus gravissimo pondere comprimeretur, perducit: donec expergefacti ad se redeant, lassitudinem sentientes; sed de reliquo nihil morbosi percipientes.

XXXI.

Subjecta hujus affectus utplurimum sunt juvenilia & plethorica.

SCHOL.

In his enim maxime hic affectus temporarius observatur, quippe quæ ad coacervationes, & congestiones sanguineas circa pectus, semper proniora sunt.

XXXII.

Subjectum speciale est thorax, qui in debito suo motu impeditur.

SCHOL.

Quando enim causa materialis, quæ mox nominanda erit, thoracem obruit, tam pulmonibus, quam partibus musculosis denegatur debitus motus, unde sanguinis regurgitatoria stagnatio in pulmonibus & pectoris confiniis causatur, oppressionem talem spiritus anxiam producens.

XXXIII.

Causa materialis est sanguis, tam decubitu majore, quam spissitudine peccans.

SCHOL.

Hic enim sanguis in plethoricis ejusmodi subjectis ad confinia pectoris majore quantitate coacervatus, tam pulmones obruit, ut aër inspiratus libere transire nequeat, quam musculos pectoris ita in motu suo, quem thoraci præstare debent, sufflaminat & impedit, ut deficiente ex parte motu respirationis debito, sanguis in pulmones ingressus, liberum egressum proxime non inveniat, id quod tanto magis contingit, si spissitudo sanguinis simul in culpa fuerit, suique transitum per angustiores vias ipse impediverit.

XXXIV.

XXXIV.

Causa occasionalis hujus molesti, sed nullo modo periculosi affectus, ordinarie est situs corporis illegitimus in lecto.

SCHOL.

Observamus enim, ordinarie hoc malum haud citius aut frequentius ægros invadere, quam si supina, & speciatim brachiis supra caput elevatis decumbant, sub quo situ in specie musculi intercostales, a pectorali ita suspenso comprimuntur, ut thoracem debite movere nequeant: sub quo decubitu præterea insomnia graviora & anxia solenniora esse solent, hoc malum aggravantia: siquidem rarissimum sane erit, sine anxiis insomniis incubum occurrere; unde etiam fit, ut expergefacti saltem ægri, situmque corporis mutantes, statim ab hoc malo liberentur.

XXXV.

Occasionaliter non minus hunc affectum aliquando producunt & fovent potus inebriativi, & motus corporis nimii.

SCHOL.

In tantum nempe, quod sanguinem non modo magis exagitent, ipsique expansionem majorem & progressum impeditiorem concilient, sed etiam ad graviorem somnum & anxia insomnia disponant.

Lypothymia & syncope.

XXXVI.

Lypothymia, & syncope *sunt defectus functionum vitalium & animalium repentini & temporarii, ita ut ægroti mortuis simillimi adpareant.*

SCHOL.

Consistit formalitas horum affectuum in abstractione naturæ temporaria ab ordinariis motibus & actionibus, tam animalibus, quam vitalibus: ubi quasi tædio affecta, totam œconomiam animalem in tantum negligit ac deserit, donec vel sponte ad se redeat, vel artificialibus auxiliis

liis ad officium suum per objecta, sensoria externa paulo acrius afficientia, quasi revocetur, motusque ordinarios iterum aggrediatur.

XXXVII.

Lipothymia & syncope, non quoad essentiam, sed quoad gradum ab invicem differunt: ita ut secundum magis receptam sententiam lipothymia leviorem, syncope vero graviorem, imo gravissimum denotet gradum.

SCHOL.

Cadit interim uterque affectus signis suis in sensus, dum ægri quasi mortui adparent, ut vires & motus, non modo animales & voluntarii, sed etiam vitales disspareant, & non solum sensus & motus, verum etiam pulsus & respiratio ad tempus deficere videantur: pallent enim repente in toto corpore, frigent ad minimum in extremitatibus nasi, faciei, manuum ac pedum, quoad tactum, & omnis quasi sanguis in corporis peripheria evanescit; oculi clauduntur torpide, licet spastice non constringantur, neque os, nisi in adsuetis, hiat, sed clausum est, quamquam aliquando aliquid salivalis humoris effluat: & in lipothymia pulsus summa debilitas, imo quasi defectus, solo quandoque cordis tremore perceptibilis, adest, cum respiratione vix sentienda.

In *syncope* vero hæc pulsus debilitas, & respirationis summa insensibilitas, in totalem & omnimodam cessationem desinit, ita ut ne minimum quidem indicium utriusque sub exactissima licet perscrutatione observari possit. Quamvis autem hæc ita se habeant, nullus tamen in utroque affectu supervenit corporis rigor, aut manuum pollicumve spastica tractio, aut salivæ spumescentia in ore, quibus signis partim a morte, partim a convulsionibus & epilepsia distinguuntur. Unde veri syncoptici a mortuis nullo alio indicio discerni, aut pro talibus haberi possunt, quam quod hi mox vel pauco tempore obrigescant, illi autem torpidi & flaccidi saltem & citra putredinis successum diutius decumbant.

XXXIII.

Subjiciuntur his affectibus in genere personæ debiliores & sensibiliores.

SCHOL.

SCHOL.

Sive illæ tales a natura fuerint, ſive a morbis prægreſſis, aut inedia emaciati, & genere nervoſo debiliore gaudentes, uno verbo, corpore & animo valde ſenſibiles: quo nomine præ aliis fœminæ & ſenes ad hanc claſſem referri merentur.

XXXIX.

Cauſa horum affectuum proxima utplurimum eſt immaterialis.

SCHOL.

Materialem enim, & quidem immediatam proximam cauſam in corpore hærentem, hosque affectus producentem, explicare ac determinare, ſæpiſſime admodum difficile eſt, cum potiſſimum videamus, hoſce affectus fundamento æſtimationis moralis niti, quatenus nempe natura vel a ſolis moralibus cauſis, v. g. animi pathematibus, vel, licet a phyſicis, tamen æſtimationem moralem poſt ſe trahentibus, afficitur, atque in motibus ſuis turbatur.

Si autem aliquando materialem quendam defectum accuſare licet, id ſane in illis lipothymicis locum habebit, quæ nutrimenti corporis defectum, vel ab inedia ſimplici, vel ſub morbis gravioribus prægreſſis, ſequuntur: vel ubi cauſæ materiales, a plethora dependentes, in menſtruo aut lochiali negotio turbato, vel in pathematibus hyſtericis aliquid ad fomentationem & reſuſcitationem mali contribuere poſſunt.

In ſyncope adhuc major verſatur difficultas propter defectum obſervationum, cum hic affectus verus talis adeo ſit rarus, ut præter ſolam recenſionem hiſtoriarum in ſe rariſſimarum, vix quidquam notatu dignum de illo reperire, multo minus aliquid certi de veris cauſis antecedentibus colligere licet: niſi quod hiſtoriæ ſyncopes ordinarie de puerperis, aut ſub puerperio graviſſimis paſſionibus hyſtericis vexatis, loquantur: ubi vel ex ſpaſmo, vel a ſanguinis lochialis profuſione, vel a partu laborioſo probabiliter virium & animæ & corporis defectum accuſare licet.

XL.

Magis autem patent lipothymicorum affectuum cauſæ occaſionales.

SCHOL.

Huc pertinent ira, terror, metus, mœror, imo aliquando gaudium, vel res externos ſenſus, vel vere, vel per imaginationem moleſte afficientes: cujus cenſus ſunt dolores ſenſibiles, pectoris anguſtationes vel a veſtimentis, vel a flatibus incarceratis: ſapores & odores ingrati, præcipue hi ultimi, qui, licet aliis individuis gratiſſimi ſint, his tamen ſubjectis aliquando ita adverſi exiſtunt, ut illos maxime fugiant ac averſentur.

Mors.

XLI.

Mors eſt omnimoda motuum vitalium ceſſatio, in mixtionis animalis diſſolutionem & corruptionem putridam deſinens.

SCHOL.

Sicut vita formaliter & eſſentialiter in mixtionis animalis conſervatione, per motuum vitalium continuationem jugem ac perennem conſiſtit, qua particulæ mixtionem turbantes ſecernuntur & excernuntur: ita oppoſitum vitæ, nempe mors, in diſſolutione mixtionis, & putredinis inductione conſiſtere debet.

Quapropter etiam mortem ad motuum defectus merito referimus, cum nullus ſane affectus unquam medico obvius proxime explicatis motuum deficientium morbis propinquior, & quoad externum adſpectum ſimilior, reliquos omnes autem effectu ſuo longiſſime ſuperans exiſtat, quam hic, qui ſyncopticis perſonis, æque ac aliis in proximo periculo decumbentibus, ſine omni individuorum aut ſubjectorum diſcrimine ant exceptione, ultimum ſuperaddit rigorem emortualem, cum putredine mox inſequente, & tam medicum, quam medici artem eludendo, omnibus ægrorum cruciatibus, & medici laboribus conſtantiſſimum imponit

F I N E M.

INDEX

INDEX
Rerum locupletissimus.

A.

Appe-

INDEX.

B.

C.

INDEX.

Chloroſi

INDEX.

Confe-

D.

INDEX.

E.

F.

INDEX.

INDEX.

Flatus

G.

INDEX.

Inflam-

INDEX.

L.

Luis

Mictus

INDEX.

Mor-

N.

Odon-

INDEX.

P.

Phreni-

INDEX.

Q.

R.

Renum

INDEX.

Senes

INDEX.

 Stran-

T. *Ta-*

T.

Vena

INDEX.

Viri